

Prologus

Cum doctor siue predicator euangelicus sapientibus et insipientibus debitor sit, saluatore demandante eidem predicare euangelium omni creature; sedula diligentia studere debet ut sciat omnes instruere doctrinaliter et ammonere efficaciter, non solum in predicatione declamatoria, sed in collatione familiari et mutua, prout hortatur Ecclesiasticus hortatur 37. Cum uiro irreligioso tracta de sanctitate, et cum iniusto de iusticia, et sic de aliis que ibi enumerat. Et hoc exemplo saluatoris, qui non solum predicabat publice in ciuitatibus et synagogis sed etiam in mensis, parabolas et uerba uite frequenter auditoribus proponebat Luce 7. Symon habeo aliquid tibi dicere. Similiter exemplo beati Pauli prime Corinth. primo. Sermo meus et predicatio mea non impersuasibilibus humane sapientie uerbis, predicatio scilicet publica et sermo priuatus ait glossa. Et Actuum primo ait idem: Docerem uos per domos et publice id est priuatim et communiter testificans et cetera. Frequenter enim collatio familiaris et mutua efficacior est ad instruendum quam predicatio publica uel lectio, prout ait Gregorius super euangelis libro secundo omelia secunda: Collationis inquit uox corda torpentia excitat plusquam lectionis, et quasi quadam manu sollicitudinis ut euigilent scilicet audientes pulsat. Et ideo predicator euangelicus etiam in priuata collatione uerba uite iugiter proponat pro loco et tempore etiam in mensa, ut alimenta corporis ministrantibus, ipse alimenta etiam uite dispenset. Ciuile enim est et sacris consentaneum literis aut omnino silere in mensa ut audiant ad profectum aut unde proficiant alii, aut sine culpa letentur, aut doctum proferre sermonem. Siquidem et inter comedentes dominus parabolas miscuit. Prout dicitur in policroto libro 8. capitulo ix.: Si enim Dyogenes et alii cinici hoc est alii philosophi peritissimi, et dicuntur cinimici a cines cinis qui est animal uelocissimum, multum obuios monuerunt, prout ait Seneca xxx. epistola et Ieronimus contra Iouinianum loquens de Dyogene inquit: Quod habitauit in portarum uestibulis et in portibus ciuitatum usque proficiens, imo et transeuntium aut abigens id est fugans uel seperans aut notans uicia que mores fedabant. Multo magis diuinus predicator debet singulos monere et utiliter cum illis conferre // ut quilibet ex sua collatione amplius illuminetur et melioretur. Quia ut ait Seneca epistola x.: Qui ad philosophum uenit quotidie aliquid boni secum defert, aut sanior domi redit aut sanabilior. Et ponit exempla, qui in solem uenerit colorabitur, qui in taberna unguentaria resederit, odorem secum ferunt, sic qui ad philosophum uenerint secum trahere aliquid necesse est. Predicator ergo sicut philosophus celestis uerba sapientie effundat, unde audientes illuminentur sicut a sole, et exempla uite ostendat aspicientibus ut odore uirtutum reficiantur. Sic enim monet beatus Gregorius super euangelis libro ii. omelia xvii.: Cum quemlibet lubricum uidemus ammonendus est ut coniugio studeat frenare iniquitatem suam. Cum coniugatum uidemus ammonendus est quod sic exerceat curam seculi ne postponat amorem dei. Cum clericum uidemus ammonendus est ut sic uiuat ut uite exemplum secularibus prebeat. Cum monachum uidemus ammonendus est ut reuerentiam habitus sui in actu in locutione in cogitatione semper circumspiciat, et ea que mundi sunt deserat. Et quod ostendit humanis oculis in habitu, ante Dei oculos moribus pretendat. Iste sanctus est ammoneatur ut crescat. Iste iniquus est ammoneatur ut se

corrigeat, ut quisquis se ad sacerdotem iunxerit sale sermonis eius conditus recedat, ad Collocenses iiii. Sermo uester semper in gratia sale sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat uos unicuique respondere. Iste enim est fructus philosophie uere, ut enim dicitur in libro de deo Socratis: Aristippus respondit cuidam tyranno interroganti quid illi philosophie studium tam impensum profuisset; ut cum omnibus inquit hominibus secure et intrepide fabularer et uere. Iste enim uere est philosophie fructus, scire loqui ordinabiliter, decenter et utiliter cum omnibus hominibus secundum dignitates graduum, quantitates eratum, qualitates statuum, conditiones ministeriorum et officiorum scilicet loqui cum regibus prout decet alloqui. Et secundum hos modos apostoli docuerunt populum dei nunc dominos nunc seruos, nunc patres nunc filios, nunc sponsos nunc sponsas, nunc senes nunc iuuenes, nunc diuites nunc pauperes ad Ephes. ii: Viri diligite uxores et cetera. Et vi.: Filii obedite parentibus. Et similiter sequitur: Serui obedite dominis. Et similiter beatus petrus prime petri primo Serui subditi estote in omni timore dominis. Et sequitur ibi in tercio capitulo: Mulieres subdite sint uiris suis. Similiter beatus iohannes prime Iohannis secundo. Scribo et uobis patres, scribo et uobis adolescentes, scribo et uobis // infantes et cetera. Et non solum apostoli et sancti doctores sic distinctis modis docuerunt homines, sed etiam philosophi gentiles prout narrat Trogius Pompeius de Pytagora libro secundo. Et Polycratus ibidem libro vii. capitulo iiii. qui cum audisset cratoniorum urbem omnino resolutam et uirtutis opera indigentem illuc uenit et matronarum seperatarum a uiris doctrinam, et puerorum a parentibus frequenter habuit et docebat. Nunc has pudicitiam et obsequium in uiros, nunc illos modestiam et literarum studium, et inter hec uelut genitricem uirtutum frugalitatem omnibus, et sic assiduitate disputationum ad frugem melioris uite populum reuocauit. Unde uersus descripsi mores hominum iuuenumque senumque. Et qualiter serui despiciunt dominos. Quid meretrix quid leno dolis confingat auarus. Hec quicumque legis sic puto tutus eris. Hi uersus scripti erant in epitaphio therencii. Exemplo ergo saluatoris et apostolorum eius et sanctorum eius doctorum et etiam gentiliu philosophorum, euangelicus predicator ut dictum est ordinabiliter et distincte utiliter et ex propriis omnes moneat, tam in publica predicatione quam in priuata collatione. Et sicut prouidus explorator debet considerare status eorum et mores et consuetudines cum quibus confert, et prout uiderit expedire saluti eorum sermones utiles proponere, et eos efficaciter exhortari. Quia ut ait quidam sapiens cum orator non aliter nisi orando probetur, philosophus non minus tacendo pro tempore quam loquendo pro tempore philosophatur. Est enim tempus tacendi et tempus loquendi, Eccli. iii. et ideo ait prius tacendi et postea loquendi, eo quod ille ueraciter loqui nouit qui prius bene tacere didicit, et quasi quoddam nutrimentum uerbi est censura silentii ait Gregorius super Ezechielem libro primo omelia xi. Ubi enim non est auditus non effundas sermonem Ecclesiastici. xxxii. Et nolite sanctum dare canibus Math vii. et primo libro saturnalium dicitur quod socrates grecus orator cum in conuiuio a sodalibus hortaretur ut aliquid in medio proponeret de fonte eloquentie inquit. Que presens locus et tempus exigit ego non calleo, que ego calleo nec loco presenti sunt apta, nec tempori, ideo ibidem sequitur. Nihil tam cognatum philosophie quam locis et temporibus aptare sermones, personas que aderunt in estimatione inuiolata moderari in medium uocatas. Alios enim reuocant exempla uirtutum, alios beneficiorum, nonnullos modestie, et qui aliter agebant sepe auditis talibus ad emendationem uenient. Hec ille. // Regula ergo discretionis moderante prout uiderit expedire pro loco et tempore proponat predicator diuinus uerba edificatoria implens illud Eccli. xxi.: Verba prudentie statera ponderantur. Ut enim ait

sanctus Augustinus libro confessionum vi. Sermo est uas ex sententia cibi sapientia et stulticia, cibi utiles et inutiles, qui uerbis ornatis uel inornatis, sicut uasis urbanis uel rusticanis subministrantur. Ut ergo prouidus dapifer cibos sapientie in uerbis ornatis debet predicator ministrare. Favus enim mellis uerba composita dulcedo anime suauitas mentis, Prouerb. xv. Et proinde debet predicator siue doctor dimittere materiam de qua loquitur, si intellexerit aliam magis utilem esse illis quibus loquitur, uel si uiderit superuenire alios quibus magis competit alia materia. Exemplo Xenocratis qui ommissa materia quam tractabat transtulit se ad aliam materiam, propter uicia superuenientis inuehendo contra illa, prout narrat Valerius libro vi. capitulo ultimo ubi ait: perdit luxurie Athenis adolescens polemius, neque illecebris tantummodo sed etiam ipsa infamia gaudens, cum e conuiuio non post occasum solis, sed post ortum surrexisset, domumque rediens, Xenocratis philosophi patentem ianuam uidisset, unio granis ungentis suauibus dilibutus, fortis capite redimito, perlucida ueste amictus, refertam turba doctorum hominum eius scolam intrauit, nec contentus tam deformi introitu consedit ut clarissimum eloquium et tam prudentissima precepta temulentie lasciuiis eluderet, orta demum ut par erat omni indignatione Xenocratis multum in eodem habitu conticuit, ommissaque re quaque disserebat de modestia et temperantia loqui cepit. Cuius grauitatem sermonis coactus respicere polemius, primo coronam detractam capiti proiecit, paulopost brachium inter pallium reduxit, procedente tempore oris conuiuialis hylaritatem deposuit, ad ultimum totam luxuriam exiit, unius quoque orationis saluberrima medicina sanatus, ex infami ganeone maximus philosophus euasit, peregrinatus est, huius animus in nequicia non habitauit. Hec ille. Et de hoc Seneca epistola lvii.: Consimili modo debet predicator uidens aliam materiam esse utiliore auditoribus se ad illam transferre prout utilitas exigit. Et quia non omnibus predicatoribus uacat inspicere et perscrutari multa uolumina predictorum doctorum, colligimus in hoc tractatu qui potest dici summa collectionum siue communiuoluntatum, quedam generalia ad instructionem hominum secundum ueritatem eorum statuum. Et hoc non solum de libris diuinorum doctorum, sed ex libris // gentilium philosophorum. Exemplo apostoli qui introduxit dicta eorum sicut illud: Colloquia praua mores bonos corrumpunt, primi ad Corinth. vi. quod fuit dictum meandri. Et illud ad Titum primo: Cretenses semper mendaces, male bestie, uentris pigri, quod dictum est Epunenidis poete. Et illud Actuum xvii.: Genus Dei sumus, quod est clausula uersus eroya, ut ait Ieronimus epistola lx. Et exemplo beati Ieronimi qui introduxit multa dicta gentilium contra Iovinianum, et in epistolis suis similiter. Et exemplo beati Augustini qui introduxit talia multa in libris de ciuitate dei, et etiam in aliis libris et epistolis. Ut enim ait idem secundo de doctrina Christiana ante finem, quod sicut populus Israhel uasa et ornamenta aurea et argentea et uestes abstulit de Egipto, que uendicauit ad meliorem usum, sic liberales disciplinas usui ueritatis aptas, et quedam morum precepta continentes, possunt accipere fideles ad ueritatis attestationem, sicut exemplificat ibi Augustinus de doctoribus sacris, qui fuerunt in sapientia secularium philosophorum, et protulerunt ex eorum doctrinis multa utilia ecclesiastica et refutauerunt supersticiosa figmenta. Non ergo propter insufficientiam sacre scripture, in qua quicquid homo extra didicerit si noxium est damnatur, si est utile munitur, ut ait ibidem Augustinus. Sed propter honorem ueritatis et efficaciorum a testationem ipsis auditoribus et preconium diuine bonitatis, que eis ueritatem reuelauit, ut ait apostolus ad Romanos primo. Deus enim reuelauit illis dicta ueritatis, ex libris eorum licite possunt assumi, ut ait Cassiodorus libro de distinctione scripturarum, loquens de libris Origenis, quod succos

saluberrimos caute et sapienter sumere debemus, ne pariter uenenum perfidie sorbeamus, ubi introducit dictum Virgilii, qui cum legeret Ennium, a quodam requisitus quid ageret, respondit: aurum in stercore quero, scilicet ueritatem in tam uili libro. Omissis ergo supersticionibus predictorum que sunt uere dicta ab eis, sanctorum auctoritatibus hic adiungantur, et si narrantur aliquando dubia intelligantur ut ab eis sunt narrata, non ut assertione affirmata, ut autem autoritates que introducuntur sint magis certe, et libri et capitula distincte nominentur. Et ut si qui dignentur ista puerilia et rudia respicere, inuenire possint plura de materiis de quibus hic sunt autoritates in libris prenomatis et capitulis. // Quasi enim soliditas auctoritatem est certitudo capitulorum et librorum. Et econtrario uage uel uacie auctoritates minusque solide uidentur et minus efficaces contra uolentes resistere uel contradicere. Et quia aliter sunt ammonendi uiri literati, aliter illiterati, aliter seculares, aliter religiosi, sicut facit Gregorius in pastoralibus per totum, et sicut ait idem esse faciendum moralium xxx. super illud Iob xxxviii: Quis dedit Gallo intelligentia, ideo secundum distinctionem graduum, statuum, et officiorum distingui potest hec collatio siue tractatus. Sunt enim seculares siue layci, et sunt literati siue clerici, et sunt morales id est scolastici siue philosophi, et sunt religiosi siue monastici. Et quia ex premissis consistit respublica ciuilis que est quasi quoddam corpus compaginatum ex membris, quorum membrorum est connexio ad inuicem multimoda. Ideo hec collatio in septem partes seu particulas diuiditur seu distinguitur. Prima pars est de constitutione reipublice et membris suis, et instructione et informatione personarum que sunt membra eius sigilatim et absolute sicut principis qui est ad modum capitis, et sic de aliis. Secunda pars est de connexione membrorum predictorum scilicet principis ad subditos et econuerso, et sic de aliis, et de eorum instructione ex personis quibuslibet. Tercia pars est de ammonitione hominum quantum ad ea que sunt communia omnibus, qualia sunt differentie etatis scilicet puericia, senectus, paupertas, opulentia et sic de aliis. Et hee tres partes sunt specialiter de ammonitione laycorum. Quarta pars est de ammonitione uirorum ecclesiasticorum secundum differentias statuum eorundem et graduum. Quinta pars est de ammonitione scolasticorum siue philosophorum philosophantium. Sexta pars est de ammonitione religiosorum siue monasticorum. Septima pars est de ammonitione omnium et de morte ut sint parati erga mortem et de partibus sibi spectantibus ad illam. Sequitur distinctio prima prime partis.

Incipit distinctio prima prime partis de republica et informatione personarum ex quibus constituitur.

Et quoniam respublica ut dictum est in communi est uelut quoddam corpus compaginatum ex membris. Princeps enim ut dominans obtinet locum capitis, prepositi et iudices ad modum aurium et oculorum, senatus uel collectio sapientum et consiliariorum ad modum cordis, milites protegentes ad modum manuum, laborantes siue agricole solo adherentes ad modum pedum, prout ait Plutarcus in libro qui intitulatur instructio Traiani. Primo dicendo de republica in se et in communi, secundo de personis ex quibus constituitur sigiliatim et de ammonitione earum; de primo scilicet de republica primo inquirendum quid sit, secundo qualiter constituitur. Tercio quibus uirtutibus erudiat, regitur et conseruatur. Quarto qualiter per contrarium deficit et dissoluitur et ex quorum defectu. Quinto de sollicitudine antiquorum et labore pro conseruatione reipublice et de

magnitudine sustinentie pro ipsa. Sexto qualiter non contrariatur doctrina reipublice doctrine euangelice sicut aliqui posuerunt doctrine euangelice detrahentes.

Capitulum primum: Quid sit respublica

De primo notandum quod respublica est res populi, populus autem est cetus iuris consensu et utilitatis communione sociatus, prout ait Augustinus de ciuitate dei xix. recitans diffinitionem reipublice datam a Scipione et recitatam a Tulio ut patet ibidem. Et idem Augustinus de ciuitate dei libro v. capitulo xviii.: Respublica res populi, res communis, res ciuitatis. Et sic patet quod omnis qui intendit bonum commune et utilitatem populi uel patrie vel ciuitatis augere, conseruare, protegere salua iusticia intendit, et rempublicam augere et conseruare ad quam rempublicam habuerunt antiqui affectum magnum ut patebit infra.

Capitulum secundum: Ex quibus et qualiter constuitur respublica

Ex quibus et qualiter constat respublica determinat Augustinus libro ii. de ciuitate dei dicens quod tunc respublica id est res populi iuste et bene regitur siue ab uno rege siue a paucis optimatibus siue ab uniuerso populo, cum talis est populus scilicet cetus iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Tunc enim salua est respublica cum secundum ius omnes consentiunt et utilitatem communem omnes intendunt. Constat autem ex personis superioribus, mediis et inferioribus. Unde ibidem Augustinus // recitans uerba Scipionis dicit quod sicut in fidibus aut tibiis atque ipso tactu a uocibus concentus quidam tenendus est ex distinctis sonis, quem discrepantem aures ferre erudite non possunt, quousque concors efficitur, sic ex summis et infimis mediis interiectis ordinibus, ut sonis moderatam rationis ciuitatem consensu dissimilium morum concinere, et que armonia a musicis dicitur in cantu eam esse in ciuitate concordiam. Quilibet enim in ciuitate est una litera in sermone, ut ait Augustinus iii. de ciuitate dei capitulo iii. Patet enim rempublicam constare ex personis uariis sicut ex membris suis. Unde et quoddam corpus dicitur esse ut dictum est supra. Et sicut apostolus ait loquens de republica ecclesiastica uocat eam corpus, et ciues eius membra ad Romanos xv.: Multi unum corpus sumus in custo singuli autem alter alterius membra; et prime ad Corinthios xii.: Et enim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptisati sumus. Unde et de reipublice membris et concordia ait Tullius libro primo de officiis tercio capitulo dicens esse in republica magistratus, personas priuatas et peregrinos; ubi assignans eorum officia dicit: Quod proprium munus magistratus est intelligere se gerere personam ciuitatis, debereque eius dignitatem et decus sustinere, seruare leges, iura describere et fidei sue commissa meminisse. Priuatum uero inquit Tullius oportet equo et pari cum ciuibus iure in republica uiuere neque submissum et abiectum, neque se efferentem nimis ea uelle in republica que tranquilla et honesta sunt. Talem enim sentire solemus bonum ciuem et dicere. Peregrini uero atque incole officium est nihil preter negocium suum agere, nihil de alieno inquirere, minimumque esse in aliena republica curiosum. Et hec officia requiruntur cum queritur quid deceat; quid aptum sit personis, temporibus et etatibus, prout dicit Tullius ibidem. Et ex his patet quod sicut in corpore naturali membra sunt sibi inuicem deseruientia et pro se inuicem sollicita, et mutuo sese contegencia, et mutuas deformitates cooperientia, at sese exornantia. Sic debet esse in membris reipublice, que

est quasi corpus ut dictum est, et maxime in republica ecclesiastica, sicut adaptat apostulus ubi supra. Et sicut euidens signum rabiose furie est, quod unum membrum destruit aliud aut deuorat in corpore naturali, sic signum rabiose malicie est quod unum membrum reipublice deuorat aliud et disperdat maxime si sanum est membrum. Si autem putridum est et infectiuum aliorum auferri uel segregari debet ad habente potestate, // seruato iure iusticie uel amputari, prout ait Tullius libro. iii. de officiis loquens de tyranno capitulo vii. dicens: Hoc genus hominum pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Et ponit exemplum: Membra corporis amputantur si spiritu carere ceperint ne noceant ceteris membris corporis. Sic feritas et immanitas belue a ciuibus tanquam humanitate corporis segreganda est. Si ergo utentes organis musicalibus diligenter student ne fiat dissonantia in organis suis, ut fiat proporcionalis concordantia seu consonantia, multo magis gubernatores reipublice debent sollicite prouidere quod in predictis partibus reipublice sit debita armonia, sicut recitatur in policrato libro iiii. capitulo viii.: Si inquit citharedus aliique fidicines multa diligentia procurant, quomodo oberrantis corde compescant uicium, et eandem unanimem reddant, faciuntque dulcissimam dissidentium consonantiam, cordis non ruptis, sed tensis proporcionaliter et remissis. Quanta igitur sollicitudine debet princeps moderari nunc rigore iusticie, nunc remissione clementie ut subditos faciat quasi unanimes esse in domo, et quasi discordantium in ministerio pacis et caritatis operibus unam faciat perfectam et maximam armoniam. Hoc autem certum est quod tutius est cordas remitti quam protendi. Remissarum extensio artificis peritia conualescit, et debitum soni reddit gratum, que si semel rupta est nullo artificio reparatur. Profecto si sonus exigitur quem non habent, frustra tenduntur, et citius sepe uenitur ad nullum quam ad eum qui nimis exigitur. Huiusmodi autem armonia uirtualis erit in republica quando erit conformis ipsi superne Hierusalem pro sua possibilitate et ordinata legibus dei. Quando de illa uerificabitur illud Iob xxxviii.: Nunquid nosti ordinem celi et rationem eius pones in terram. Ratio celi ponitur in terram quando respublica humana imitatur rempublicam celestem, ubi uoluntas dei lex est, prout ait Augustinus loquens de republica in angelis siue in curia celesti de ciuitate dei secundo capitulo. Et sic patet secundum capitulum.

Capitulum tertium: Qualiter debet respublica legibus regulari

// Tercio uidendum est quibus uirtutibus ordinatur respublica. Et sciendum quod ordinatur scilicet legum rectitudine, iusticie solidantis equitate, concordie unanimitate connectente, fidelitate mutua adiuuante, consilio salubri dirigente, morum honestate decorante, ordinata intentione quasi omnia consumante. Ubi primum patet secundum Tulum prima rethorica libro primo ubi ait: Omnes leges ad commodum reipublice iudices referre oportet. Nemo, inquit, leges legum causa sui saluas esse uult sed reipublice. Nam ut ex medicina nihil debet putari in profectum nisi quod ad corporis utilitatem spectat, quonque eius causa instituta est; sic a legalibus nihil conuenit arbitrari nisi quod reipublice ducit profectum quoniam eius causa sunt comparate uel condite. Et Ambrosius in exameron omelia v.: Huius reipublice usus est leges omnibus esse communes atque obseruari eas de necessitate uel deuotione communi; uno omnes teneri uinculo, non alii ius esse quod aliis sibi intelligat non licere sed quod liceat licere omnibus. Esse etiam communem reuerentiam patrum quorum consilio respublica gubernatur commune omnibus membris urbis domicilium, communis conuersionis officium, unum prescriptum omnibus, unum

esse consilium. Hec ille. Et ideo nisi rectis legibus respublica gubernetur non diu stabit. Nec mirum. Cum lex sit secundum papimanum et demostenet, inuentio hominis donum dei, dogma sapientie, correctio uiolatorum, et excessuum uoluntariorum ciuitatis compositio, totius criminis friga. Siue lex est ratio summa insita a natura que iubet ea que sunt facienda prohibetque contraria, ait Tullius de legibus; siue lex nihil aliud est quam recta ratio et a nemine tracta, impetans honesta, prohibens contraria, ait idem philipitarum ix; siue lex est recta preceptio, prauique de pulsio, ait idem libro secundo de natura deorum. Ipsa enim est ius scriptum iubens honestum, prohibens contrarium, ait Gracianus distincione i. Est etiam lex interpret equitatis, rerum diuinarum et humanarum compositio, ait Crisippus. Et ideo necessarie sunt iuste leges ad gubernationem reipublice, prout ait Seneca epistola x, capitulo iiii. Quod postquam surrepentibus uiciis in tyrannidem regna conuersa sunt, opus esse cepit legibus quas et ipsas inter uicia tulere sapientes. Et ponit exemplum de Salomone qui Athenas equo iure fundauit, et de Ligurgo qui leges instituit. Et de his loquitur Augustinus et eorum legibus secundo de ciuitate dei capitulo vi. Ubi de legibus Salomonis ait Agellius libro secundo: Quod incise erant in // axibus ligneis ut sempiternae manerent. Et de isto ligurgo et legibus eius ait Trogius Pompeius libro tercio ut dictum est in breuiloquio de uirtutibus. Sunt enim leges sicut capistra et compedes equorum et frena, ait Crisostomus super Iohannem omelia xxxvi. Ut enim dicitur in tractatu de duodecim abusionibus, duodecimus abusionis gradus est populus sine lege. Qui dum dei dicta et legum sita contemnit, per diuersas errorum uias in laqueum perditionis incurrit. Et sequitur: Una regalis uia lex dei, que nec ad dexteram nec ad sinistram declinat, et ibi bene de hoc. Et quia omnium legum est manes censura, nisi diuine legis ymaginem gerat, ut ait Augustinus octauo de ciuitate dei capitulo sexto. Ideo omnes leges emanare debent a lege diuina. Per me, inquit sapientia diuina, reges regnant et legum conditores iusta decernunt, Prouerbiis viii. Humane enim leges eatenus ualent quantum non discrepant a diuinis, ait Erhardus. Et ideo hec respublica sola est ordinata que legibus regulatis lege diuina regulatur, que tunc est ciuitas dei in qua rex est ueritas, lex caritas, modus eternitas, ait Augustinus epistola secunda. Que lex licet sit una in se, est tamen multiplex in fructu et ueritate, Iob xi.: Multiplex lex eius est. Et quia inutilis est legum latio nisi sit earundem debita custodia, ideo sollicite debent custodiri in republica. Nam ut ait Valerius libro quinto capitulo iii. loquendo de Athenensibus: Cum, inquit, equissima iura sed iniquissima ingenia haberent, moribus suis quam legibus uti potius maluerunt. Igitur debent custodiri a maioribus et minoribus, ne sint sicut tela Aranearum, que infirmiora animalia retinent et ualentiora transmittunt, prout recitat Valerius libro septimo capitulo secundo, dicens: leges esse tales ut ait Anapsus Anathaxus, quod his pauperes et humiles constringi, diuites et potentes alligari non contingat. Econtrario de illo qui eruit sibi unum oculum et filio unum, cum filius deberet mulctari priuatione oculorum propter adulterium, ut ait Valerius libro sexto capitulo secundo. De hoc in breuiloquio de uirtutibus et Saul nolens parcere filio, qui fuerat transgressus mandatum eius, primi Regum decimo quarto. Unde sicut leges non debent punire innocentem, sicut ait Paulus Actuum uicesimosecundo. Et tu sedens iudicas me secundum legem, et contra legem iubes me percuti. Ita etiam leges non debent absoluere // reum a disciplina maxime quando quis peccat in rempublicam. Qui enim iustificat impium et condemnat iustum abhominabilis est uterque apud Deum Prouerb. xvii., unde Valerius libro vii. capitulo xii. dicit quod nihil Asegelai facto sapientius, qui cum aduersus rempublicam Lacedemoniorum conpirationem ortam comperisset, leges ligurgi

abrogauit, que de indamnatis supplicium suum negabat, comprehensis autem et interfectis fontibus e uestigio restituit atque utrumque simul prouidit, ne salutaris animaduersio uel iniusta esset uel iure impediretur, atque ut semper esse possent, que aliquando non fuerunt.

Capitulum quartum: Qualiter debet respublica iusticia fundari

Et quia leges non sufficiunt ad regnum nisi iusticia regulentur. Ideo respublica debet esse fulcita iusticia et in ea fundata, prout ait Augustinus recitans sentencias sapientum ii. de ciuitate dei capitulo xix. Et concludens hoc uerissimum esse scilicet sine summa iusticia rempublicam regi non posse. Unde Vellius asseruit nihil tam inimicum quam iniusticia ciuitati, nec omnino melius nisi magna iusticia geri ac stare posse rempublicam. Et ideo Augustinus iii. de ciuitate dei capitulo iii. dicit quod remota iusticia quid sunt regna nisi latrocinia, ubi ponit exemplum de Alexandro magno et pyrata, et de hoc in breuiloquio de uirtutibus philosophorum. Ait enim Tullius libro secundo de officio capitulo xxii. quod omnibus necessaria est omnino iusticia etiam solitario, et his qui uendunt et emunt, conducunt, locant, contrahunt a iisque negociis implicentur. Necessaria est iusticia ad rem gerendam, cuius tanta est uis, ut nec illi qui maleficio et scelere pascuntur possunt sine ulla particula iusticie uiuere. Et ponit exemplum de latronibus, unde et leges latronum esse dicuntur quibus pareant quas obseruant, et ponit exempla per equalem prede partitionem. Bargalus Yliricus latro magnas res habuit et multo maiores Lusitatus Lustrarius, cui exercitus imperatoris cesserunt. Unde ait ibidem archipyrata, nisi equaliter predam dispartiat aut interficiatur aut a sociis relinquatur. Et ideo concludit ibidem quod cum tanta uis iusticie sit ut etiam ea latronum opes firmet atque augeat, quantam eius uim inter leges et iudicium constituendo rempublicam fore putamus. Unde et iusticia est splendor magnus, ex qua boni nominantur. Et huius munus primum est ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria. // Deinde ut communibus pro communibus utatur priuatis ut suis, ut ait idem de officiis libro primo capitulo vi. Vel fundamenta iusticie sunt ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati deseruiatur ait idem capitulo viii. Unde et Ambrosius libro primo de officiis ait quod iustus communia habet pro suis, sua pro communibus. Et sequitur: iusticia est prima pars scilicet in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, deinde in omnes. Sed uera iusticia non est nisi in republica, cuius conditor rectorque Christus est. Et in ea ciuitate est uera iusticia de qua dictum est, gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, ut ait Augustinus libro vi. de ciuitate dei capitulo xxi. Et de hac Valerius de uirtutibus libro vi. capitulo v. recitans exempla antiquorum de quo dictum est in breuiloquio de uirtutibus et cum ipsa sit uirtus qua sua cuique tribuuntur, ut ait Augustinus xix. de ciuitate dei capitulo primo. De qua ueniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humilitas, ut ait Macrobius libro primo. Siue eius species sunt pietas erga omnes Christianos, innocentia sine iniuria aliqua, dilectio, reuerentia, concordia, misericordia scilicet in affectu et clemencia in effectu, prout ait Hugo. Qualiter autem esse debeat in republica tam superiorum erga inferiores et econuerso quam parium inter se patebit infra, cum sigillatim de talium informatione dicetur. Nam ut ait Bernhardus in sermone quodam de aduentu: Iusticia est uirtus que reddit unicuique quod suum est, superiori scilicet equali et inferiori. Prelato enim debetur reuerentia et obediencia, pari consilium quo erudiatur ignorantia, et auxilium quo iuuetur infirmitas, inferiori custodia ut non regnet peccatum in mortali corpore ad Rom. vii., et

disciplina ut dignos faciat fructus penitencie, quibus debet adiungi caritas in Deum ut ait idem. Et hee sunt septem colonne quas edificat sapientia in domo sua Prouerb. ix. ut ait ille ubi supra. Magno igitur affectu iusticia est appetenda, magno studio custodienda, magno honore ueneranda. Unde et iusticie templa dedicauerunt gentiles, ut ait Augustinus primo de doctrina Cristiana capitulo v. Ideo ad eam hortatur sapientia diuina iudices reipublice, Sapientie primo: Diligite iusticiam qui iudicatis terram.

Capitulum quintum: Qualiter debet respublica unanimitate muniti

Et quia tunc iusticia est principaliter in republica quando est uera concordia. Necesse est ut respublica unanimitate concordia adiuuetur, prout ait Salustius libro secundo recitans uerba // Scipionis: Ego, inquit, trado uobis firmum regnum si boni eritis imbecilles in malis. Nam concordia parue res crescunt, discordia maxime dilabuntur. Et hoc idem ait Seneca epistola x. capitula vi. Omne regnum in se diuisum desolabitur ait Saluator Math. xii. Et sic a contrario concordia ciuium augebitur. Nihil enim utilius ciuitati concordia. Unde commentator ethicorum ix.: Concordia ciuitatis et magistrorum grata toti ciuitati et totis Grecis, et ponit exemplum: concordia Grecorum contra Xersem grata conferens scilicet omnibus Grecis. Tunc enim est respublica in se fortis et hostibus terribilis. Terribilis, inquit, ut castrorum acies ordinata. Cant. vi. Super quod Gregorius super Ezechielem libro i. omelia viii.: Castrorum acies tunc hostibus horribilis ostenditur quando ita constipata et condensata fuerit ut a nullo interrupta uideatur. Uno, inquit, agmine persequabantur filii Israhel et debilitabant omnes, Iudicum xv. Ut enim ait Seneca quarto de beneficiis capitulo xiiii.: Homini cui non ius nature quibuslibet fecit eum terribilem et ualidum duas res dedit natura que fecerunt eum ualidum, rationem scilicet et societatem. Societas enim dominium omnium animalium dedit et imperium terris gentium, et etiam dominari in mari iussit. Et ideo in omni republica debet unus principari ne fiat diuisio, ut ait Ieronymus epistola x. capitulo ii.: Propter quod rectores reipublice antiquitus et si essent prius discordes postquam erant assumpti ad regimen reipublice inter se mutuo concordarunt. Prout ait Valerius libro iiii. capitulo ii. narrans scilicet de Melino Lepide et Fulino Frasto, quia ut censores creati sunt qui prius in inimiciis dissidebant, publice uincti sunt non dissidentes in inimiciis priuatis. Unde ibidem capitulo i. narrat de eo qui plangebatur aduersarium eo quod erat reipublice utilis, et quia non est uera concordia nisi ubi regit caritas que facit multitudinis cor unum et animam unam, Actuum iiii. Ideo nec res uera publica nisi ubi lex est et caritas, ut dictum est.

Capitulum sextum: Qualiter debet respublica fidelitate adiuuari

Consimiliter in republica debet esse uera fidelitas qua adiuuetur. Nisi enim in partibus eius et membris sit uera fidelitas scilicet absque cordis maliuola tergiuersatione et absque oris fallaci deceptione et absque gestus dolosa simulatione et absque operis peruersa defraudatione non poterit regi nec diu durare, quia ut ait Tullius primo de officiis capitulo vii.: Fundamentum iusticie est fides, et doctorum conuentorumque constantia et ueritas. Et ut ait ibidem capitulo xii.: // Cum duobus modis fiat iniuria, aut ui aut fraude. Fraus quasi uulpecule, uis leonis uidetur, utrumque uero ab homine alienissimum. Totius autem iniusticie nulla est capitalior quam eorum qui cum maxime fallunt id agunt ut boni uideantur. Hec autem fidelitas non acquiritur pecunia uel commodo temporali sed uirtute,

prout ait Ambrosius primo de officiis: Quis fideles putat quos uel pecunia uel adulatione sibi obligandos crediderit. Quis igitur illos qui ad obedientiam plurima redimuntur pecunia fideles arbitretur. Nam isti se frequenter uendere uolunt et imperia dura ferre non possunt et cetera. Acquiritur autem fides et conseruatur iusticia et prudentia ut ait idem libro secundo capitulo xii. Unde et hoc idem rarum est aliquibus membris reipublice et maxime secundum illud Ennii prout recitat Tullius ubi supra: Nulla sancta societas nec fides regnat, imo quorundam fides mutatur cum tempore, sicut ait Egesippus libro primo loquens cum quodam qui mutauit fidem cum tempore. Sed nihil stabile infidum ait Tullius de amicitia xii. capitulo. Et ipsa fides id est fidelitas est fundamentum stabilitatis que est in amicitia ut ait ibidem. Et hec fides fuit in magna reuerentia apud antiquos. Unde et Catho eam commendans dicit eam templum habere cum Ioue, siue esse uicinam Ioui in capitolio. Sicut recitat Tullius libro tercio de officiis capitulo xxiiii. secundum illud Ennii: O fides apta premiis, id est fastigio templi. Nemo potest dici fidelis qui est infidelis suis, ut ait Egesippus ubi supra. Et quia non est uera amicitia nec uera uirtus nisi quam regulat uera caritas, ideo nec est uera fidelitas. Fideles enim in dilectione acquiescent illi, Sapien. iii. Amicus autem fidelis protectio fortis, Eccli. vi. Qui fidelis est permanet in tempore tribulationis, Eccli. xxii. Fidem posside cum proximo in paupertate illius. Et sequitur: In tempore tribulationis permane illi fidelis.

Capitulum septimum: Qualiter debet respublica salubribus consiliis dirigi

Consequenter sciendum quod respublica debet esse salubribus consiliis directa, eo quod ibi est salus ubi multa consilia, Prouerb. xxiiii. Unde et rectores reipublice antiquitus dicebantur consules a consulendo, ut dicit Augustinus v. de ciuitate dei capitulo xii. Ideo Tullius in libro de officiis capitulo xii.: Parua sunt arma foris ubi consilium deest domi. Unde ibi recitat quod consilium Salomonis plus profuit ciuitati Atheniensium quia ab eo leges eorum et instituta quam ualuit // uictoria Themistodis, quia bellum fuit gestum consilio senatus qui a Salomone erat constitutus. Et Seneca de tranquillitate animi post principium: Non is solum reipublice prodest qui tuetur et de pace belloque censet, sed qui iuentutem exhortatur, qui in bonorum preceptorum inopia uirtutem instituit, qui a pecunia luxuriaque mentes retrahit. Si enim moratur in priuato publicum tamen negotium agit. Et Tullius de senectute capitulo iii.: Quod dantes consilium in republica plus agunt quam alii. Nam sunt sicut gubernatores in naui. Alii enim in naui sentinam exhauriunt, alii cursant, alii malos extendunt. Ipse uero tenens clauum et quietus sedens in puppi multa maiora et meliora facit. Non uiribus aut uelocitatibus aut celeritate corporis res magne geruntur, sed consilio et auctoritate et sententia. Post concludit quod cum talibus senectus augeri solebat, quia apud eos uigebat consilium senum. In antiquis est enim sapientia, Iob xii. Unde et Roboam qui dereliquit consilium senum et adhesit consiliis iuuenum amisit regnum, quarti Re. xii. Senum enim consilium multum ualeat. Unde Valerius libro vi. capitulo ii. de illo qui respondit et minabatur quod haberet multos gladios. Respondit alius: Et ego multos annos, quasi diceret, te non timeo. Similiter consilio sapientum respublica augetur et regitur et conseruatur. Unde narrat Augustinus epistola xxiiii. scilicet ad Dyostorium Themistede philosopho, qui non curauit quod esset habitus indoctior cum canere in ymmis ac epistolis recusasset, ac ubi cum se nescire illa dixisset, eique dictum esset. Quis ergo nosti, respondit, rempublicam ex parua magnam facere, cum scilicet eius consiliis respublica cresceret. Quales autem debent esse

consiliarii in regimine reipublice dicetur infra ubi de senatu, id est collatione senatorum siue consiliariorum.

Capitulum octauum: Qualiter debet respublica uirtuosis morbis decorari

Et non solum respublica debet esse directa consiliis sed debet esse ornata moribus uirtuosis, secundum quod ait Augustinus recitans uerbum Ennii poete secundo de ciuitate dei capitulo ii.: Moribus antiquis res stat Romana uirisque. Quem uersum, inquit, uel breuitate uel ueritate tanquam ex oraculo quodam esse affatus mihi uidetur. Nam neque uiris ita grata et morata ciuitas fuisset, neque mores nisi hi uiri prefuissent, aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam iuste lateque imperantem rempublicam. Et sequitur: De uiris quid dicam. Mores enim ipsi interierunt uirorum penuria, // secundum quod ibi Augustinus recitat uerba Scipionis. Quales enim erant mores antiquorum narrat Salustius recitans Cathonis uerba Cathonis concionantis in senatu libro primo. Que uerba similiter recitat Augustinus v. de ciuitate dei capitulo xi.: Nolite, inquit, existimare maiores nostros armis rempublicam ex paruus magnam fecisse. Si ita esset multo pulcerrimam nos haberemus quippe sotiorum atque ciuium, preterea maior copia armorum et equorum nobis quam illis est, sed alia fuere que illas magnas fecerunt, que nulla nobis sunt, domi industria, foris iustum imperium. Animus in consulendo liber neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auariciam, publice egestatem, priuatam opulentiam, laudamus diuitias, sequimur inerciam, inter bonos et malos discrimen nullum, omnia uirtutis premia ambitio possidet; nec mirum ubi uos separatim quisque sibi consilium capitis et domi uoluptatibus, hic pecunie aut gratie semper seruitis, eo fit ut impetus fiat in uacuum rempublicam. Hec ille. Ubi ergo predicti boni mores sunt ibi merito respublica ordinatur, et ubi desunt deordinatur. Unde Augustinus primo de ciuitate dei capitulo xxxiiii. loquens de Scipione ait quod non censebat ille felicem esse rempublicam stantibus menibus et ruentibus moribus. Et idem libro secundo: Romam quidam periti quippe portam ueterem auctamque laboribus fediolem stantem fecerunt quam ruentem, quoniam quidem in ruina eius lapides et ligna, in istarum autem uita non murorum sed morum munimenta atque ornamenta ceciderunt, cum funestrioribus eorum corda cupiditatibus quam ignibus illius urbis tecta arderent. Hec ille. Et tamen ut ait idem epistola xi.: Aduersa et peruersa corda mortalium felices res humanas putant cum tectorum splendor attenditur et labes non attenditur animarum, cum theatrorum moles extruuntur et effodiuntur fundamenta uirtutum. Nam principes in republica sepe non student mores corrigere sed hominibus dominari, prout loquitur Augustinus ubi supra xix. capitulo, recitans abusionem talium: Reges non curant quomodo bonis sed subditis regnent, prouincie regibus non tanquam rectoribus morum sed tanquam rerum dominatoribus ex deliciarum suarum prouisionibus seruiant. Et istos bonos mores corrumpunt colloquia praua, prime Corinth. xv. Et quia bonos mores uel malos non faciunt nisi boni uel prauis amatores, ut ait Augustinus xxxiiii. epistola. Ideo non sunt boni mores in republica nisi ubi ordinati amores qui solum sunt in republica ecclesiastica siue in Dei ciuitate quam facit // amor Dei usque ad contemptum sui, prout ait Augustinus xviii. de ciuitate dei capitulo ultimo. Et e contrario desunt esse locus remediorum, ubi que fuerant uicia mores sunt, ait Seneca epistola viii. Mos enim est mentis habitus ex quo singulorum operum assiduitas manat. Et sic extendendo nonnunquam uirtutes dicuntur mores, ut ait Policratus libro v. capitulo iii. Unde et ex hoc

est deceptio multorum in republica existimantes prauos mores non esse uicia propter assiduitatem, prout ait Seneca libro de beata uita in principio: Argumentum pessimum turbe est. Queramus ergo quid optimum factum sit non quid usitatissimum, et quod nos in possessionem felicitatis eterne constitua, non quod uulgo ueritatis peruerso interprete probatum sit. Et ibidem: Nulla res nos moribus malis implicat quam quod ad rumorem componimur optima rari que magno ascensu recepta sunt, quodque exempla boni multa sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem uiuimus. Et ponit exemplum quod aliter est in uiis morum et in uiis pedum, quia in primis celeberrima uia maxime decipit scilicet quam ambulat multitudo. Similiter inquit in populo quando se premitit cadens alterum attrahit et primi excidium sunt sequentius, sic et in uita accidit scilicet quod cadentes in prauis moribus attrahunt alios et cadere faciunt. Ad quos mores corrigendos laborare debent rectores reipublice.

Capitulum nonum: Qualiter debet respublica recta intentione ordinari

Et non solum predicta sufficiunt nisi sit una et ordinata intentio omnium membrorum reipublice scilicet ut ipsa saluetur, prout ait Tullius iii. de officiis capitulo v. dicens quod unum debet propositum esse omnibus ut eadem sit utilitas uniuscumque et uniuersorum quam si ad se quisque recipiat dissoluetur omne humanum consortium siue omnis consociatio. Quando uero omnes intendunt communem utilitatem reipublice, nec aliquis uult nocere alteri propter commodum stabilis erit respublica. Unde ait ibidem quod non solum naturaliter iure gentium sed etiam in legibus populorum quibus in ciuitatibus singulis respublica continetur eo modo constitutum est ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hec enim spectant leges. Sic enim uolunt incolumen esse ciuium coniunctionem quam qui dirimunt eos morte, exilio, unculis, damno, coercent secundum leges. Unde et ait ibidem quod detrahare aliquid alteri, et alterius incomodum suum comodum augere, magis est contra naturam que mors que dolor et queque possunt corpori accidere. // Et hoc ideo quia tollit conuictum humanum et societatem que secundum naturam est. Et hanc intentionem habuerunt antiqui nobiles amatores reipublice, qui intendebant comodum alienum sicut suum, sicut recitat Tullius primo de officiis capitulo viii. quod ille terencianus tremens qui nihil humani a se alienum putabat. Et idem Seneca epistola xix.: Nihil quod est humanum alienum a me puto. Quod etiam recitat Augustinus xxxviii. epistola: Sapiens enim inquit Seneca qui nihil iudicat suum magis quam cuiusquam ille humano generi consors est, sed stulta auaricia mortalium possessionem proprietatemque decernit, nec quicquam credit esse suum quod publicum. Sunt enim sapientes similes soli et lune que omnibus lucent. Unde ibidem Seneca: Soli et lune plurimum debeo, et tamen non mihi uni oriuntur, imo curabant de republica post mortem sicut ante, ut ait Tullius de se loquens in libro de amicicia capitulo vii.: Non minoris cure mihi est qualis post mortem meam respublica fuerit quam qualis hodie. Paucis enim natus est qui populum sue etatis cogitat, prout ait Seneca xlii. epistola. Et ideo quedam ciuitates attribuerunt diuinos honores quibusdam ut excitarent alios ad sustinendum pro republica, ait Tullius libro tercio de natura deorum. Unde ait ibidem quod in plerisque ciuitatibus augente uirtutibus gratia, quo libentius reipublice periculum adiret, optimus quisque uiuorum fortiorum memoriam honorem deorum immortalium consecratam intelligi potest. Unde ex hac unanimitate et intentione communi existentium in republica, ipsa saluatur et conseruatur, et patet in exemplis sensibilibus. Terra enim immobiliter stat, eo

quod eius quilibet pars tendit ad unum, scilicet ad centrum, ut patet per Aristotlem secundo de celo et mundo. Item naus regulariter trahitur quando a uehentibus concorditer ducitur. Similiter acies proficit et uigoratur quamdiu concorditer tenetur, et sic in omni communitate. Et quia non est perfecta intentio ad unum in aliqua communitate nisi in unitate ecclesiastica, in qua queritur unum quod est necessarium. Et petitur ibi res una, scilicet habitatio superna in gloria. Ideo sola ecclesiastica respublica est perfecta, in qua quis non debet querere quod suum est sed quod Hiesu Cristi. Quod ostendit apostolus exemplo membrorum in corpore sibi inuicem ministratum, prime ad Corinth. xii. Quando igitur predictis modis respublica constituitur, gubernatur, et adiuuatur, salua erit.
//

Capitulum decimum: Qualiter respublica ex predictorum defectu destruitur

Ex predictis patet qualiter respublica dissipatur et dissoluitur, et sic destruitur ex defectu predictorum. Ex eisdem enim generatur res et corrumpitur ait Aristoteles ethicorum ii. Ex quo ergo respublica perficitur ex predictis defectu et carentia eorundem deficit et dissoluitur ut patet ex uerbis Cathonis supra. Similiter et hoc etiam ut non maneat color uel pictura in republica, prout ait Augustinus ii. de ciuitate dei capitulo xxviii. recitans uerba Tullii libro v. de republica: Nostra etas cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam sed euanescentem uetustate, non modo eam coloribus hisdem quibus fuerit renouari neglexit, sed nec id quidem curauit ut formam saltem eius extremam tanquam lineamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus quibus ille dixit rem stare Romanam, quos ita obliuione aboletos uidemus, ut non modo colantur sed etiam ignorentur. Et si ita fuit tunc, multominus est modo effigies uel color ubi omnes querunt que sua sunt non que Hiesu Cristi. Et de destructione reipublice loquitur Augustinus ibidem capitulo xix. dicens postquam enumerauit flagicia ludibria et scelera que fiebant in republica. Quis, inquit, hanc rempublicam non dicam Romano imperio, sed domui Sardonapoli comparauerit qui quondam rex ita fuit uoluptatibus deditus ut in sepulcro sibi fecit scribi, ea sola se habere mortuum quem libido eius consumpsit cum uiueret. Et hec mala in republica siue in mundo orta sunt ex ignaua, ociositate et libidinosa uoluptate, et pacis mala tranquillitate, prout ait Augustinus recitans uerba Scipionis primo de ciuitate dei capitulo iii.: Qui Cathone suadente ut Carthago destrueretur emula Romani imperii contradicebat Scipio, timens infirmis animis hostium securitatem, et tanquam pupillis ciuibus ydoneum tutorem necessarium uidens esse terrorem. Et hoc quidem reipsa probatum est, deleta quippe Carthagine et magno scilicet terrore Romane reipublice depulso et extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continua subsecuta sunt, ut corrupta diruptaque concordia respublica destructa sit. Que mala ibidem capitulo iii. enumerat: Qualia fuerunt scilicet ciuilia bella, libido dominandi, auaricie et luxurie et sic de aliis. Consimiliter loquitur Augustinus epistola quinta recitans uerba Salustii. Quod quando nec hominibus nec ipsis quos deos putabant, morum corruptorum et predictorum auaricia rapacitasque parcebat. // Tunc incepit perire laudabile illud decus salusque reipublice. Et inducit ibi uersus Iuuenalis: Nunc patimur longe pacis mala senior armis. Luxuriam incumbit uictam ulciscitur urbem. Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo paupertas Romana perit. Unde sequitur: Dolendum uiderunt prudentes scilicet plus paupertatem quam opulentiam periisse Romanam, in illa morum integritas seruabatur, per hanc non muros urbis sed metus ipsius ciuitatis dira nequicia omni hoste peior irrupit.

Qui ergo uolunt esse fideles reipublice studeant ut in rectis legibus regantur, iusticia ordinentur, et sic de aliis ut supra dictum est et a contrario caueant.

Capitulum undecimum: Quanta sustinuerunt et fecerunt antiqui pro salute reipublice

Consequenter considerande sunt exempla antiquorum et facta circa rempublicam agendam et conseruandam. Fuit enim in eis pia sollicitudo pro ipsa, fuit ad ipsam uehemens dilectio, et pro eius salute feruida emulatio terrenorum omnium contemptus siue despectio, terribilium et arduorum aggressio, periculorum et laborum perpessio, mortis libens susceptio, et necis suorum carorum sicut filiorum et cognatorum occisorum pro republica nulla lamentatio, et etiam fuit in eis moriendi ante destructionem reipublice omnimoda affectio, quia in illis uigebat solius reipublice salutis desideratio. Et de his pro parte in breuiloquio de uirtutibus. Unde narrat Valerius libro secundo capitulo iii. de Camillo qui precatus quod si alicui deorum felicitas Romana nimia uideretur, eius inuidia suo aliquo incommodo satiaretur. Et subito lapsu decidit quod omne ad damnationem qua postea oppressus est pertinuisse uisum est, et sequitur: Eque uirtutis est et dona patrie auxisse et mala in se transferre uoluisse. Et Valerius libro vi. capitulo vi. multum narrat de pietate antiquorum in patriam ubi ait: Restat ut patrie caritas exhibeatur, cuius maiestati etiam que deorum muneribus equatur auctoritas parentum uires suas subiecit. Superna quoque caritas animo equo ac libenter cedit. Et exemplificat de illis qui exposuerunt se morti pro republica. Unde narrat de quodam in cuius capite cum picus sedisset et affirmasset aurspices eo occiso fore reipublice statum felicissimum sueque domui miserrimum. Conseruato autem pico in contrarium utrunque cessurum, at ille picum in conspectu senatus // morsu suo necauit. Et idem narrat Vegecius libro octauo capitulo sexto. Iam et Valerius narrat de Aristotle libro quinto capitulo sexto quod cum esset supreme uite reliquias senilibus ac rugosis membris in summo literarum ocio uix custodiens, adeo ualent pro salute patrie incubuit ut eam hostilibus armis solo equatam in lectulo Atheniensium iacens manibus quibus erat eriperet. Et ibidem narrat de illis qui mira fecerunt pro republica: Si ut de codro qui se morti exposuit ut sui uincerent. Et de aliis similiter narrat ibidem. Similiter narrat Augustinus quanta fecerunt et sustinuerunt antiqui pro republica v. de ciuitate dei capitulo xviii. ut de illo qui precipitauit se in hyatum terre, cum esset dictum oraculis deorum ut illud quod Romani haberent optimum illic mitteretur. Et de Bruto qui filios suos occidit, qui fuerant contra rempublicam de quo poeta: Natos quoque pater noua bella mouentes, ad penam publice pro libertate necauit. Et de alio qui occidit filium suum licet pro patria pugnasset quia tamen contra imperium suum id est contra illud quod imperauerat, licet uicisset occidit ne plus mali esset in exemplo imperii contempti quam boni in gloria hostis occisi. Narrat etiam de alio qui Prosenam regem occidere non potuit, et pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante eius oculos dexteram extendit dicens: Multos se tales qualem ille uideret qui in eius exicium coniurassent, ut cuius ille fortitudinem et coniurationem talium pertimescens, a bello facta pace se compescuit. Et idem Seneca epistola sexta ... autem omnia contempserunt pro salute reipublice narrat ibidem ubi ait quod ipsi pauperes erant quorum diuitiis ... erant. Similiter narrat Tullius secundo de officiis capitulo ... quod omni Macedonum gaza qua maxime potitus est ... tantum in erarium pecunie inuexit, ut unius imperatoris preda finem attulerit tributorum, at tamen nihil attulit in domum suam preter memoriam nominis sempiternam, imitatus patrem Affricanum qui nihilo locupletior

factus est Carthagine euersa. ... non tamen copiosior cum ... urbem funditus sustulisset Ytaliam magis quam domum ... ornata domus ipsa uideretur ornatio. Non // enim diuicias reputabant suas, sed communicatis. Prout ait ibidem libro iii. capitulo v.: Eque solum nobis, inquit, diuites esse uolumus, sed liberis, propinquis, amicis et maxime reipublice. Singulorum enim facultates et copie diuitiarum sunt ciuitatis. Unde et antiqui non affectabant aliquos uiuere nisi qui uiuerent ad aliorum utilitatem, prout ait Seneca liiii. epistola quod etiam non sibi uiuit qui nemini uiuit. Hinc Iosephus uidens patrie ruinam in destructione ciuitatis Ierosolime Tyto eam obsidente cepit deflare quod euaserit, scilicet cum cecidisset percussus saxo super caput, eo quod dulce erat ei mori ante patriam, ait Egesippus libro vi. Ut enim ait Tullius primo de officiis ... Omnium enim societatum nulla grauior, nulla carior quam ea que cum republica est, unicuique nostrum cari sunt parentes, propinqui, liberi, familiares, sed omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus non dubitat mortem appetere si ei sit profectus. Unde et ibi concludit quod detestabilior eorum est immanitas, qui lacerant scelere patriam et in ea delenda funditus occupati sunt et fuerunt. Et idem Tullius in rethorica libro v. capitulo ii. Quod nullum periculum uitandum pro salute reipublice. Ut enim ait Valerius libro ii. capitulo i.: Fidum erat et altum reipublice pectus, curia silentique salubritate munitum et uallatum undique eius limen intrantes abiecta priuata caritate publicam induebant. Et ideo pro republica omnia sustinebant propter quod etiam nec planxerunt filios quando moriebantur pro republica maxime si uirtuose pugnarent, ut ait Crisostomus super Iohannem omelia lxii., arguens fideles qui plangunt mortuos quibus est spes resurrectionis. Unde ait quod gentiles possunt dirigere Christianos. Nam mulier quedam gentilis audiens de filio in bello cadente interrogauit qualiter res ciuitatis sunt disposite, quasi diceret: Si res ciuitatis salue sunt, non plango filium. Similiter narrat ibidem de alio qui cum esset coronatus, id est habens coronam in capite, quando audiuit quod pro patria filius ceciderat, auferens coronam, interrogauit uter duorum id est quis filiorum et coronam statim reposuit. Et de hoc eodem narrat Valerius plantis libro quinto in fine quod cum Genosen Solenne sacrificium perageret, et maiorem filium natum nomine Genillum in prelio cecidisse cognouisset, nec ideo cultum deorum institutum omittendum putauit, sed tantum modo deponere coronam contentus fuit, percunctatusque quomodo cecidiit // ut audiuit fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit coronam numina quibus sacrificabat testatus maiorem se ex uirtute filii uoluptatem, que ex morte amaritudinem sentire. Miris ergo modis afficiebantur ad rempublicam. Et ex consideratione istorum arguit beatus Augustinus v. de ciuitate dei capitulo viii. et post: Si isti talia fecerunt pro republica et omnia contempserunt, tot pericula sunt aggressi et horribilia mortis genera perpassi sunt, quid magnum est pro illa eterna celesti gloria cuncta seculi huius quelibet iocunda blandimenta contemnere, uel quomodo audebit quis de uoluntaria paupertate se extollere, uel pro Christo mortem timere, saluatore dicente: Nolite timere eos qui occidunt corpus, Mathei x. Unde et ibidem arguit quod si ipsi hoc fecerunt ex amore patrie et laudum cupiditate, prout loquitur poeta de eo qui occidit filios: Vicit amor patrie laudumque immensa cupido. Quid magnum est pro uera libertate que liberos facit a dominatu diaboli, non pro cupiditate humanarum laudum, sed caritate liberandorum hominum a demonibus scilicet est faciendum, et sic de aliis, prout bene concludit ibi Augustinus: Si enim ille pro republica, id est pro re populi, non redempti magno precio, scilicet sanguine Iesu Christi, nec regenerati sacramentis eius, nec uiuificati sua uita, nec effecti uel existentes ad modum corporis eius, nec preelecti ad

uitam eternam, nec heredes Dei aut coheredes Christi facti. Et pro salute temporali, non eterna, ex carnali amore patrie et laudum cupidine, nec ad meriti augmentum uel premii cumulum, nec ad animarum salutem uel Dei honorem tot et talia fecerunt. Quanta debent facere uiri ecclesiastici pro republica ecclesiastica, id est pro re populi redempti sanguine saluatoris, et electi ab eo, et sic de aliis de qua prima Petri ii.: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, et hoc caritate mouente, et augmentum meriti facientium, et ad cumulum premii, ad animarum salutem, et Dei honorem. Exemplo saluatoris suadentis quod animam suam ponat pro republica, sicut ait i. Petri i.: Christus passus est pro uobis relinquens exemplum et cetera. Et i. Ioh. Iii.: Sicut ipse animam suam pro nobis posuit sic et nos debemus pro fratribus animam ponere. Et secundum philosophos antiqui discendi studio impediti quos tueri debent deferunt, et nil conferant studii, nil operis, nil facultatum, sed in uite solacium, in alterum genus iniusticie incurrunt prout ait Tullius libro i. de officiis capitulo ii.: Multo magis qui deserunt rempublicam ... ut ait ibidem // capitulo vi. Preclare scriptum est a Platone: Non solum nobis nati sumus ortusque nostri partem patria uendicat partem amici, atque ut placet Stoicis que in terra gignuntur ad usus hominum omnia creari, homines ab hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii preesse possent. In hoc enim natura ducente debemus sequi communes utilitates in mundum, alias in medium afferre imitatione uel mutatione officiorum dando et accipiendo, tum artibus tum operatione tum facultatibus deuincere hominum inter homines societatem. Hec ille. Si ergo philosophi iudicabant hoc esse faciendum natura duce, multo magis debent fideles spiritu sancto inspirante et dirigente uiuere ad aliorum utilitatem ut nemo sibi uiuat, Romanorum xiii. Qualiter autem respublica debet disponi in se et in suis partibus et officiis docet Auicenna libro x. sue philosophie capitulo viii. ubi ait: Oportet ut institutendo leges hec sit prima intentio, scilicet ordinare in tres partes ciuitatem: in dispositores, ministros et legis peritos, et in uno quoque illorum ordine ordinetur aliquis prelatus. Et post hos ordinentur alii ut nullus sit in ciuitate qui non habeat aliquem statum laudabilem, ut scilicet ab unoquoque proueniat utilitas ciuitati. Et ideo prohibeat legislator ociositatem et uacationem, ne sit aliquis qui non obediat alicui. Sunt enim et homines compescendi, et qui non patiuntur compesci expellendi sunt a ciuitate. Et sequitur: Debet etiam prohibere ocia propter que amittuntur hereditates et ex quibus nulla utilitas prouenit ut non sit luctator uel aleator. Hoc enim excipit quod non prodest ciuitati. Sed oportet quod qui accipit afferat fructum alii. Item prohibere debent studia hominum que sunt contraria utilitatibus, sicut sunt doctrina furandi, rapiendi et decipiendi, prohibeant etiam acciones que si negligentur inducunt contrarium constructionis ciuitatis, sicut est fornicatio et consimilia, que retrahunt homines a coniugio quod est melius in ciuitate, nequis degeneret et eueniat patrimoniorum alienatio. Docet etiam ne proueniat diuorcium uel diuisio copule que est in coniugio et ibi bene de hiis: Sic enim ordinata ciuitate poterit quisquis uiuere pacifice quo ad se et fructuose quo ad alios et quisque possidere quod suum est. Et ob hanc causam maxime ut sua tenerent homines reipublice constructe sunt ciuitates. Prout ait Tullius secundo de officiis uicesimotercio capitulo: Nam et si natura duce congregabantur homines, tamen spe custodie suarum urbium presidia querebant, ut ait ibidem.

Capitulum duodecimum: Quod doctrina euangelica non repugnet reipublice

Et quoniam aliqui errauerant ponentes doctrinam euangelicam contrariam reipublice, sicut scribit Marcellianus ad Augustinum epistola quarta dicens, scilicet opponendo quod predicatio atque doctrina euangelica, reipublice moribus nulla ex parte conuenit, sicut a multis dicitur: Cuius preceptum est, ut nulli malum pro malo reddere debeamus, et percutienti maxillam, prebere aliam. Et pallium dare tollenti tunicam, et sic de aliis de quibus Mathei ii.: Nam quis tolli sibi ab hoste aliquid patiatur, uel Romane prouincie depredatori non mala uelit iure belli rependere. Et ad illud respondit Augustinus epistola v. ante finem dicens: Qui dicunt doctrinam Christi aduersam esse reipublice dent talem exercitum, et tales milites, tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales dominos et seruos, tales iudices et reges, tales debitores, tales redditores et exactores, quales precepit esse doctrina Christiana et audeant dicere eam aduersam esse reipublice. Ymo non dubitent confiteri magnam si ei obtemperetur salutem esse reipublice, quasi diceret si predicti essent tales in republica, euangelica doctrina eis optime conueniret, nec mirum cum talem rempublicam ipsa instituat. De qua post subdit Augustinus quod in ista obliuione morum pessimorum et ueteris perditae discipline, maxime uenire ac subuenire debuit celestis auctoritas, que uoluntariam paupertatem, continentiam, beniuolentiam, iusticiam atque concordiam ueramque pietatem persuaderet, ceterasque uirtutes, non tantum propter uitam istam honestissime gerendam, nec tantum propter ciuitatis terrene concordissimam societatem. Verum etiam propter adipiscendam sempiternam gloriam et salutem et sempiternam; cuiusdam populi celestem diuinamque rempublicam, cuius nos ciues efficit: fides, spes, caritas. Unde si tales essent ciues et alii omnes quales describit doctrina euangelica, nullus faceret malum alicui, nec tolleret tunicam alterius. Item alii errantes posuerunt multa mala euenisse reipublice post fidem Christianam, que tangit Marcellianus. Et ad que respondit Augustinus ubi supra dicens: Multa mala fuisse in republica, etiam ante fidem inducens uerba Salustii libro ii.: Urbe fuisse uenalem, etiam et mature perituram si emptorem inuenerit, similiter inducit uerba Iuuenalis: Seruabat castas, humiles, fortuna, lasciuias. Quandam nec uiciis contingi // praua finebat. Tecta labor somnique breues et uellere casto. Vexare dure que manus et proximus urbis. Hanibal et stante curia munita et cetera. Et ad hanc questionem respondit Augustinus de ciuitate dei libro v. capitulo v.: Et post recitans mala que uenerunt reipublice Romane ante fidem et cetera. De quibus supra dictum est a Salustio. Unde et idem Augustinus narrat libro iii. de ciuitate dei capitulo xxiii.: Rempublicam Romanam ita periisse et tot milites interfectos fuisse ab Hanibale quod ipse miserit tres modios plenos annulorum extractorum de digitis ipsorum in ciuitatem suam Carthaginem. Non ergo fidei Christiane debet imputari, si aliquando aduersa reipublice contigunt, sed magis peccatis hominum inobedientium doctrine euangelice et transgredientium eius mandata, prout ait Augustinus in tractatu de excidio urbis quod Deus permisit flagellari multos in excidio urbis, quia seruus sciens uoluntatem domini et non faciens uapulabit plagis multis, Luce. xii. Et ponit exempla: unam tribulam sentit area, ut stipula scindatur, granum mundetur, unum ignem fornax ut palea in cinerem pergat, aurum sordibus careat. Sic tribulationem Roma pertulit in qua uel emendatur uel liberatur pius uel damnatur impius. Fides ergo non nocuit reipublice sed multum profuit, nec propter fidem Christianam fuerunt puniti, sed propter peccata propria ut dictum est. Unde huius erroris improbabilitas patet per se. Dicere enim peius esse illis cum quibus est Deus, et melius esse illis cum quibus non est Deus improbabilis error est, sicut ait Iosephus concionando ad Iudeos. Et prout ait Egesippus libro sexto: Vos, inquit, deseruit Deus, quia uos pietatis

cultum deseruistis, presidium speratis diuinum, sed qui uos defendebat, ad hostem migrauit, quia quod colebatis Romani uenerantur, nos offendimus. Et inducit auctoritates scripturarum: Non enim in multitudine populi sed in timore Domini Abraham penetrauit Egiptum, dormiebat Abraham et torquebatur Pharao, Genesis uicesimoprimum. Sic de Isaac, sic de Iacob contra Esau, sic Moyses contra Egiptios orabat, non dormiebat, sic de Iosue, Gedeone, Ezechia. In oratione ergo meliora arma quam in uirtute. Non enim in multitudine exercitus belli uictoria, sed de celo fortitudo, primo Machabeorum tercio. Cum ergo fuit Deus sic cum illis qui recte credunt, dicere quod peius esse hominibus post fidei susceptionem quam ante, irrationabilis error est, Iudith undecimo. // Si Deus nobiscum est cur apprehendunt nos hec omnia scilicet mala, quasi dicatur, mala non apprehendunt eos cum quibus Deus est.

[Distinctio secunda prime partis]

Capitulum primum de informatione principis in republica quomodo princeps est ad modum capitis

Premissis rationibus instruendi habentes curam reipublice et conferendi cum eis. Consequenter procedendum est, summo magistro dirigente, ad informationem et instructionem partium eius siue membrorum. Quia ut tactum est supra, respublica est secundum Plutarcum, corpus quoddam quod diuini nominis muneris beneficio animatur et summe equitatis agitur nutu, et regitur quodam regimine rationis, in quo corpore quomodo princeps optinet capitis locum, uni subiectus Deo, et etiam eis qui vicem eius agunt in terris, quomodo qui cultum Dei et religionis instituerunt et informant, vicem anime in corpore reipublice obtinent, et ergo ab eis totum corpus uegetatur et regitur. Et de isto corpore similiter ait Amenus Florus loquens de Romulo in principio hystorie Romanorum quod ex uariis quasi elementis congregauit et unum corpus populum Romanum effecit. Et quomodo in isto corpore princeps est ad modum capitis, ut dictum est. Et sicut dicitur primo Regum secundo, Cum esses paruulus in oculis tuis, caput factus es in tribubus Israhel, ait Samuel ad Saul. Et Hugo de sancto Victore libro viii. capitulo v: Terrena potestas caput habet regem, spiritualis summum pontificem. Et merito per caput significatur. Quia sicut caput membris omnibus supra positum est, et omnium regituum et in sublime erectum, sensibus omnibus dotatum, et singulari uenustate effigiatum, prout loquitur Ambrosius in exameron ultima omelia dicens: Caput super reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, prestantissimumque esse tanquam inter elementa celum, tanquam arcem inter cetera urbis menia. In hac arce quandam regalem inhabitare sapienciam secundum dictum propheticum: Oculi sapientis in capite eius, hance esse ceteris tutiorem, ex illa omnibus membris uigorem prouidentiamque deferri. Quid enim ualiditas lacertorum, quod ualiditas laterum, quid uelocitaspedum, nisi capitis uelud principis sui imperialis, quodam aminiculetur potestas. Ex hoc enim aut destituuntur uniuersa aut omnia falciuntur et sequitur maior humani capitis ornatus qui cerebrum nostrum // sedemque originemque nostrorum sensuum, capillis munit ut uestit. Illic enim fides uniuersorum est, cum caput uides hominem cognoscis, sed si caput deest nulla cognitio adesse potest, iacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine. Unde et ibi postea concludit: Non immerito huic quasi cultori suo, membra cetera famulantur, et circumferunt illud seruili gestamine sicut numen atque in sublimi locatum uehunt illud.

Videas enim imperatori suo, singula gratuito stipendio militare, alia portant, alia pascunt, alia defendunt, uel ministerium suum exhibent, parent, et principi ancillantur, ut domino. Hec ille. Merito ergo ob dictas elegantes capitis prerogatiuas, princeps dicitur caput populi, qui debet esse talis quale caput in corpore humano, et cui deseruiant singuli, sicut et capiti membra. Unde princeps est potestas publica, et in terris quedam diuine maietatis ymago, ait Policratus libro iiii. capitulo i. Ideo et anime regenti corpus comparatur, prout ait Seneca libro i. de clementia capitulo v. ubi loquens de imperatore ait quod quemadmodum totum corpus animo deseruit, tanto magis tanto specialibus quanto speciosus ille in occulto manet, et tamen manus pedes oculi, negocium illius gerunt. Sic et immensa multitudo unius anime circumdata est, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur. Et hoc idem dicitur princeps basis populi, Iob viiii. Sub quo curuantur qui portant urbem. Unde Gregorius moralium viiii. quod princeps non incongrue Greco eloquio basileos dicitur quod Latina lingua basis populi interpretatur. Quia ipse super se populum domino sustinet, qui motus illius potestatis pondere fixus regit. Multum ergo necessarium est principi sub quo comprehenditur omnis dominatio in republica sibi commissa ut sit uirtutibus peditus; prudentia expertus moribus probus eminentior in hiis populo quem regit. Cum in brutis animalibus uigore preualentiora presint, ut ait Seneca epistola ix. dicens exemplum quod primi mortalium et ex hiis geniti naturam incorrupti sequebantur, eundem habebant ducem, et legem commissi melioris arbitrio. Natura enim est potioribus deteriora submitti ut in iumentorum quidem gregibus aut maxima corpora presunt, aut uehementiora non precedit armenta degener thaurus [degenus taurus], sed qui magnitudine corporis ceteros malos uincit. Elephantum greges maximus ducit, inter homines maxime est proximum, optimum animo, itaque rector eligebatur. Ideoque summa felicitas erat gentilium, in quibus non esse potentior non nisi melior. Hec ille. Et huic concordat illud quod dictum est de Saule, primo Regum decimo, ait Samuel: Videtis quem elegit dominus quod non sit similis ei in omni populo. // Quando ergo talis est princeps, merito potest caput populi dici. Omnis autem princeps est admonendus de cauenda ambitione principandi uel dominandi. Est enim cauenda libido principandi siue presidendi.

Capitulum secundum: Quod dominatio non est ex libidine ambienda

Ad presens autem notandum quod non est appetenda multum potentia principandi siue dominatio ob utilitatis modicitatem, ob uere bonitatis in ea paruitatem, ob incommoditatis multitudinem, ob eius momentanea breuitatem. De quibus omnibus loquitur Boecius eleganter ii. de consolatione capitulo vi.: Quid, inquit, de dignitatibus potentiarum disseram quas celo equatis et cetera. Et sequitur quod ita fit ut non uirtus ex dignitate sed ex uirtute dignitatis honor accedit. Que uero est ista uestra spectabilis et preclara potentia, nonne terrena animalia consideratis. Num si inter mures uideretis murem aliquid ius sibi ac potestatem pre ceteris uendicantem, quanto moueretis catto. Quid uero si corpus spectes, inbecillius reperire queas, quos sepe mustelarum morsu insectata quoque reptantium necat interitus. Ex quo concludit quod non potest quis uim exercere nisi in solum corpus cum animus sit liber. Et exinde arguit quod si dignitatibus et potestatibus inesset aliquid naturalis et proprii boni, nunquam pessimis prouenirent. Non enim solent aduersa sociari. Et natura respuit ut contraria queque iungantur, itaque cum pessimos scilicet plerumque dignitatibus fungi uidetis; dubium non est illa in natura sua non esse

bona que pessimis inherere patiuntur. Et libro iii. capitulo iiii.: De hoc enim eleganter ubi probat quod dignitas siue honor nihil habet ex se uirtutis aut probitatis, nec in eis est propria uis hominum sed fallax annectit opinio. Et ideo per umbrales dignitates, dubium non est posse consequi reuerentiam, cum etiam in dignis malum dedecus addiciant eo quod minus paterent eorum indignitates, si nullis honoribus inlarescerent. Et concludit quod cum eo abiectior fit quisquequo magis a pluribus contemnitur, cum dignitas reuerendas facere nequeat improbos quos pluribus ostentat despectiores potius dignitas facit. Et hoc merito reddunt enim improbis dignitatibus parem uicem quas sua contagione commaculant quasi diceret sicut ipsi deturpant dignitatibus sic econuerso. Et ponit exemplum quod Catulus poeta nomium // sedentem in ciuili id est iudiciaria sella, stramenum appellat id est Gipposum uel tumosum. Erat enim nonius iniquis consul Romanus et similiter loquitur Berhardus ii. ad Eugenium dicens: Symea in tecto, rex fatuus in solio sedens et loquitur congruenter. Sicut enim Symea quanto plus ascendit, tanto euentius patent sue turpitudines, sic quanto plus subleuatur in dignitatibus indignus, tanto euentius manifestantur sue indignitates. Unde recitat Hieronimus epistola ultima quod ait Tullius de cesare cum quosdam scilicet indignos ornare uoluisset, non illos honestauit sed ornamenta ipsa, scilicet dignitates turpauit, ob eorum indignitatem. Rectus enim ordo est ut per uirtutes quis transeat ad honores. Ut enim ait Augustinus v. de ciuitate dei capitulo xiii.: Coniuncte erant edes honoris et uirtutis que pro diis uel pro deabus habebantur, et per edem uirtutis fiebant transitus in edem honoris ad significandum quod per uirtutem quis debet peruenire ad honorem et imperium, non per fallacem ambitionem, ut ait ibidem. Item non sunt ambiende potestates dominandi ob multitudinem sollicitudinum et inquietudinum curarum et dolorum, qui tales concomitantur, sicut extrahitur a Boecio ibidem: Que, inquit, est hec potestas que sollicitudinum morsusque formidinum aculeos uitare nequit. Vellent enim ipsi secure uixisse sed nequeunt an potentem censes que uideas uelle quod non poterit efficere. Qui satellite id est collectione exercitus latus ambit qui quos terret ipse plus metuit, qui ut potens esse uideatur, in seruientium manu situs est. Ut enim ait Tullius libro v. de officiis capitulo vii.: Etenim qui se metui uolunt a quibus metuuntur eosdem metuunt ipsi necesse est. Et ponit exemplum de Dyonisio tyranno qui crutiato timoris angi solitus in tantum quod cultros tonsoris metuens, candente carbone, adurebat capillum, quia non audebat pre timore permitti ab aliquo radi barbam sic adurebat. Et de hoc exemplificat Boecius. Et de hoc eodem Tullius libro secundo ubi supra. Similiter exemplificat Tullius de Alexandro Sergio qui non audebat intrare uxoris cubiculum, antequam unus de satellitibus distracto gladio anteiret, et scrutaretur arculas muliebres ne aliquid telum occultaretur, qui tamen ab ea interfectus est propter bellicantis suspicionem. Et de aliis narrat Valerius libro vi. ante finem ubi ait quod Masmisma rex parum fidei in pectoribus hominum reponens salutem suam canum custodia uallauit. Unde quamuis ipsa potestas a Deo sit. Omnis enim potestas a Domino Deo est, Romanorum xiii. Et ipsa bona sit in genere suo, id est qua quis potest bene uti et ad bonum non tamen est ita bona quod faciat bonum habentem eam, nisi ex gratia et uirtute sit bonus. // Sicut probat Boecius ubi supra dicens quod non est in dignitatibus propria uis hominum sed fallax annectit opinio ut dictum est quia si esset in eis naturaliter munus, nullomodo ab illo cessarent, sicut ignis ubique terrarum nunquam tamen calere desistit, prout ibi exemplificat. De miseriis autem ambientium dominium narrat Seneca epistola x. capitulo viii. dicens quod ut uincerent hostem cupiditate sunt uicti, nec ambicioni uel cupiditati restiterunt. Et cum augere uidebantur

alios, augebantur. Augebat, inquit, infelicem Alexandrum furor aliena fastandi et ad ignota mittebat. Et de cesare loquens ait quod ambicio et multiplex modus super alios eminendi, scilicet augebant eum. Tamen potestates dominationum concomitantur, non solum predicta sed etiam pericula spiritualia animarum, prout Gregorius moralium 26. exponens illud Iob 31.: Deus potentem non abicit. Unde, ait, magna est potentia temporalis que habet apud Deum meritum suum de bona administratione regiminis, nonnunquam tamen eo ipso quod preeminet ceteris, elatione cogitationis intumescit. Et dum foris immenso fauore circumdatur, intus ueritate euacuatur, atque oblitus sui, in uoces se spargit alienas, talem que se credit, qualem se foris audiuit, non qualem intus discernere debuit, subiectos despicit eosque equales sibi nature ordine non cognoscit. Cunctis se existimat amplius sapere quibus se uidet amplius posse. Et ponit exemplum quia rectum iter sepe pergimus et tamen artis iuxta uiam uepribus, per uestimenta retinemur in uia si non offendimur. Sed a latere nascitur quo pungamur. Et ideo ibi concludit: bona nanque est ordine suo potentia, sed cauta uia regentis indiget uita. Cuilibet ergo siue sit bonus siue malus, periculosum est appetere potestatem dominationis. Quia ut ait ibi Gregorius, humana mens pleunque extollitur, etiam cum nulla potentia fulcitur, quanto magis in altum se erigit cui se poteatas adiungit. Quam breuis est autem talis potestas, ait Ecclesiasticus x. Omnis potestas breuis uita, Iob 23. Eleuati sunt ad modicum et non subsistunt. Super quod Gregorius moralium 17. de illius breuitate dicens quod ex quo uita hominis est uapor ad modicum apparens, Iacobi 4. Et omnis caro fenum et omnis gloria eius quasi flos agri, Ysaie 40. Restat quod potestas temporalis breuis est et gloria carnalis que dum inter cadit, et dum aput se extollitur, repentino fine terminatur. Unde est quasi stipula que in altum rapitur et quasi sumus qui ad nubila extollitur qui se erigit. Et sicut ros qui subito desiccatur, et sicut spumose aquarum bulle que omnia excrescunt // ut appareant, crescendo tamen pereunt nec subsistunt, ait ibi Gregorius. Sic est de potentia temporali ut ibi aptauit, Sapientie v. Quid nobis profuit superbia, quid diuitiarum iactantia. Sequitur transierunt omnia sicut umbra, hanc modicitatem potentie debent cogitare principes, et quod non sunt domini rerum ueraciter sed uocaliter. Exemplo regis laruati de quo narratur in quadam hystoria quod cum floreret in maximo uigore imperii sui, sedile suum in littore maris ascendentis statui iussit. Et alloquens mare ait: Impero tibi ne ascendas terram meam, nec uestes uel membra dominatoris tui madefacere presummas. Nihilominus tamen mare ascendit, et terram ac pedem madeficit. Quo facto ille resiliens ait: Sciant omnes habitatores urbis uanam et friuolam esse potentiam regum, nec regis quempiam nomine dignum preter eum cuius nutui celum et terra ac mare obediunt. Et nunquam postea ceruici sue coronam auream imposuit, sed super imaginem saluatoris in cruce eam posuit in laudem regis eterni, cum tamen esset rex Normandie uel Norwegie, Dacie et Anglie. Unde rex Xerses cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem exercitum uidisset, fleuisse legitur, ex eo quod post centum annos nullus eorum quos tunc cernebat, superfuturus esset. Sicut recitat Hieronimus epistola mcxv. Et idem Valerius libro ultimo ante finem: Mihi uidetur spem aliena suam conditionem deplorassee, tam opum magnitudinem quam alcioris sensus felicitatem. Ob predicta pericula et multa alia antiqui non solum non ambiebant potestates dominationum, sed etiam fugiebant, uel coacti accipiebant, et hoc ex reipublice utilitate, ut narrat Egisippus libro iiii. de Vespasiano qui cum esset in obsidio Ierusalem et uenisset rumor Neronem esse occisum et Gayum interfectum qui fuit occisus septimo mense a die assumpte potestatis, tunc uiri ueteris

milicie elegerunt Vespasianum ut susciperet rogantes scilicet imperium. Ille uero cepit obnuere et se indignum dicere. Illi uero instabant, ille uero resistebat perseuerantius quoque reluctantes armati circumsistunt gladiis mortem minantes. Qui aduertens sibi discrimen imminere si resisteret et graue periculum si refugisset, ita potius cessit imponentibus quam accepit uoluntarius quod alii ambire solent, urgebant milites, suadebant duces, curam plus que honorem inducunt. Similiter narrat Valerius libro vii. capitulo secundo quod res subtilis iudicii cum ferrent sibi traditum dyadema priusquam capiti imponeret diu retentum considerasse et dixisse legitur: O nobilem magis quam felicem pannum quem // si quis penitus agnoscat quam multis sollicitudinibus, periculis et miseris sit refertus, nec humi iacentem tollere uelit, quasi diceret: Si quis consideraret pericula et sollicitudines annexas potestati ipsam oblatam non acciperet. Et de hoc Valerius libro v. capitulo vi. narrat de quodam egrediente portam in cuius capite subito corona erupit responsumque est ei, regem fore si in urbem reuertisset quod ne accideret uoluntarium, et perpetuum sibi induxit exilium cuius testante Dei gratia, capitis effigies, eree porte qua exierat inclusa est. Principes enim antiqui agebant gratias quando eorum potestates minuebantur, prout narrat Valerius libro iiii. capitulo i. de quodam qui cum Asiam et uicinas gentes amisisset, gratias egit pro eo quod a magna nimis procuratione est liberatus, et quod modicis terminis regni uteretur. Sic pre omnibus rex regum et dominus dominantium ac princeps regum terre, exemplum euidens et efficax dedit fidelibus ne ambirent temporalem potestatem quando, cognoscens quod ueniebant ut raperent eum et facerent regem, recessit in monte, Iohannis vi., super quod Crisostomus omelia xii.: Christus fugit erudiens nos fugere mundanas dignitates. Et sequitur: Venit enim erudiens nos contemnere que hic sunt et nunquam stupere, id est admirari que in hac uita sunt clara, sed deridere omnia hec et tantum futura amare. Unde ait Christus quod gloria in hominibus est ut flos feni et qui tribuunt eam umbra somni sunt uiliores.

Capitulum tercium: Quod ordinate et latius dominatio est assumenda

Et quamuis dignitates potestatum et principatum non sint appetende ex libidine dominandi, sunt tamen assumende ex intentione obediendi Deo et ecclesie, modo debito et ordinato. Sunt enim principes et domini instituendi legitima auctoritate. Quod contingit quadrupliciter: uel diuina ordinatione et prouisione, uel ecclesie collatione ex diuina auctoritate, uel paterna et a legitima successione, uel militum seu populi unanimi electione. Fuerunt enim reges assumpti ad gubernationem populi Dei diuina ordinatione et preceptione, ut de Dauid primo Regum decimosexto. Unde et Moyses orauit ut Deus prouideret hominem super multitudinem populi, qui possit exire et intrare ante eos, Numeri uicesimosecundo et cetera. // Item principes assumuntur ad gubernationem populi Dei ab ecclesia, diuina auctoritate. Unde et Moyses uocauit Iosue et dixit ut introduceret populum, Deutro. xxxi. Et in ministerio Samuelis unxit dominus Dauid in regem ut dictum est in figura quod Dei uicarius scilicet ecclesie prelatus confert principatum et potestatem et regnum populi, prout iusticia exigit et ecclesie utilitas. Item fuerunt principes gubernantes populum Dei paterna successione ut Salomon, 3. Reg. i.: Sedit, inquit, Salomon super tronum Dauid patris sui. Hoc enim promisit Dominus regi iuste gubernanti populum suum, Deutronomii xvii., ut scilicet filius eius regnaret. Item fuerunt principes antiquitus assumpti ad regimen populi unanimi militum uel populi electione, sicut Vespasianus de quo dictum est. Et alii multi imperatores Romani et consules. Prout

ait Valerius libro iiii. capitulo iii. quod ab aratro accipiebantur et accersiebantur ut consules fierent. Ut narrat Actilium quem semen spargentem uiderunt qui missi erant a senatu ad eum accersendum et ad populi Romani imperii suscipiendum. Sed ille rustico opere attrite manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessunderunt. Qui de modo arantium bonum iugum rexerant, triumphalis currus haquenas retinuerunt, nec fuit huic rubor eburneo sceptro deposito agrestem stipitem aratri repetere. Similiter narrat ibidem de Quincio tyrannico de quo narrat similiter Augustinus v. de ciuitate dei capitulo xviii. quod cum quatuor iuga possideret et ea suis manibus coleret, ab aratro fuisse abductum ut ductatur fieret, maiori utique honore quam consul uictis hostibus ingentem gloriam consecutum in eadem gloria mansisse. Et de consimilibus narrat Valerius ubi supra ubi reddit rationem talium electionum dicens patrie rem unusquisque non suam agere properabat, pauperque in diuite quam diues in paupere uersari malebat. Et de huiusmodi electione narrat Solinus libro xi. capitulo iiii. loquens de inhabitantibus quandam insulam: In regis, inquit, electione non nobilitas preualet sed suffragia uniuersorum. Populus enim eligit spectatum moribus inueteratum clementia, etiam annis grauem. Sed hoc in eo queritur cui liberi nulli sunt; nam qui pater fuerit etiam uita si spectetur, non admittitur ad regendum. Et si forte dum regnat Poignus sustulit, exiuit potestate. Ideoque maxime custoditur ne fiat hereditarium regimen. Deinde etiam si rex maximam preferat equitatem, nolunt ei totum licere xl. rectores accipit ne in causis capitis solus iudicet quenquam. Si quoque // displicuerit aduocatur iudicatus ad populum atque ita datis iudicibus xl. fertur sententia cui necessario acquie scitur. Cultu rex dissimilia ceteris uestitur symario habitu, quo liberum patrem amiciri uidemus, quod si etiam in peccato aliquo arguitur morte mulctatur, non tamen cuius quam atteritur manu, sed consensu publico rerum omnium interdicta facultate, etiam colloquii potestas omnino punito negatur. Hec ille. Omnibus his modis electi ad regimen populi dum assit ecclesie consensus, et auctoritas ex Deo regnant. Prouerbiorum viii.: Per me reges regnant, per me principes imperant. Nec obuiat quod dicitur Osee octauo: Ipsi regnauerunt et non ex me principes extiterunt et non cognoui. Potestas enim principandi ex Deo est, sed prauitas regiminis a male imperantibus. Omnis enim potestas a Domino Deo, Romanorum xiii. Et Iohannis xviii.: Non haberes in me potestatem nisi data esset tibi desuper. Dicuntur tamen mali ex Deo regnare et non cognosci a Deo, eo quod non eos approbat sicut exponit Gregorius moralium xxv. Scit enim Deus sinendo sed nescit reprobando, ait ibidem, nec est imputandum diuine ordinationi quod mali regnant, sed subditorum prauitati. Ipse enim facit regnare hominem ypocritam propter peccata populi, Iohannis tricesimo octauo. Super quod Gregorius ubi supra: Qui talem patitur rectorem, eum non accuset quia nimirum sui fuit meriti peruersi rectoris subiacere editioni. Culpam ergo proprii magis accuset operis quam iniusticiam gubernantis. Dabo, inquit, reges in furore meo, Osee xiii., scilicet ob meritorum prauitatem ob peccantium penam. Unde patienter debent etiam fideles sustinere talium persecutionem. Legitur enim quod Achilla in persecutione Romanorum interrogatus a quodam sancto episcopo incluso in ecclesia, quis esset? Respondit: Ego sum Achilla flagellum Dei et sanctus episcopus ueneratus diuinam maiestatem. Bene, inquit, ueniat minister Dei. Et ingeminans illud benedictus qui uenit in nomine Domini, reseratis ecclesie foribus, persecutorem admisit, per quem fuit palmam martirii assecutus. Nouit enim flagelli potestatem esse a Deo, et quod Deus flagellauit omnem filium quem diligit, Hebreorum xii. Ideo flagellum uel flagellantem non exclusit sed gaudenter admisit. Et huiusmodi principantes super ecclesie ministros de manu

ecclesie accipiunt gladium. In ipsa enim ecclesia sunt duo gladii, Luce xxii., quorum uno utitur per principis manum cui corporum cohercendorum confert potestatem, alterius gladii scilicet spiritualis in pontificibus auctoritate sibi reseruata. // Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est uindex in eum qui male agit, Romanorum xiii. Exercet enim officium quod non conuenit sacerdocii manibus, Dei tamen et ecclesie auctoritate iure in omnibus obseruato et cetera.

Distinctio tertia [prime partis]

Capitulum primum de uirtutibus principandi quod princeps assumptus est ad sollicitudinem et laborem

Et quocunque modo predictorum fuerit institutus princeps assentire debet diuine electioni et ordinationi, non ex libidine acquirendi predia et comoda propria, nec ex libidine principandi, nec libidine uolupandi et lasciuendi, nec ex libidine uindicandi. Sed debet assentire Deo et ecclesie. Et principatum assumere cum timore et tremore, et cum cordis humilitate ac recta intentione, ut scilicet sit obediens Deo et ecclesie et ad exquendum utriusque imperium, ad Dei honorem et populi commoditatem, mala cohibendo, bona iubendo, quia ut ait Augustinus libro iii. ad Crisosti.: In hoc seruiunt Deo reges, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum que pertinent ad humanam societatem, sed que ad diuinam religionem, nec sunt assumpti ad quietem cordis uel corporis, sed ad magnam sollicitudinem et laborem, dum perfecte fecerint sua officia. Unde narrat Macrobius libro i. capitulo xvi. de Dyonisio tyranno quod cum quidam familiaris uitam suam estimaret beatam, uolens ille quam perpetuo metu misera esset ostendere, et quam plena periculorum gladium euaginatam a uagina de filio tenui pendentem capiti illius inter epulas eminere fecit. Ille autem inter epulas mortis periculo grauatur, nec eum delicie consolabantur. Talis, Dyonisius inquit, est uita mea quam beatam putas. Sic enim mortem nobis presentem uidemus. Quomodo ergo felix esse poterit qui timere non desinit, ut ait ibidem et idem Tullius libro quinto questionum post medium. Qui enim preest in sollicitudine, Romanorum duodecimo; insuper sic uocati ad principatum, uocati sunt ad magnam seruitutem et quasi ad quandam captiuitatem. Iob xxvi.: Gigantes gemunt sub aquis, super quod Gregorius moralium xviii.: Nomine gigantium potentes seculi significat. Aque enim populi sunt, Apocalipsis decimoseptimo. Gigantes ergo gemunt sub aquis quia elati, dum in hac uita honorem assequi cupiunt, sub ponderibus populorum gemunt. Nam quanto // quis altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur eisque populis mente et cogitatione subponitur quibus subproponitur dignitate, ut ait ibidem. Preterea magna captiuitas uidetur iugiter circumcindi propter populi multitudinem et quasi circumligari quod accidit principibus, prout dicit Seneca libro i. de clementia capitulo viii. loquens ad imperatorem: Possum, inquit, in qualibet parte urbis incedere solus sine timore, quamuis nullus sequatur comes, nullus ad latus gladius. Tibi in tua pace armato timendum est; obsidet te et quocunque descendas magnus apparatus sequitur. Et hoc summe magnitudinis seruitus est; unde et Plato cum uidisset Dyonisium corporis sui septum custodibus Plato querit a Dyonisio: Quid egerit ut sic custodiebatur? Quid, inquit, mali fecisti ut a tam multis necesse habeas custodiri? Prout dicitur in policrato libro iiii. capitulo iiii.: Et ideo necesse est quod sint uirtuosi et uiribus ualidi qui in talibus dignitatibus instituuntur, propter quod de Saul dicitur quod fuit altior uniuerso

populo ab humero et sursum, primo Regum x., et Delyus imperator, prout dicitur in policrato libro iiii. capitulo xii. cum obsecrante senatu ut filium cesarem appellaret: Sufficere, inquit, debet quod ego ipse immeritus regnauerim cum non meruerim. Principatus enim non sanguini debetur sed meritis et mutiliter regnat qui rex nascitur nec meretur.

Et proculdubio perentum affectum exuunt qui paruulos suos superiecta mole impartabili extinguunt, hoc est suffocare liberos non promouere. Alendi enim prius sunt et uirtutibus exercendi et cum in eo profecerint ut probentur illos uirtutibus antecedere, quod debent honore anteire, multi ascendant et se ciuium suorum nequaquam subtrahant uotis. Hec ille. Nec repugnat quod ait principatus non debetur sanguini, quod dictum est supra. Quod principes succedunt patribus quia ratione sanguinis et carnis non debetur principatus siue uiuentibus secundum appetitum carnis, debetur tamen ratione carnis et sanguinis obedientibus Deo et mandatis eius.

Capitulum secundum: Quod princeps debet esse humilis Deo et ecclesie

Qualis autem debet esse princeps uel rex describit Dominus eleganter Deutro. xviii. cum inquit: fueris constitutus rex, non multiplicabis equos, non habebis uxores plurimas, et sic de aliis que enumerantur ibi ex qua auctoritate potest quod debet esse in eo humilis et obediens respectum Dei et ecclesie Deum pie colendo, ecclesiam et ministros eius deuote honorando. // Item debet esse in eo quo ad se perfecta sanctimonia uel sanctificatio et respectu aliorum pia clementia ad recte regendum, diuinarum legum solers intelligentia, et in regnando perfecta iusticia, respectu omnium larga munificentia in se et factis ac dictis suis longaminis patientia. De primo patens est quia ut dictum est supra Dei et ecclesie minister est. Et ideo merito utrique humilis esse debet. Unde beatus Gregorius in registro libro v. hortans Mauricium imperatorem ad debitam reuerentiam ministris ecclesie Dei exhibendam ait: Non indignetur sacerdotibus Dominus meus sed excellenti consideratione propter eum cuius sunt serui eis famuletur, et debitam reuerentiam impendat quia illi in diuinis eloquiis dii aliquando nominantur. Exodi xvii.: Diis non detrahes. Malachie v.: labia sacerdotis custodiunt scientiam. Unde Constantinus ait: Non est dignum ut nos Deus iudicemus. Quid mirum si uestra pietas illos dignetur honorare quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos angelos aut deos etiam ipse Deus appellet, unde et ibidem. Cum Constantino principi scripture oblate abhominaciones contra episcopos fuissent libellos accusationis accepit quos in eorum conspectu incendit dicens: Vos dii estis a Deo uero constituti in uos causas uestras disponite quia dignum non est ut nos iudicemus deos. In qua sententia ait Gregorius: Plus sibi ex humilitate quam illis prestitit ex reuerentia impensa. De admirabili autem humilitate eius erga Deum et ecclesiam dicitur libro primo hystorie tripartite quasi per totum, ubi dicitur quod cum esset multitudo episcoporum numerum ecclesiarum excedens, omnibus tricentis imperator diebus quotidianis cibaria exhiberi largissime ordinauit. Et cum unus uellet culpam alium, precepit ut uno die libellos omnes sibi traderent, quos suscipiens ait: Hee quidem allegationes tempus habebunt et iudicem, diem scilicet iudicii, et illum qui iudicaturus est omnes, mihi non licet de huiusmodi habere auditorium, scilicet sacerdotum accusantium et accusatorum quos minime conuenit tales debere monstrare hiis qui ab aliis iudicantur. Imitantes ergo diuinam clementiam in alterutro ueniam, accusationes aboleamus

alterutras, et de hiis que ad fidem pertinent agere studeamus cuius gratia uenimus et omnes libellos iussit cremari. Et sequitur conuenientibus quidem scilicet episcopis, maximam domum parauit ibi imperator in regalibus sedibus, et subsellia in ea poni precipiens, intrauit ipse cum paucis, et minori sede in medio sedit, et ibi multum de admirabili // honore quem exhibuit ecclesie ministris. Et de hoc libro i. capitulo iiii. ecclesiastice hystorie ubi ait: Deus uos constituit sacerdotes et potestatem uobis dedit iudicandi. Et ideo nos a uobis recte iudicamur uos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter uos expectate iudicium. Et uestra iurgia quecumque sunt ad illius reseruentur examen. Vos enim a Deo nobis dati estis dii, congruum non est ut iudicet homo deos. Sed solus ille de quo scriptum est: Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem eorum discernit. Et inquit: Hiis omissis ea que ad fidem pertinent, absque ulla animorum contentione disserite et distinguite. Unde in scriptis Nicolai Romam pontificis dixisse idem narratur: Si propriis oculis uidissem sacerdotem Dei, aut aliquem eorum qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem clamidem meam explicarem, et eum cooperirem ne ab alioquo uideretur. Qualiter autem ipse Deum coluit et diuinum cultum dilatauit per orbem, narratur libro i. hystorie tripartite, quasi per totum ubi dicitur quod in somno constitutus uidit signum crucis in celo et angelos stantes et dicentes: O Constantine, in hoc signo uinces. Qui ex tunc signum crucis preferri in acie ante se fecit. Et in signum uel uexilium crucis, transformari fecit signum uictoriale, quod uocabatur labrum et ante ipsum in acie preferri iussit. Et hec habentur libro ix. Ecclesiastice hystorie, ubi dicitur quod in dextera sua signum crucis ex auro factum habuisse prohibetur. Qualiter autem cultum Dei dilatauit, habetur hystoria tripartita libro i. ubi dicitur quod in regalibus oratorium fabricatus est et etiam tabernaculum ad instar ecclesie, quod circumferebat dum contra hostes castra meteretur quatinus nec in itinere degens ipse uel exercitus sacro lumine priuaretur. Sequebantur pariter sacerdotes et dyaconi tabernaculo seruietes, qui secundum legem ecclesiasticam sacros ordines adimplebant. Romanorum quinto: Etiam cohortes singule fecerunt tabernaculum proprium, et sacerdotes et dyaconos habebant, et diem dominicam sanxiuit a iudiciis et uniuersis causis habere uacationem et in tantum orationibus occupari illum honorabat quia in eo Christus resurrexit, alium scilicet sextam feriam quia in eo fuit crucifixus, maximam culturam crucis habebat, supplicium crucis quod prius in usu fuit apud Romanos lege prohibuit. Et ibi multum de mirabilibus operibus que egit. Unde et dominus Iesus Christus recompensauit sibi etiam in uita quia fuit in bellis felicissimus, ut dicitur ibi: Qui cum superasset omnia bella, ueluti recompensans Christo in eius religione magis magisque feruebat et cetera. // Mira igitur tanti principis humilitas, et stupenda in diuino cultu pietas, quam debent imitari fidelium principes uniuersi. Consimiliter uiguit mira deuotio erga Deum et ecclesiam in Theodosio imperatore, cuius mirum factum hic interseritur in exemplum principum, de quo in hystoria tripartita libro viiii. narratur quod cum apud Tessoloniam ciuitatem quidam iudices lapidati fuissent indignatus Theodosius omnes passim actores interimii fecit, ubi septem millia sunt occisi non precedente iudicio, huiusmodi autem cladem penam plenam gemitibus audiens beatus Ambrosius cum princeps Mediolanum uenisset et solemniter in sacrum uellet intrare templum, occurrit sanctus Ambrosius ad Ianuam. Et ingredientem hiis sermonibus a sacris liminibus incesso prohibuit. Nescis, inquit, o imperator perperate a te necis quanta sit magnitudo, neque post causam tanti furoris, mens tua molem presumptionis agnoscit. Sed forte recognitionem peccati, prohibet potestas imperii, decet tamen ut uincat ratio potestatem,

scienda quippe natura est eius que mortalitas atque resolutio, et puluis pro genitorum, ex quo facti sumus et ad quem redigendi sumus, et non flore purpureo confidentes infirmitatem operi corporis ignorare. Ecce coequalium hominum princeps es, o imperator, et conseruorum unus omnium est Deus, et rex omnium ac creator, quibus ergo oculis aspicias communis Domini templum. Quibus calcabis pedibus sanctum illius pauimentum. Quomodo manus extendes de quibus adhuc sanguis stillat iniustus. Quomodo huiusmodi manibus, suscipies sanctum Domini corpus, qua presumptione sanguinis preciosi poculum ore tuo percipies dum furore sermonum tantus iniustus sit sanguis effusus. Recede ergo, recede ne secundo peccato priorem nequiciam augere contendas, suscipe uinculum, quo Dominus omnium nunc te ligauit. Est enim medicina maxima sanitatis. Hiis sermonibus imperator obediens. Erat enim diuinis eruditionibus enutritus, et a parte sciens que sunt propria sacerdotis, que regum flens et gemens, ad regalia remeauit. Cunque octo mensium continua transissent tempora, appropinquauit saluatoris nostri festiuitas. Imperator autem lamentationibus assiduus in palacio residens, continuas lacrimas incessabiliter effundebat. Ingressus autem Rufinus, tunc magister militum et singularem apud principem fiduciam habens, et uidens principem in lamentatione prostratum, accessit ut lacrimarum causam inquirereret: At ille amarissime // ingenuus, et uehementius lacrimas fundens. Tu, inquit Rufine Iudis, et mala mea non sentis. Ego autem lamento et genio calamitatem meam, quia seruis quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et ipsum Dominum ingredienti licent exorant. Mihi uero ingressus meus uel ad eum nouus est, in super celi sunt clausi, hec dicens uerba singula singultibus implebat quia lacrimae tumebant assidue, ait Rufinus, curro inquit si iubes, et pontifici preabus sua debo, ut soluat uinculum quod ligauit. At imperator, non inquit, suadebis noui enim decretum illius esse iustum, neque reuerbitur imperialem potentiam, ut legem posset preuaricari diuinam. Cunque Rufinus uerbis pluribus uteretur, et mitteret Ambrosium esse flectidum. Imperator eum pergere cum festinatione precepit, ipse quoque spe data, post paululum est secutus, credens Rufini permissionibus porro uir mirandus Ambrosius mox u uidit Rufinum ait, impudentiam canum imitatus es, o Rufine, tante uidelicet necis autor existens, pudor in ex fronte detegens, non erubescis nec metuis, contra imaginem latrare diuinam. Cunque Rufinus supplicaret et imperatorem diceret uenturum, superno zelo accensus Ambrosius, ego inquit Rufine dico tibi, quonia eum ingredi sacra limina prohibeo. Si uero imperium in tyrannidem mutabit necem, libenter ego suscipio, hec et alia plurima Rufinus audiens, imperatori nunciauit uotam antistitis monens ne de pallacio forte procederet. At imperator in media iam platea procedens pargo inquit et iustas in faciem suscipio contumelias. Cunque ad sacra preuenisset limina, in sacram quidem basilicam non presumpsit intrare. Sed ueniens ad antistitem, et inueniens eum in salute uero residentem, supplicauit ut eius uincula resolveret. At ille tyrannicam dicebat eius esse presentiam, et contra Deum uesanire Theodosium eiusque conculcare leges. Verum inquit imperator non insurgo inquit aduersus ecclesiasticas sanxiones, neque inique ingredi facta limina contendo, sed te resolvere mea uincula depono et communis Domini pro me explorare clementiam, nec mihi ianuam claudi sinas, quam cunctis penitentibus Dominus noster aperuit. Tunc antistes quam inquit penitentiam post tantas iniquitates egisti. Quibus medicaminibus incurabilia uulnera plagas quod curasti. At imperator tuum inquit est docere et medicamenta temperare, meum uero oblata suscipere, tunc sanctus Ambrosius. Quoniam furore, inquit tuum, // iudicium commisisti, et non ratio sententiam protulit, sed potius iracundia, scribe legem

que decreta furoris euacuet, et triginta diebus sententia mecis atque proscriptionis in literis tantummodo maneat, et iudicium rationis exspectet, quibus transactis diebus ira uidelicet iam cessante, ratio causam iudicans apud seipsam: que cognouit sub ueritate disponat, in hiis diebus agnoscitur si iusta sit sententia quam protuleris an iniusta. Et siquidem si ratio probauerit iniusta, que prolata sunt dirumpet. Si uero iusta firmabitur. Dierum igitur triginta numerus, ad hec examinanda sufficiet, hanc admonitionem imperator libenti animo suscipiens, et optimam esse confitens legem scribi repente precepit, et proprie manus literis confirmauit. Quo facto uinculum eius soluit Ambrosius, et lex actenus obseruatur. Est enim lex huiusmodi. Imperator Gratianus Valentinianus Theodosius Augustus Flauiano prefecto Pretorii Illirici. Si uindicari in aliquos seuerius contra nostre consuetudinem pro cause intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut sub ire penam aut accipere sententiam, sed per dies xxx. super statum eorum sors et fortuna suspensa sit, reos sane accipiet carcer atque custodia, et ex cubiis solertibus iugiter obseruet. Sic igitur sacratissimus imperator ingredi limina presumens, non stans Domino supplicauit, neque genuaflexit, sed pronus in pauimento iacens, dauiticam proclamauit uocem. Adhesit pauimento anima mea et cetera. Manibus autem capillos euellens, fronteque percutiens, et pauimentum lacrimarum guttis aspergens, ueniam impetrare posebat. Cumque tempus adesset quo munus ad altare solet offerri, surgens cum lacrimis est ingressus. Cum uero obtulisset sicut solitus erat, inter cancellas stetit. Rursus autem Ambrosius non quieuit, sed differentiam locorum edocuit. Et primo quidem quisiuit quid ibidem expectaret, imperatore dicente sustinere se sacrorum preceptionem misteriorum, sibi per archidiaconum remandauit. O imperator interiora loca tantum sacerdotibus sunt concessa, que ceteris nec ingredi nec contingere permittuntur. Egredere igitur et hanc expectationem cum ceteris habe communem. Purpura namque imperatores non sacerdotes facit. Tunc fidelissimus imperator, etiam hanc traditionem animo gratanti suscipiens, remandauit non audicie causa cancellas remansi. Sed in Ostantinopolitana urbe hanc osuetudinem esse cognoui. Unde gratias ego pro huiusmodi medicina // Tali namque tantaque uirtutum excellentia, presul et imperator clarebant. Ego uero utriusque opus admiror, illius fiduciam huius obedientiam, illius zeli feruorem, huius fidei puritatem. Porro regulas quas a magno sacerdote precepit, etiam reuersus in Constantinopolitana urbe seruauit, nam cum festiuitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altari muneribus, mox egressus est. Cumque Nazarius presul ecclesie in adasset intus cur stare noluisset, remandauit princeps, uix inquit discere potui, que differentia sit imperatoris et sacerdotis, uirum enim inueni ueritatis magistrum. Ambrosium namque solum noui uocari dignum pontificem. Tantum igitur prodest increpatio a uiro uirtutibus florente prolata. Hec ibi: Laudanda ergo est sancti pontificis iusta seueritas et preconimanda illustris imperatoris obedientialis humilitas. Unde et istis principibus gloriosus princeps regum terre, recompensa uir etiam in hac uita, tribuens eis quasi arram glorie. Nam de felici prosperitate Constantini narrat Augustinus v. De ciuitate dei capitulo ii.: Quamdiu imperauit uniuersum Romanum imperium tenuit, et defendit in gerendis bellis uictoriosissimus fuit, in tyrannis opprimendis per omnia prosperatus, et grandeuus senectute defunctus est filios imperatores reliquit. De prosperitate autem Theodosii, a rege regum sibi collata narratur ibidem xxiii. capitulo: Qualiter scilicet deuicit hostes, et qualiter tela hostium a uento in ipsos retorquebantur. In cuius laudem ait Claudianus, o minitum, dilecte Dei cui militat ether, et coniurati ueniunt ad classita uenti, humiles enim principes et in presenti Deus eleuat, et in futuro glorificat, superbos uero et rebelles sibi et

ecclesie, humiliat atque damnat. Exemplum de Saule et Dauid ideo Ecclesiasticus x.: Sedes ducum superbiorum destruxit Dominus, et sedere fecit mites pro eis.

Capitulum tertium: Quod princeps non debet esse maculatus a sordidante culpa

Et sicut princeps debet esse subiectus Deo et ecclesie, ut dictum est ita debet esse purus et immaculatus uita puritate et sanctimonia, maxime a fetore luxurie, et horrore gule. Unde in supra dicta auctoritate Deutronomii dicit: de rege, non habebit uxores plurimas, que alliciant animu illius in quo prohibetur libido luxurie, et gule ei est annexa. Princeps enim debet esse Deo // acceptus et gratus, in se ordinatus et honestus suis amabilis et uenerandus, hostibus timendus et terribilis que omnia auferunt peruicte libidines et ostraria afferunt. Amor enim mulierum eneruauit potentiam Sampsonis infatuauit sapientiam Salomonis, fedauit sanctimoniam Dauid regis, prout ait Hieronimus epistola xxiiii: Nec Salomone sapientior nec, Dauide sanctior, et tamen a muliere uterque deceptus, nullum enim imperium durable nec principatus stabilis, ubi regnat in principe libido luxurie. Unde et imperium Romanum, exhaustum est et dimersum Nerone imperante cuius gula omnia deuorauit et maculauit, libido exhausit auaricia fregit ignauia, luxuria cum superbia exmaniuit, prout dicitur in Policrato libro vi. capitulo xii.: Nec mirum, quando ipse princeps in talibus libidinibus relaxatur subditi licentius precipitantur. Iob i.: bibentibus uinum in domo fratris primo geniti, ubi dicit Gregorius Moralium v.: Cum maiores uoluptati deseruiunt, minoribus lasciuie frena relaxantur. Unde et Herodes concionans coram Augusto, et loquens de Anthonio sicut narrat Egesippus libro i. ait: ille non uictus est uirtutibus tuis, sed magis uictus est moribus suis, uicit eum Cleopatra uxor, uicit eum Egiptius amor, uicit eum Canopea luxurie uictus est quia maluit eum Cleopatra uinci, quam sine ea uincere, uicit eum mulier infestior suis quam aduersariis. Et de ista luxuria et nocumentis eius loquitur Valerius libro ix. capitulo i.: Multa ponens exempla de multis, ubi ait quam uero in luxuria est prolapsa, in profundum iniuriarum et turpitudinum decidit, ut seruorum dominationi insolentissime sub iaceret. Item ibidem narrat, quod captana luxuria inuictum Hanibalem, armis suis illecebris amplexa, uincendum Romano militi tradidit. Illa ducem uigilantissimum. Illa exercitum acerrimum dapibus largis abundanti uino ungentorum fragrantia, et ueneris usu lasciuiorum ad somnum et delicias euocauit, ac demum fracta est et concussa punita feritas. Et sequitur, quid ergo hiis uiciis fedius, quid damnosius quibus uirtus atteritur ac corporis uires expugnantur adeo ut nescias an ab hostibus an ab illa capi perniciosius habendum sit, et ibi multum de hoc. Consimiliter debet esse princeps liber et immaculatus abhorrore gule, que impellit in libidinem luxurie, uentrem enim distentum cibo, uoluptas genitalium sequitur. Ait Hieronimus epistola quadragesimatercia: // Venter mero estuans, cito despumat in libidinem. A libero enim patre proximus gradus intemperantie ad inconcessam uenerem esse consueuit, ait Valerius libro v. capitulo i.: Princeps enim omni tempore debet esse sobrius, et potens uti usu rationis ad causas subditorum diiudicandas, et ad dandam responsiones populi, quod impedit excessus gule. Unde narrat Valerius libro vi. capitulo i.: De muliere damnata a Philippo rege Themulento, que ait, prouocarem inquit: id est appellarem, ad Philippum, sed ad sobrium, id est si non esset ebrius. Excussit rex crapulam, et causa diligentius inspecta, iustiore sententiam ferre coegit. Et ideo Prouerbiu xxi.: Nolite regibus dare uinum, quia nullum secretum ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliuiscantur iudiciorum iustorum, et

mutant causam filiorum pauperum. Et ideo nobiles principes abstinerunt se a luxu luxurie, et uoracitate gula, unde narrat Vegetius libro v. De re militari, capitulo x.: Quod Scipio Africanus in Hyspania, cum inter captiuos, eximie forme uirgo et nobilis, ad eum perducta esset, omniumque oculos in se conuerteret, summa custodia habita sponso nomine alicio reddidit, aurumque quod parentes eius redempturi captiuam detulcrant, eidem sponso pro nuptiali munere dedit qua munificentia uniuersa gens uicta imperio populi Romani accessit. Similiter traditum est Alexandrum Macedonem eximie pulchritudinis uirgini captiue, cum finitissimi generis principi de sponsata fuisset, summa abstinentia ita pepercisse, ut eam nec quidem aspexit. Qua mox ad sponsum remissa, uniuerse gentis per hoc beneficium animos sibi reconcialiuit. Similiter de Octauiano, quod mortuo Antonio Cleopatra accessit ad Augustum, postquam fuit capta et prouoluta ad pedes Augusti, sollicitauit oculos eius. Unde de ipsa poeta: Vultus adest precibus, facies incesa perorat. Sed frustra quidem hec fecit, nam pulchritudo eius infra pudiciciam principis fuit, de hoc in Policrato libro vii. capitulo i.: Similiter legitur nobiles principes mire fuisse abstinentie, prout ait Vegetius libro iiii. capitulo iii.: Quod Hanibal denocte surgere consuetus erat, ante noctem non quiescebat, crepusculo demum ad cenam uocabat, nunquam amplius quod duobus lectis apud eum discumbebatur. Item cum sub Hastibale imperatore militaret plerumque super nudum humum sacco tectus, somnos capiebat Emilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulans accepto pane uesci solitum. Item de Alexandro Macedone uicitur Masmismam xc. Annum etatis sue agentem, meridie ante tabernaculum stantem, uel ambulans capere cibos solitum legitur Marcum Cathonem eodem uino quo temiges contentum fuisse traditur. Et de hiis Policratus libro v. capitulo vi.: ubi superaddit quod Augustus Cesar, minimi cibi erat, atque uulgaris sepe secundarium panem, et pisciculos minutos, et caseum bubalum manu pressum, et ficuis biferas uirides, maxime appetebat, uesciebaturque ante cenam quocumque tempore et loco stomachus desiderabat. Unde ipse in quadam epistola: neque Iudeus quidem in cibis tam diligentur seruat sabbatum quam ego hodie eruui, qui in balneo post horam primam noctis, duas buccas manducaui, priusquam ungi inciperem. Iram quoque citissime remittebam dum iniuriantis animum immutatum uidebam. Hec ibi: Unde et Iulium Cesarem uini per comissimum, quod inimici quidem negauerant. Sicut ait Sitonis libro de uita cesarum, recitans uerba Marci Cathonis de ipso celare scilicet ad euertendam rempublicam sobrius accessisse, arca uictum enim indifferens erat. Unde ait Gaius Opius, de eo ut dicitur ibi: Cum enim ab hospite conditum olus pro uiridi esset appositum aspernentibus ceteris, dixit se appetisse tale, ne hospes aut negligentie aut rusticitatis culpabilis uideretur. Magna igitur huiusmodi abstinentie sobrietas, et urbana curialitas. Et si tales fuerunt gentiles quales esse debent principes fideles. Cum dicat scriptura Ecclesiastici nono: De terra cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt, beata terra cuius rex est nobilis, et cuius princeps uescitur tempore suo ad reficiendum non ad luxuriandum.

Capitulum quartum: Quod princeps non debet esse uirtuosus

Et non solum oportet quod princeps sit immaculatus a predictarum libidinum macula sed etiam debet esse preditus uirtuosorum operum prerogatiua. Unde in premissa auctoritate Deutronomii ut discat custodire inquit uerba eius id est Dei, que in lege precepta sunt, ut scilicet exemplis operum, prouocet commilitones, et omnes subditos ad ardua operanda et

terribilia aggredienda, facta enim egregia principis et exempla uirtuosa, plus prouocant subditos ad talium imitationem, quam imperia uel mandata, prout ait Claudianus ad Theodosium loquens: in communi iube si quid censes esse tenendum, primus iussus sit tibi tunc obseruantior equi fit populus // ne ferre neget cum uiderit ipsum. Auctorem patrie preire sibi componitur orbis. Regis ad exemplum, nescit inflectere sensus humanos, edicta ualent quam dicta regentis. Mobile mutatur semper cum principe uulnus. Unde in prologo historie tripartite Omeus loquens ad Theodosium, ait: Quod pietas est uirtus ornati imperii et quod purpura et corona in quibus est signum maiestatis, clementiam et pietatem semper intrinsecus nutriunt. Et ideo nobiles principes nihil imperauerunt quod ipsi non facerent, sicut de Cesare dicitur. Quod numquam dixit militibus ite sed uenite dicebat. Dicebat enim quia principatus cum duce labor uidetur militibus minor. Et de Ligurgo similiter legitur: quod nihil imperauit aliis quod primo non impleret, sicut nobilis princeps Gedeon iudicum vii.: Quod me inquit facere uideritis facite, et quod plus est, hoc fecit princeps regum Dominus Iesus, ut suos milites ammaret ad aggrediendum terribilia, et constanter suscipienda. Cepis enim primo facere, postea docere. Actuum primo.

Capitulum quintum: Quod princeps sit misericors pia clementia

Consimiliter princeps debet esse misericors pia clementia, respectu miseriorum, et hoc merito ipse enim est pat patrie, prout Seneca libro i. De clementia capitulo viii. Et de hoc idem Seneca eleganter in eodem libro hortans principes ad clementiam. Unde ait libro primo: Sicut et medicina apud egros est usus, apud sanos horror est ita, clementia quamuis pena digni innocenter nocentes colant. Et sequitur capitulo v.: Nullum clementia magis ex omnibus quam regem et principem decet. Ita enim uirtutes magnis uiris decore glorieque sunt, sicut illis salutaris potentia est. Nam pestifera uis est ualere ad nocendum. Et capitulo tercio principum crudelitas bellum est, clementia in quamcumque domum peruenerit, eam felicem et tranquillam prestabit. Sed in regia quo rarior, eo mirabilior, magnanimi est proprium placidum esse, tranquillumque, et iniurias atque offensas superando despiciere muliebri est furere in ira, non decet regem seua nec inexorabilis ira, non multum enim super eum eminent cui se irascendo exequat. Et sequitur capitulo quarto: Quod si dii placabiles et equi, delicta potentum non statim fulminibus persequuntur, quanto equius est hominem hominibus prepositum, miti animo exercere imperium // Unde narrat ibi capitulo quinto de quodam qui multum studuit ad hostes destruendos, etiam cum quendam destruere non posset consuluit uxorem, que dixit illi, fac quod media solent, qui ubi usitata remedia non prosunt, temptant contraria. Si igitur seueritate nihil adhuc profecisti, nunc tempta etiam, quomodo cedat tibi clementia. Ignosce scilicet illi: quod ille gauisus anuit, et facto impleuit. Contulitque illi postea consolatum amicissimum, fidelissimumque habuit et heredem. Et ponit ibi bonum exemplum. Quod quemadmodum precise arbores, pluribus tamis repullulant, et multorum satorum genera, ut densiora resurgant, rescinduntur. Ita regia dignitas auget amicorum numerum, seueritatem tollendo, parentes enim liberique eorum qui interfecti sunt, et propinqui et amici in singulorum loca succedunt. Et x. capitulo: Aliud exemplum apes sunt iracundissime, et aculeos in uulnere relinquunt, sed rex ipsarum sine aculeo est, uoluit enim natura nec telum seuum esse, nec ulcionem petere telumque detraxit, et eius iram inermem reliquit. Exemplum hoc magnis regibus ingerens, ait ibidem. Vbi munita de hoc

per totum ut enim dicit Lucius sicut recitat Policratus libro iiii. capitulo viii.: Principem senem moribus esse oportet, et quod modestiora sequatur consilia, et uicem gerat medicorum, qui morbos curant, nunc ex inanitione in repletis, nunc refectione in uacuis, et dolore sedant nunc cauterio nunc fomentis. Et ponit exempla, dicebat enim tyrannus, insanum esse qui oculos si habeat lippientes, malit eos effodere quam curare. Et ungues si acriores fuerint, refecandos esse, non euellendos aiiebat. Et sicut Citharedus facit consonantiam, non ruptis sed extensis cordis proporcionabiliter, uel remisset, sic oportet principem morderari, nunc rigore iusticie, nunc fauore clementie, et unanimes facere subditos. Lucius enim est cordas remitti, quam nimis protendi quia semel rupta nullo artificio reparatur. Et ideo ait Ennius denuncians laudem principis. Est piger ad penas princeps ad premia uelox. Quique dolet quotiens cogitur esse ferox. Hec enim clementia quoddammodo principem equat Deo, sicut alius egregius Versificator alloquens principem. Sis pius impiis nam cum uincamur in omni Munere sola Deus equat clementia nobis. Si omnibus dicat Saluator. Estote misericordes. Luce Sexto Capitulo. Et tamen etiam principaliter // conuenit principi ut sit clemens eo quod est pater patrie, ut dictum est. Unde et in libris secularibus fertur dixisse Plato. Sicut recitat Policratus libro v. capitulo vi.: Cum in subiectos inquit potestas seuit idem est ac si pupillum tutor persequatur, uel suo eum mucrone iugules ob cuius defensionem a Deo traditum tibi gladium accepisti. Rem namque publicam frui iure pupilli percelebre est. Et eam tunc demum recte procedere, cum caput eius se inutile congnouerit, nisi fideliter membris cohereat. Et idem cum in subditos magistratus ac si caput corporis intumescat, ut a membris aut omnino aut sine molestia ferri non possit: hanc passionem sine grauissimo dolore membrorum tolerari, uel curari impossibile est. Si uero incurabilis fuerit passio, sic uiuere quam mori miserius est. Miseris autem nihil utilius est quod ubicumque finire miseriam. Hec ille: Sicut enim pius pater, et sicut clemens tutor pupilli, et sicut peritus medicus debent esse clementes in sibi commissis, sic debet esse princeps clemens in suos. Et hoc multipliciter. Primo pie compatiendo miseris subditorum, ut enim ait Seneca libro ii. De clementia: Misericordia uicina est miserie, habet enim aliquod ipsius cum ipsa trahat ex ea nomen. Et ponit exemplum, imbecilles oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem ipsi suffunduntur et cetera. Et quamuis hoc fit ex defectu in oculis corporis, tamen est ex uirtute in oculis cordis, scilicet resolui in dolorem uisa alterius miseria, flebam inquit super eo qui afflicto erat Iob xxx. Unde Valerius libro v. capitulo i. narrat de clementia Marcelli: Cum a se captis Syracusis urbis affluentissime et opulentissime, tunc afflicte fortunam et casam lugubrem intuens, fletum cohibere non potuit. Misericordia enim est egritudo ex uisa alterius iniuria laborantis, ait Tullius libro iiii. Tusculanarum questionum. Et misericordia a misericorde uocata est, ait Gregorius Moralium xx. Est enim tristitia in alienis malis, ait Damascenus libro primo capitulo decimoquarto. Item secundo debet esse clementia in principe in remittendo uel temperando penas, quia clementia est temperantia in potestate ulciscendi, uel lenitas superioris erga inferiorem. Crudelitas uero nihil aliud est quam atrocitas animi in penis exigendis, ait Seneca libro primo De clementia, et ibidem. Misericordia est egritudo animi ob alienarum miseriarum speciem ac tristitia de alienis malis. Et de hac dicit Seneca libro primo capitulo primo: Princeps non solum curam salutis sed honeste ci- // catricis agat, nulla gloria est ex seua animaduersione. Unde et in laudem tyranni dicitur, quod uir clemens in omnes, austerus in paucos, quibus parcere nephas esset, adeo ut totius imperii fui curriculo unus damnatus solus fuerit senatorum, quamuis plurimi

inuenirentur in ipsum deliquisse. Et hic est a senatu damnatus, ipso etiam ignorante. Item tercio princeps debet esse clemens, releuando miseros a miseria, et donando necessaria, prout narrat Vegetius iiii. capitulo: Quod cum Phillipus audisset Phiciam quendam bonum pugnatorem, alienatum a se, eo quod tres filias inops uix aleret, nec a rege adiuuaretur, dictumque esset ei monentibus amicis ut eum caueret. Quid inquit ille, si haberem partem egram corporis abscinderem ne potius quam curarem. Deinde sero familiariter et secreto loquitur cum Phicia, accepta difficultate rerum domesticarum et facultatum pecunia sufficienter instruxit, ac meliorem fidioremque habuit quam esset antequam crederetur offensus. Item quarto princeps debet esse clemens, hostes deuictos consolando, et sicut fuerit utilitas reipublice honorando. Prout ait Valerius libro quinto capitulo primo De clementia Pompey: Quod cum regem Armenie, qui tamen per se contra Romanos, magna bella gesserat, et etiam Metridiadem infestissimum urbi, uiribus suis protexerat, in conspectu suo diutius supplicem iacere passus non est. Sed benigne uerbis recreatum, dyadema quod abiecerat capiti imponi iussit, cunctisque rebus imperatis in pristinae fortune habitum restituit, eque pulchram esse iudicans, et uincere et facere reges. O quam preclarum tribute humanitatis speculum, ait ibidem autor ubi narrat De clementia Pauli. Qui cum uidisset quemdam captum regem adduci ad se, occurrit ei, conatumque ad genua procumbe re, dextra manu alleuauit, et grato sermone ad spem exortatus est, lateri suo proximum in consilio sedere fecit, nec honore mense indignum iudicauit. Nam si egregium est hostem deiicere, non minus tamen laudabile infelicibus scire misereri, et alia ibi bona exempla de clementia. Ibidem narrat quod Rathonis morte Cesar audita: et se illius glorie inuidere, et illum inuidisse sue dixit seruis, patrimoniumque eius liberis ipsius incolonie seruauit. // Et ad istam clementiam debet principes incitare, diuine clementie erga eos sollers meditatio. Et de clementia Dei erga eos si clementes fuerant, spei etiam certitudo. Unde ait Tullius xv. De clementia capitulo iiii.: Optime deos exemplum principi constitutum, ut se talem esse ciuibus prebeat, quales sibi deos uelit. Exempla uero pietatis in principibus antiquis euidenter patuerunt, sicut in enea qui dicebatur pius Eneas. Unde Virgilius libro vi.: Tu regem imperio populis Romanis memento. Hec tibi artes erunt, pacisque imponere mores. Parcere subiectis et debellare superbos. Hec est in summis gloria, summa iuris. Et in tyranno similiter qui dictus est optimus augustorum. Et in Tyro qui tante ciuilitatis imperio fuit, ut omnibus prodesse, nullumque punire studuerit conuictos coniurationis contra se dimisit illesos, et in pristinam familiaritatem admisit prout legitur in gestis eorum. Exemplum pietatis magnorum principum.

Capitulum sextum: Quod sit equus in tenenda iusticia

Et quia misericordia et ueritas custodiunt regem et roberatur clementia thronus eius Prouerbia ii.: Sic debet esse clemens princeps, ut sit in eo equitatis iustitia, sine ea nulla respublica potest regi, ut habitum est supra de republica. Remota enim iusticia quid sunt regna, nisi latrocinia, ait Augustinus iiii. De ciuitate dei: Et quia princeps est fundamentum populi, ut dictum est supra sic ab eius iusticia emanare debet iusticia aliorum. Item quia est pater patrie ab eodem regi debet omnis alia iusticia et gubernati. Item quia est caput reipublice, ab ipso debet ipsa iusticia perspici et debet osiderari ne sit minor quam debeat, et ne sit maior scilicet excedens in punitione. Rex enim iustus, leges diuinas seruando et alios ad eorum obseruantiam quantum ad eum spectat cogendo, et

nullas alias statuendo nisi illis conformes, et ab illis regulatas, uel regulabiles regulantes. Quia omnium legum est manis censura, nisi diuine legis unitationem gerant, ut supra bene habitum est. Et debet esse iustus similiter recte iudicando, secundum illas et iudicatas sententias exequendo. Quia ut ait Augustinus tricesimaprima epistola. Qui rex est seruit Deo leges iustas precipiendo, et prohibendo contraria sanxiendo. Per me inquit diuina sapientia Prouerbum quarto // Reges regnant et legum conditores iusta decernunt de quibus legibus supra dictum est. Unde et legum conditores apud gentiles fuerunt multum honorati sicut fuit Ligurus et Solon et alii prout narrat Valerius libro 4. capitulo 3.: Quod Appollo requisitus de Ligurgo respondit se nescire utrum ille in deorum numero an hominum aggregari debuerit, et hoc ob equitatem suarum scilicet legum. Et de eorum legibus loquitur Augustinus primo De ciuitate dei capitulo 16. Eadem enim instituendarum legum fuit causa que regum ait Tullius libro primo De officiis capitulo 12. Unde et antiqui principes subiiciebant se legibus ab eis statutis ut alios prouocarent ad illas implendas sicut narrat Valerius libro 6. zelento de qui eruit sibi oculum et filio alium quia filius puniri debebat amissione amborum debiti supplicii modum legi reddidit et equitatis mirabili temperamento simul misericordem premet et iustum se legislatorem partitus est. Et similiter narrat de alio qui legem ab eo statutam transgressus fuerat se gladio transuerberauit ne fraus iusticie esset. Unde Allexander: Cum inter ipsum et milites esset disceptatio, et causa sua fuisset damnata in castrensi iudicio, illud iudicium acceptum habuit iudicibus gratias agens, quorum in eo fidem probauerat quod iusticiam omnipotentis Dei sibi preferebant prout dicitur in Pollicrato libro 5. capitulo xi.: Mira enim tanti principis equitas quod uoluit se subiicere iudicibus cum subditis suis. Similiter dicit Iob 31. capitulo: Si contempsi subire iudicium cum seruo meo et ancilla mea cum disceptarent aduersus me. Item debet esse iustus, pauperes exaudiendo eorum eorumque causas examinando, iniurias propellendo, et ad satisfaciendum eis iniuriantes compellendo, hoc enim debet eis facere, exemplo egregii imperatoris Trayani qui audiuit uiduam ad eum clamantem et iusticiam petentem de his qui innocentem filium eius occiderant. Tu inquit auguste imperas, et ego tam atrocem iniuriam patior, qui licet equum ascendisset ad bellum profecturus respondit, ego satisfaciam tibi cum rediero, quid inquit illa si non redieris, succesior meus satisfaciet. At illa, quid tibi proderit si alius benefecerit tu michi debitor es secundum opera mercedem recepturus, fraus utique est nolle reddere quod debetur, successor tuus iniuriam patientibus pro se tenebitur, te uero non liberabit iusticia aliena, bene agetur cum successore tuo si liberauerit seipsum. Quibus uerbis motus imperator de equo descendens et causam principaliter examinans, et condigna satisfactione uiduam consolatus est. Licet tamen alibi scripta sit narratio hic tamen inseritur ad imitationem beati // Gregorii qui aliquando narrat idem in diuersis tractatibus. Item princeps debet esse iustus, nulli quod suum est auferendo nec auferri permittendo, furta cohibendo, transgressores legum puniendo ad pacem reipublice. Regis enim officium est furta cohibere 23. 9. 2. Et ibi similiter: Officium est regis bonos sublimare, malos opprimere. Sicut enim dicit Augustinus iiii. De ciuitate dei capitulo iiii.: Remota igitur iusticia, quid sunt regna nisi magna latrocinia, latrocinia quid sunt nisi praua regna. Manus etenim ipsa hominum est que imperio principis regitur, pacto societatis asstringitur, placita lege preda diuiditur, et hoc malum si intantum preditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet populos subiuguet, enidentius nomen regni assumet ut ait ibidem. Et idem Tullius ii. De officiis capitulo xii: ut habitum est supra ubi concludit. Cum tanta uis iusticie sit, ut etiam ea

Lottonum opes affirmet, atque augeat quantam eam inter leges et iudicium custodienda republica fore putamus. Et sequitur, nam cum premeretur inops, multitudo ab his qui maiores opes habebant ad aliquem confugiebant uirtute prestantem, qui cum prohiberet iniuriam tenuioris id est pauperioris equitate constituenda summos cum infimis pari iure pertinebat et regebat, ut ait ibidem. Necessaria est igitur iusticia principantibus, de qua supra dictum est. Unde Deutronomium xvii.: dicitur regi ut non declinet in partem dexteram uel sinistram. Sic enim debet esse clemens, ut non obmittat iusticie disciplinam, adimplens illud Iob xxix.: Cum sederem quasi rex, circumstante me exercitu, eram tamen metentium consolator. In primo equitas iusticie, in secundo pietas notatur clementie secundum Gregorium primo Moralium secundo. Princeps non debet dominari sed ratio. Et ille est uere princeps qui est custos iusticie, ait Aristoteles Ethicorum v. Sic modis predictis oportet regem prodesse non nocere. Ait enim Seneca secundo De naturalibus questionibus: Unde et principes gentiles ne iusticia periret., statuerunt aliquos habentes potestatem resistendi eis, prout ait Valerius libro quarto capitulo primo de quodam qui tales instituit, cui cum uxor diceret eum id egisse, ut filiis minorem relinqueret potestatem, respondit. Relinquam inquit minorem sed diuturniorem. // Ea enim tuta est potentia que iuribus suis modum imponit.

Capitulum septimum: Quod princeps sit scientia illuminatus

Et quia princeps non ualet predicta adimplere nisi fuerit illuminatus sapientiali scientia, ideo princeps debet esse illuminatus id est sapientia peritus, maxime diuina ut inerrabiliter leges statuat conformes legi diuine. Unde Deutronomium xvii.: ubi prius de rege postquam sederit in solio regni describitur sibi Deutronomium legis huius in uoluminem accipiens exemplar a sacerdotibus Leuitice tribus, Deutronomium id est secundam legem siue iteratam. Describitur inquam et in uolumine euangelice legis, et etiam in uolumine cordis secundum instructionem cordis sacerdotum Leuitice tribus id est ecclesie prelatorum legitime intrantium et presidentium, et non assumentium sibi honorem, sed a Deo uocatorum sine libidine ambitionis et cupiditatis, et sine affectione carnis et sanguinis, quia sicut tactum est, inanis est censura legum si non diuine legis imitationem gerat, et inutilis est constitutio principis si non est ecclesiastice discipline conformis, ideo imperatori dixit de legibus suis, ne dedignantur sacros canones imitari. Unde antiqui principes etiam gentiles fuerunt instructi et studiosi in humanis scientiis, ut patet in Ptolmeo qui licet esset gentilis uocauit septuaginta legis interpretes, ut noticiam haberet diuine legis, ut communicaret eam sapientibus regni sui. De quibus ecclesiastice Historie libro v. Et Augustinus secundo De doctrina christiana capitulo iiii. Et xviii. De ciuitate dei capitulo xli. Et sicut patet de Allexandro qui fuit instructus ab Aristotele prout narrat Agelius libro Noctium atticarum. Quod inter insignia Philippi Macedonis patris scilicet Allexandri hoc fuit quod et ad literatorum studium unicum iuuenem quem sperabat regni felicitatis futurum heredem transmittersse curauit. Unde et nato Allexandro epistolam Aristoteli misit talem Philippus Aristoteli salutem dicit: Filium michi genitum scito quo diis equidem habeo gratiam, tam proinde quia natus est, tam pro eo quia eum nasci contigerit temporibus uite tue. Spero enim forte ut eductus eruditusque at te dignus existat, et nobis et rerum istarum susceptione regni scilicet et ad illud pertinentium. Unde de hoc Allexander neque libro de naturis rerum ait: Quod Aristotelis fuisse discipulum // Macedonem certum est cuius causa loycam elaborauit, tam sedulus autem naturarum

indagator extitit Macedo, ut in uase uitrio in mare misso naturas et consuetudines piscium deprehenderet. Gallum enim secum habuit, ut super diluculo Gallicinium certificaretur, et in uase ipse didicit, quomodo insidie clandestine preparande sint contra hostes in re militari, dum exercitum piscium contra alios insurgere inspexit. De huiusmodi etiam studio narrat Seneca Epistola x. capitulo iii.: Geometriam studuit discere, sciturus quam pusilla erat terra, ex quo munus se occupauerat, et ideo a seipso reputatus est infelix, ob hoc quod intelligebat falsum se gerere cognomen magnum scilicet Allexandrum, quis enim magnus in pugillo. Et de huiusmodi ait Plinius. Allexander magnus inflammatus cupidine animalium naturas cognoscendi, Aristoteli summo in omni doctrina uiro, misit aliquot milia hominum, qui erant in totius Asiae Graeciaeque tractu quos uenatus aucupia pullatusque alebant, quibusque uaria armata, aluearia piscine uinaria in cura erant, ne quid usquam genitum ignoraretur ab eo, quos percunctando quinquaginta ferme uolumina illa preclara de animalibus edidit uel condidit. Consimiliter legitur de his principibus, qui uel fuerunt studiosi de se, uel habuerunt sapientes ad instruendum eos. Sicut Nero habuit Senecam, qui eum instruxit de clementia in duobus libris eleganter. Et Thrayanus habuit Plutarcum, qui instruxit eum notabiliter in libro qui inscribitur de instructione Trayam, cuius quidem epistola fuit talis. Plutarcus Trayano salutem dicit, modestiam tuam noueram non appetere principatum, quem tamen semper morum elegantia mereri studuisti, quo quidem tanto dignior iudicaris, quanto a crimine ambitionis uideris esse remotior. Tue igitur uirtuti congratulor et fortune mee, si tamen recte gesseris quem probe meruisti. Alioquin te periculis et me detrahentium linguis subiectum ire non dubito, cum et ignauiam imperatorum Roma non patiat nec ferat, et sermo publicus est delicta discipulorum refundere soleat in preceptores. Sic Seneca Neronis sui discipuli merito detrahentium carpitur linguis adolescentium suorum te meritis in quintilianum refunditur. Et Socrates in puppium suum fuisse clementior criminatur. Tu uero Nero qui ius rectissime feras, si non recesseris a teipso, si primum te composueris, si tu omnia disposueris ad uirtutem rectem tibi procedent uniuersa pollitice constitutionis // Maiorem uires tibi expressi, quibus si obtemperes Plutarcum uiuendi habes auctorem. Alioquin presentem epistolam inuoco quia in perniciem imperii non peragis auctore Plutarco, hec ille. Ex his patet euidenter quam ueraciter et quam equiter et constanter instruxit principem in predictis. De studio uero Iulii Caesaris narratur libro de uita Caesarum parte prima, qualiter inuestigauit cursum solis numerando horas et momenta temporis, et qualiter bisextum inuenit et multos libellos scripsit. Et similiter Solinus scripsit libro primo capitulo secundo: Quod eius disciplina omnium postea imperatorum temporum fundata ratio est. Et libro primo ante finem ait de Cesare: Quod nullus celerius scripsit, nullus uelocius legit, quaternas semel epistolas perhibetur simul discasse. Et de Theodosio legitur in prologo Historie tripartite: Aiunt te inquit Sozomenus per diem exercitari armis, subiectorumque negocia disceptare, iudicare simul et agere, modo seorsum, modo publice que sunt agenda considerare, noctibus uero libris incumbere, et ait ibi: Quoddam candelabrum oleum sibi fundere in lucernam, ut nullus in laboribus suis affligi cogere, ut somno repugnaret. Unde et ait ibidem ipsum scire naturas lapidum, exemplo Salomonis. Consimiliter legitur de Rarolo magno: Quod studiosus fuit in artibus liberalibus, que erant depicte miro modo in pallacio prout legitur in gestis suis. Et etiam fuit studiosus in libris diuinis, et specialiter diligebat libros beati Augustini De ciuitate dei. Et etiam Alquinus docuit eum dyalecticam, et astrologiam, et rethoricam, et transferri fecit studium de Roma usque Parisius, et offensus ex dissonantia cantus ecclesiastici,

inter Romanos et Gallicos iudicans iustius esse bibere de puro fonte quam de riuo turbato, duos clericos Romani misit ut autenticum cantum discerent. Et primo per hos ecclesia metensis, et per illam omnis ecclesia Gallicana ad Romani cantus auctorem est reuocata. Laudanda ergo principis studiositas, qui sic studuit non sibi proficere sed omnibus, et tales fuerunt multi alii principes. Unde in literis quas misit quidam rex Romanorum regi Francorum: quibus hortabatur ut liberos disciplinis instrui procuraret, inter alia adiecit eleganter, rex illiteratus quasi asinus coronatus. Et ideo illud seculum dicebatur aureum, quando illi sapientes regnabant prout ait Seneca epistola xliiii.: In illo inquit seculo // quod aureum perhibetur quando penes illos sapientes regnum erat Passidonus iudicabat. Hi continebat manus et infirmiores a ualidioribus tuebantur suadebant honesta, dissuadebant contraria, et utilia atque mutilia monstrabant. Horum prudentia ne quid deesset suis prouidebat, fortitudo arcebat pericula, beneficia augebat iusticia, honorabatque subiectos temperantia, officium erat imperare, non regnare, nemo quantum posset aduersus eos experiebatur per quos ceperat posse, nec erat cuique animus ad iniuriam, aut huiusmodi cum bene imperanti bene paretur nichilque maius minari male parentibus posset quam ut abirent de regno, hec ille. Vere ergo illud seculum aureum quando sapientes sic principabantur. Unde Boecius libro primo De consolatione capitulo iiii.: Quod secundum Platonem respublica felix esse incipit, si eam uel studiosi sapientia regerent, uel eius rectores sapientiam studere contigisset, idem Valerius libro vii. capitulo ii. Et idem ait Socrates: Quod Apollo Phitius oraculo sapientissimus fuit iudicatus, prout dicitur in Pollicrato libro iiii. capitulo vi.: Nullus enim est quem oporteat uel plura uel meliora scire quam principem cuius doctrina omnibus debet prodesse subiectis. Cum enim pacis aut belli debeat opera moderari, legum reique publice ipsum oportet habere periciam, ait Vegetius renatus. Regale enim opus est sapere et diiudicare, ait Tullius libro i. De diuinatione. Quod opus non potest exerceri sine discretione sapientie. Iudex enim sapiens iudicabit populum suum, et rex insipiens perdet populum suum Ecclesiastici x. Unde et Deus uoluit sapientes esse rectores populi sui, sicut Abraham qui fuit peritus in omni doctrina Egiptiorum actuum vii. Et Moyses, similiter Dauid qui habuit sapientiam sicut angelus Dei ii. Regum xiiii. Et Salomon qui petiit a Deo sapientiam ad regendum populum sanctum Dei, cui dedit Dominus cor sapiens et intelligens iii. Regum iii. Princeps enim insipiens est sicut furiosus habens gladium in manu, et sicut ignarus gubernator tenens gubernaculum in tempestate, et sicut leges ignorans, et sedens in loco iudicii et iudicium peruertens, quod plangit Sapiens Ecclesiastici iii. Vidi loco iudicii impietatem et loco iusticie iniquitatem. Si tamen contingat quod princeps sit ignarus sapiencie diuinarum legum inquirat notociam diuine legis a sacerdotibus secundum preceptum diuine legis et audiat ueros doctores, aquiescat eorum consiliis. Exemplo Dauid, qui habuit secum Nathan prophetam et Sadech sacerdotem. //

Capitulum octauum: Quod princeps debet esse largus munificentia

Et quia princeps debet omnibus prodesse ut dictum est, et debet esse omnibus amabilis, ideo debet in eo esse largitatis munificentia. Amici enim sunt dona tribuentes Prouerbiu xix. Et diuitie scilicet erogate addunt amicos plurimos, ibidem. Hoc enim facit principes esse amabiles sicut narratur in Pollicrato libro iiii. capitulo xiiii.: de Tyto qui patris auaritiam tanta liberalitate purgauit, ut amor et deliciae humani generis ab omnibus diceretur, constantissime tenens in moribus ne quem postulandi gratia ad se accedentem

sine re uel spe quocumque modo dimitteret, unde et interrogantibus domesticis cur plura polliceretur quam prestare posset, respondit, non oportet quemquam a sermone principis tristem discedere. Idem recordatus super cenam quod nichil illa die cuiquam prestisset, dolens et gemens dixit, O amici, hanc diem perdidit, nullum enim uicium deterius auaricia presertim in principibus, prout ait Tullius libro i. De officiis capitulo xxiii. Nullum uicium deterius auaritia presertim in principibus rempublicam gubernantibus. Et sequitur quod Appollo Phitius oraculo edidit Spartam nulla re alia nisi auaricia esse perituram unde etiam huius suspitio est uitanda, ait idem xviii. capitulo. Largitas uero facit principes esse amabiles prout ait Boecius De consolatione capitulo x. Claros largitas facit. Et debet esse multiplex in principibus scilicet in donorum munifica largitione in suiipsius affabili condescensione et quasi sui exhibitione, in superuenientium liberali susceptione, et in necessariorum prompta administratione. Princeps debet donaria tribuere secundum decentiam sui status, et eminentiam sine magna preciositate, et multa numerositate, et in dilata promptitudine, et cum hilari iocunditate, habita tamen recta consideratione ad suam possibilitatem, et ad eorum quibus dat qualitatem prout ait Seneca libro ii. capitulo xii. dicit. Respiciendi sunt cuique uires facultatesque ne plus prestemus quam possimus aut minus. Estimanda est enim persona cui damus utriusque persona conferet, et ipsum inter illas examina quod donabis. Et ponit exemplum de Allexandro qui dedit urbem cuidam qui cum diceret non conuenire hoc sue fortune non quero inquit quid te accipere deceat, sed quid michi dare // animosa uox et regia uidetur se stultissima, ait Seneca De natura ibidem. Nichil enim per se decet quemquam, sed refert quid et cui et quare et ubi et cetera, sine quibus facti ratio non constabit. Econtrario ponit exemplum de Antigeno, a quo tynnitus petiit talentum. Cui ille respondit, plus esse quam tynnitus petere deberet. At ille repulsus petiit denarium. Cui rex respondit, minus esse quam regem dare debere, turpissima huiusmodi cauillatio muenit, quomodo neutrum daret, cum posset denarium tanquam tynnito dare, et talentum tamquam rex. Persone enim contemptibili potest prauum dari, et tamen decet personam nobilem magnum dare, sed hec largitas debet esse equitate iusta scilicet dando de suo non alieno, et quantitate moderata, ut det scilicet quantum potest, et utilitate proficua, ut det ad utilitatem dantis, et ut sit intentione ordinata, non ad iactantiam et pompam, sed ad profectum suscipientium, prout de his ait Tullius libro secundo De officio capitulo decimonono ubi ait: Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo, quid autem stultius quam quod facis, facis libenter curare ut id diutius facere non possis, atque etiam sequuntur largitionem rapine. Et sequitur: Duo sunt genera largorum quorum alteri prodigi scilicet qui in epulis et euiscerationibus, et gladiatorum muneribus ludorum uenationeumque apparatu, pecunias profundunt in eas res quarum memoriam aut breuem aut nullam sunt relicturi. Alii sunt liberales, qui suis facultatibus aut captos a predonibus redimunt aut es alienum suscipiunt amicorum causa, aut filiorum collocationem uel curationem adiuuant, aut opitulantur in requirenda uel agenda hereditate, et ibi bene de hoc. Idem Ambrosius libro i. De officiis ubi ait: Non est largitas si quod alteri largiris alteri extorques, illi dare isti nocere, hoc fit iactancie causa magis quam misericordie. Et sequitur: Perfecta est ubi silentium opus tegit et necessitatibus singulorum occulte subuenit, quem laudat os pauperis non labia sua. Nesciat inquit sinistra a tua quid faciet dextera tua Matteum vi. Et de hoc similiter Tullius libro i. De officiis capitulo xviii. Ea inquit liberalitate utamur que amicis prosit nemini noceat, nichil enim liberale quod non iustum, de hoc Seneca libro i. De clementia capitulo xiii.: Quod non est liberalis qui de alieno est liberalis, sed ille qui quod alteri

donat sibi detrahit, et hec munificentia prouocat honorem, non tantum suorum sed etiam extraneorum uel aduersariorum, // prout narrat Valerius libro v. capitulo i. De legatis carthaginensium uenientibus ad urbem ad redimendum captiuos, a quibus nulla recepta pecunia exercitus captiuorum redditus est, quos obstupuisse arbitror, et secum dixisse. O munificentiam gentis Romane deorum dignitati equandam, o etiam nostram legationem supra notam felicem, beneficium quod numquam dedissemus accepimus. Unde et in admirationem et preconizationem et dilectionem dantium, eos beneficii munificentia prouocauit, et hanc largitionem auget, quando dona dantur prompte et hylariter prout docet Seneca libro i. De beneficiis capitulo vi. dicens: Quod quidam beneficium ab homine dure et aspere datum panem lapidosum uocabat, quem esurienti accipere necessarium est sed tamen acerbum. Unde uersificatur Egregius. Denigrat meritum dantis mora nam data raptim. Munera plus laudis plusque fauoris habent.

Capitulum nonum: Quod princeps sit affabilis hylari leticia

Item princeps debet esse munificus in affabili suiipsius condescensione. Nam ut ait Tullius libro i. capitulo xvii: Beneficium siue liberalitas fit dupliciter, aut opere, aut pecunia, altera ex archa, altera ex uirtute depromitur. Unde et in laudem Trayani depromitur: Quod arguentibus eum amicis quod in omnes nimium et ultra quam imperatorem deceret communis esset, respondit se talem uelle imperatorem esse priuatis, qualem imperatorem sibi quisque priuatus optaret. Cauere tamen debet princeps, ne nimis condescendat, et uilescat auctoritas. Ait enim Valerius libro ii. capitulo vii.: Quod Mymidie reges nulli mortali osculum se rebant. Quodumque enim in excelso fastigio positum est, humiliet se certa consuetudine quo fit uenerabilius, uenerabile enim sine humilitate uacuum esse consueuit. Ex hac benigna consuetudine et condescensione Iulius Cesar amorem militum suorum meruit, quia illis condescendebat. Non enim milites pro conditione sed blandiori nomine commilitones appellabant. Miro quoque modo illos diligebat, et carus habebatur ab illis, et aliquando militi suo subdita ualitudine grauato, in diuersorio locum suum dimisit, et ipse humili loco ac sub diuo accubuit, prout narratur in libro De uita cesarum. Beniuolentia enim principis condescensiuua suorum multum eos prouocat in eius amorem. Unde et de Allexandro narrat Valerius // libro v. capitulo i.: Quod cum uideret militem quendam senio confectum frigore nimio stupefactum, cum ipse esset sedens in sede sublimi propinqua igni, surrexit et in suis manibus illum in sede sua sublimi posuit, dicens sibi id salutare futurum. Et quod apud persas capitale extitisset solium regium occupasse. Quid ergo mirum si sub eo duce militare iocunde tot annis ducebant cui Gregorii militis incolamitas proprio fastigio carior erat, hec ille. Consimiliter narrat Seneca libro v. De beneficiis capitulo xviii. de Cesare: Quod cum quidam ueteranus diceret ei qui apud uicinos ex causa premebatur. Meministi inquit, o imperator, in Hispania cum sub quadam arbore feruentissimo sole uelles residere, quandam ex commilitonibus penulam substrauisse, memini inquam quod siti confectus ire uolebam ad fontem, sed non poteram recipere manibus, nisi commilito homo fortis ac strenuus aquam michi in Gallea attulisset, posses inquit, o imperator, agnoscere militem illum aut Galleam. Ait imperator: se non posse Galleam agnoscere sed hominem et adiecit, tu quidem ille non es. Merito inquit miles: tu me non agnoscis, nam tunc integer eram, postea in acie oculus effusus est, de capite ossa eiecta. Quod audiens Cesar uetuit exhiberi negocium et aggellos in quibus causa rixe ac litium fuerat militi donauit. De

Augusto Cesare narrat Pollicratus libro iii. capitulo xviii. aliter: Quod cum ueteranus periclitaretur, rogauit Cesarem in publico ut adesset, ille uero uocatum prestantissimum dedit, cui ueteranus. Non ego Cesar periclitante te in bello Asiatico uicarium quesui, sed pro te egoipse pugnauit, detexitque impressas cicatrices erubuit Cesar uenitque in aduocationem, ut qui uerebatur non tantum superbus sed etiam ingratus uideri. Tali beatifica beniuolentia et condescensiuua beneficentia meruit non solum amorem militum sed aduersariorum. De ipso Iulio Cesare ait Solinus libro i. de benignitate adeo preditus fuit, ut quos armis subegerat clementia magis uicerit. Unde et imperator eternus, rex regum, et dominus dominantium, ut ostenderet amorem suum ad nos, et ut nos alliceret ad suum admiranda munificentia se nobis communicauit. Et Apostolus ad Romanos v.: Commendat caritatem suam in nobis. Et ad Ephesios v.: Tristus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis. Iohannis xv.: Maiorem caritatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. //

Capitulum decimum: Quod princeps sit liberalis in hospitis susceptione gratissima

Similiter princeps debet esse in susceptione hospitem aduenientium dapsilis et largus. Si enim hospitalitas est in omnibus commendanda, et eius contrarium detestandum prout hortatur Apostolus i. Petrus iii.: Hospitales inuicem sine murmuratione. Et ad Hebreos xii.: Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidem angelis hospicio receptis scilicet Abraham et Loth Genesis xviii. et xix. Multo magis est laudanda in principibus, et eius contrarium uituperandum. Etenim per hanc fauor et amor populorum impetratur, quia splendidum in panibus benedict labia multorum Ecclesiastici xxxi. Unde et saluatorem uoluerunt facere regem postquam eos satiauit panibus Iohannis v. Super quibus Crisostomus omelia lxxxii.: Quod multa fuerat operatus mirabilia, sed numquam confessi sunt scilicet eum, nisi quando impleti sunt panibus. Magna enim tyrannidis est superhabundantia castrimargie, ut ait ibidem. Et econuerso narrat Tullius libro ii. De officiis capitulo xviii.: Quod memento homini ditissimo premissa edulitatis habundantia consolatus repulsam attulit, huius hospitalitatis exemplum Iob xxxi.: Si comedi buccellam meam solus et non comedit pupillus ex ea et post, foris non mansit peregrinus ostium meum patuit uiatori. Hospitalitas enim honestissima et famosissima est principibus prout dicit Valerius de quodam magnate libro vii. capitulo ultimo, aggregentino Gallie possessore. Erat inquit opibus excellens, sed animo locupletior, semperque in eroganda potius quam aggreganda pecunia occupatus adeo ut Dominus eius quasi quedam munificentie officina crederetur. Illic enim publicis apta munimenta usibus instruebantur, illic grata populorum oculis spectacula edebantur, illic epularum magnifici apparatus, labentique annone subsidia oriebantur, et cum hoc uniuersis inopia laborantibus priuata alimenta, dotes uirginibus paupertatibus pressis, detrimentorum cursu quassatis subsidia erogabat. Hospites quos cum urbanis penatibus, cum etiam rusticis tectis benignissime excepti, uariis ornati muneribus dimittebantur. Quodam uero tempore quingentos simul gelengientium equites, ut temptestatis in possessiones suas compulsos aluit ac uestiuit, quid multa, non mortalem aliquem sed propicie fortune benignum dicere finem, ergo quot Gallias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat, pro cuius salute et incrementis tam aggregentina ciuitas quam etiam uicine regiones uocis excusabant. Econtraria parte sunt loca archas habent a // inexorabilibus claustris obseratas, nonne prestantiorem estimas illam impensam quam

hanc custodiam, hec ille. Ex his uerbis patet quod huiusmodi hospitalitas in susceptione hospitem fuit communissima et promptissima, ac colatione necessariorum affluentissima, in diuisione beneficentissima, in subministratione urbanissima. Hec enim debent esse in hospitalitate principum, et hec erant in palacio Salomonis iii. Regum i. Videns regina Sabba domum quam edincauerat Solomon, et cibos mense eius, et ordines ministrantium, non habebat ultra spiritum. Similiter hec erant in conuiuio asueri Hester i.: Vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat habundans et precipuum ponebatur, nec erant qui nolentes bibere cogere ad bibendum, nec debent esse nec apparere in pallaciis principum et conuiuio hystrionici gestus uel meretricum cantus, nec ludi inepti, nec clamorosi risus, nec confusi apparatus, sed ciuiles et honesti gestus. Unde et in conuiuio quod exhibuit Dydo Enee et militibus eius licet essant multa superflua ut de his scribit Virgilius libro i. Non tamen leguntur fuisse inhonesti cantus, nec hystrionia gestus. Ubi dicitur cythara tinnicus yopas personat, aurata docuitque maximus athlas, unum hominum genus et pecudes, unum genus ymber et ignis et cetera. Licet enim esset a femina preparatum, et nimis delicatum et ad uoluptatem tendens, non tamen ibi personuit cythara uel stulticia uel lasciuias, sed que naturalia erant et ciuili conuiuio decentia. In conuiuio uero Enee apud Euandrum officio humanitatis exhibito, alia reposita leguntur, ubi dicitur. Papes iubet uiles, et sublata reponi pocula, gramineo uiros locat ipse sedili precipuumque thoro, et uillosa pelle leonis. Tunc leti iuuenes certatim areque sacerdos. Viscera tosta ferunt thaurorum, oneranturque camstris. Vescitur Eneas simul et Troyana iuuentus perpetim, quot ergo bonis et iustralibus escis. In conuiuio femine cuncta erant aurea. In conuiuio Enee sedile gramineum, et spoliati leonis pellis uillosa, ibi nulla quies ab epulis et deliciis. In isto uero conuiuio necessaria apposita, ibi cytharista, hic sacerdos ad aram, ibi iocosa, hic feria tractabantur. Unde summe cauendum principibus, ne lasciuias deliciarum, et continuationes conuiuiorum, et torpores somniorum ipsum et suos eneruent. Caprana enim luxuria inuictum armis Hanibalem illecebris suis complexa, Romano militi uincendum tradidit sicut dictum est supra // capitulo iii. istius distinctionis. Unde illa uigilantissimum ducem et exercitum acerrimum, dapibus largis, habundanti uino, ungentorum fragrantia, ueneris usu, lasciuiore ad somnum et delicias euacuauit, et sic facta et concussa punita feritas est prout legitur in hystoriis Romanorum, et in Pollicrato libro viii. capitulo vii.

Capitulum undecimum: Quod princeps sit longanimus patientia

Ulterius princeps debet esse longanimus patientia, et imperturbatus, quod narrat Gregorius Moralium xxv.: Potestati amica est patientia, quam debet princeps refrenare ex consideratione naturalis parilitatis sue cum illis quibus preest, quod notatur in dicta auctoritate Deutronomii xvii.: Quod de numero fratrum debet eligi rex, in quo notatur parilitas naturalis eius, et eorum super quibus regnat, quod considerans Iob decebat: Si contempsi subire iudicium cum seruo meo. Et sequitur: Nonne in utero fecit me qui et illum Iob xxx. Et de hac patientia siue tollerantia iniuriarum, siue sustinentia impropiorum, siue remissione eorundem dictum est in breuiloquio de uirtutibus. Summe enim iracundia est cauenda principibus propter eius perniciositatem et turpitudinem, ut enim ait Seneca libro i. De clementia alloquens principem. Loqui non potes nisi ut uocem tuam que ubicumque sunt gentes excipiant. Irasci non potes nisi omnia puniantur. Cum igitur princeps latere non possit, et oculi hominum in ipsum

respiciant prout ait ibidem, prouide debet precauere iracundiam que deformat hominem exteriorem et confundit interiorem prout ait Seneca libro ii. De ira dicens: Quod nichil eque profuit iratis quam intueri deformitatem rei scilicet ire. Nam in ea facies turbator, ora pulcherrima fedat, toruos uultus ex tranquillis reddit. Inquit decor omnes iratos. Qualem putas esse animum cuius extra ymago tam feda est, quanto illi intra pectus est acrior spiritus, terribilior uultus, intensior impetus rupturus se nisi eruperit. Quales sunt hostium uel ferarum cede inuadentium, aut ad cedem euntium aspectus, qualia poete infernalium monstra finxere, succincta serpentibus et igne et flatu et cetera, talem in nobis iram figuremus. Et ideo ait Esicius quod iratis profuit aspexisse speculum ut ymago reperiens ostenderet homini suam difformitatem, et ibi bene de hoc: Cum igitur princeps gestum debeat habere honestum, ob omnium aspectum hominum in ipsum et habere animum imperturbatum ad iudicandum in tranquillitate, // et ad operandum in equitate studio se debet iram cauere, et animum seruare in tranquillitate, quia ira impedit animum ne cernere possit uerum et ira uiri iusticiam Dei non operatur Iacobi i. Debet enim uincere prius iram, que est hostis interior, regnum anime confundens. Deinde uincere hostes regnum exterius inuadentes sicut de fabritio fuit, in cuius laudem ait Seneca libro i. De ira: Quod prius uicit iram quam Hanibalem. Consimiliter de aliis principibus legitur: Quod cum essent potentissimi tamen fuerint pacientissimi, qualis fuit Iulius Cesar prout ait in libro De uita cesarum. Et in sustinentia contumeliarum, remissione iniuriarum, et immoderatione penarum, ubi dicitur quod cum sibi probra contumelia et impropria dicerentur non uindicauit, sicut fuit illud Gallias Cesar subegit Nicomedes Cesarem, et Nicomedes non triumphat qui subegit Cesarem. Imponebatur enim ei quod Nicomedes rex Bithunie fuit abusus eo in iuuentute nephando flagitio, et cum multa conuicia de hoc audisset semper legitur dissimulasse. Similiter cum lato clauo usque ad manus simbratio uti esset consuetus laxius cingebatur ait Sillo ammonens optimates ut puerum male cinctum cauerent. In eodem libro legitur in acie proclamasse, ut ciuibus parceretur quando pugnauit contra Pompeyem et cuilibet suorum concessit seruare unum quemcumque uellet partis aduerse scilicet quando essent capti, nec leguntur ulli periisse ab eo in prelio, exceptis Affricano et Lucio, nec hos quidem de uoluntate ipsius peremptos putant ut dicitur ibidem. Similiter cum esset cupidissimus margaritarum, et diceret Cecilio ut aliquid faceret, respondit, prius inquit satiaberis margaritis. Similiter cum quidem scriberet uellem ut me ad cenam inuitasses profecto nichil reliquiarum fuisset, nunc me reliquie uestre exercent, imponebatur ei quod esset auarus et cupidus. Similiter de Cesare Augusto legitur, prout dicit Pollicratus libro iii. capitulo xviii. quod mire patientie fuit. Cum enim aduersus primatem quendam grauius excandesceret, loquere inquit Augustinus quod placet, quia diligentiam auribus et lingue taciturnitatem indixi, quietem animo, et in omnibus his potentiam meam accusa, quia nichil aliud argui potest nisi impatientia mea. Unde obseruatum est quotienscumque ingrediebatur urbem, ne de quoquam supplicium sumeretur. Item ibidem dicitur, cum quidem sibi diceret. Es rex, Respondit, si enim essem non diceres. Item Turnus eques // Romanus cum macrum turdum sumpsisset in conuiuio Cesaris, interrogauit an mittere liceret, respondit princeps, quid si liceat, ille statim per fenestram misit. Similiter miles peritus aucupii, noctuam que Cesarem inquietabat, spe ingentis premii captam tulit ad Cesarem. Hoc peracto iussit imperator mille nummos dari. At ille ausus est dicere. Malo inquit ut uiuat, aueni dimisit. Abiitque contumax miles, non sine admiratione multorum Cesare non offensus. Item Augustus in pollionem scriperat Phesemios. At ego inquit pollio taceo, non est leue in

eum scribere qui potest proscribere. Sicut autem non facile concipiebat iram, ita nec facile admittebat amicitiam, et quem semel admiserat constantissime retinebat. Et eidem inter uaria de decora a quodam probasse obiectum est, quod ad opinionem auunculi stupro meruerit, quia eum Iulius Cesar altius amasse dictus est, non sine rumore prostrate amicitie. Alius quoque ei iratus obiecit, quod solitus erat rura ardenti face suburere, quo mollior surgeret pilus. Item eo tympanisante inquit Plebeyus: uides ne ut finedus orbem digito temperat, et cum gnanus ob corporis breuitatem conuiciantis cuiusdam impetu diceretur, sibi calciamentis grandiusculis utendum esse respondit. De Tyberio similiter legitur: Quod licet fuerat in multis culpabilis, aduersus conuicia paciens extitit dicens: Quod in ciuitate linguas liberas esse et mentes hominum oportebat. Similiter et Domicianus patiens fuit uerborum, cui fertur dixisse orator Lucanus non esse mirandum quod eneam haberet barbam cui os ferreum cor plumbeum esset eo quod dura dumtaxat loquebatur, que ex iniquitatis adipe quam corde conceperat proce debant. De patientia uero admirabili Augusti Cesaris narrat Seneca libro tercio De ira: Quod cum tymmagines hystoriarum scriptor, quedam in ipsum Cesarem, quedam in uxorem, quedam in totam domum dixerat, nec dicta perdidit, magis enim circumferebantur. Et quia in ore hominum est temeraria urbanitas, et ideo ipsum sepe monuit Cesar, ut lingua moderatius uteretur, perseueranti uero illi domum suam interdixit Cesar, consensit tamen illum in contubernio pollionis assummi et libros acta Cesaris continentes. Idem Tymagines combussit // Et tamen Cesar nec motus est, quot laudibus suis gestisque manus attulerat, nunquam tamen hostem inimici sui questus est. Unde et arguit ibi Seneca: Benedicte sibi quisquis quotiens ira lacessitur, nunquid in domo mea plus possum quam toto orbe terrarum dominus Augustus potuit, ille tamen contentus fuit a conuiciatore suo secedere. Quis sum ego, cuius aures lesi nephas sit, multi ignorauerunt hostibus, ego non ignoscam pigris negligentibus garrulis. Et subiungit, que debent mouere hominem ad ignoscendum, puerum inquit etas excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Et sequitur: Amicus est scilicet qui offendit fecit quod uoluit inimicus fecit quod debuit, prudentiori cedamus, stultiori remittamus, pro quocumque illud nobis rependamus. Sapientissimos uiros quandoque delinquere, neminem esse tam circumspectum cuius non diligentia aliquando sibiipsi decidat, neminem tam maturum cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum casus impugnet, neminem tam dimidium offensarum qui non in illas dum uitat incidat. Nobiles enim uiri despiciunt et obprobria et contumelias prout ait idem ponens bonum exemplum. Proprium inquit est magnitudinis uere, nec quidem sentire se percussum scilicet iniuriis, sicut immanis fera et magna ad latratum canum lenta respicit, et sicut irritus hyrcus ingenti scopulo flexus resultat. Qui enim non irascitur incussus iniuria perstitit, qui uero irascitur motus est. Vir enim nobilis audiens impropria debet cogitare eorum stulticiam, uel intemperantiam, uel ignorantiam. Unde ait ibidem: Quare fers egre inquit rabiem frenetici, uerba puerorum, proteruas manus, nempe quia uidentur nescire quid faciunt, sic et de aliis. Sunt enim imprudentes in omnibus par imprudentia, par patrocinium. Ibidem narrat Seneca de mira patientia Antigoni regis cum quosdam ex militibus audisset omnia mala imprecantes regi qui ipsos in illud iter et inexercabile lutum deduxisset, accessit ad eos qui maxime laborabant. Et cum ignorantes a quo adiuuantur eos explicuisset, nunc inquit maledixistis Antigono cuius uicio in has miserias incidistis, nunc autem bene optate ei qui uos ex hac uoragine eduxit nec amplius eis dixit. Idem Antigonus cum obsedisset castrum, et multa impropria sibi dicerent // ex castro, fiducia loci contemnentis hostem. Gaudeo inquit et boni aliquid spero, sed in

castris meis silentium habeo. Et cum fame eos domuisset, captis sic usus est, ut eos qui militie utiles erant in cohortes describeret, ceteros preconii subiaceret. Idque se negavit facturum fuisse, nisi expediret Dominum habere qui tam malam haberet linguam. Ibidem etiam dicitur quod Scipio Affricanus cuidam arguenti eum quod parum pugnaret, respondit: Imperatorem me peperit mater mea, non bellatorem. Erat tamen fortunatissimus, et strenuus bellator et victor. Idem legitur de Theodosio imperatore et recitatur in codice: Si quis nomina nostra tradiderit maledicto lacessenda eum pene nolumus subiugari, quoniam si ex leuitate procedit contemnendus est, si ab insania, miseratione dignum, si ab iniuria remittendum. Ibidem dicitur de Vespasiano, qui dicenti sibi obprobria, respondit: Huiusmodi hominibus debemus risum nobis correctionem, penam criminosis. De patientia philosophorum dicitur in Pollicrato: Quod Arisippus cuidam maledicenti sibi, respondit, ut tu lingue tue sic ego aurium mearum dominus sum. Ibi etiam dicitur quod Xenophon de ipso maledicenti respondit: Tu didicisti maledicta dicere, et maledicta ego contempnere, et Dyogenes respondit: Oportet sapientiam ab insipientia feriri, et meliorem se iudicat lingua mala quam carpit Socratem interrogavit Alchipiades, quare Xantipem uxorem suam iurgiosam, et quare die noctuque in utilioribus statebat molestiis domo non abigeret, cui respondit philosophus: Cum talem domi perpeior, consuesco et exerceor, ut ceterorum foris petulantiam et iniuriam facilius feram. Quare autem patientia et ire continentia est magis necessaria principibus, rationem reddit Seneca eodem libro dicens: Quod cum utilis sit seruientibus affectuum suorum huius mali rabidi scilicet ire continentia, utilior tamen regibus est, perirent omnia si quam rem suadet ira, fortuna permetteret, nec diu potest que in illo malo exercetur stare potentia. Et enumerat ibi exempla de potentibus, quos potestas incitauit in tytannicam iram. Narrat enim de Dario duce persarum: Quod cum indixisset bellum Sinchicis, rogatus a nobili sene, ut ex tribus filiis // unum sibi in solatium relinqueret, duorum autem opera uteretur plusquam rogabatur pollicitus, omnes si illi dixit remisiurum et occisos in conspectu parentis abiicit crudelis futurus si omnes abduxisset. Similiter narrat ibi de Xerse qui patri petenti uacationem unius filiorum permisit eligere quem uellet, deinde quem eligerat in partes distractum sibi dimisit. Similiter narrat de rege Cambise, quem cum unus ex carissimis nimis deditum uino moneret ut parcius biberet, turpem esse diceus in rege ebrietatem quem omnium oculi aresque sequuntur. Respondit rex, ut scias oculos post uinum esse, in officio manuum approbabo deinde bibit liberlius quam alias, et iubet filium illius stare ex opposito, et ex tendens arcum cor adolescentis transfixit, id enim sepe appetere dixerit et respiciens patrem ait. Si satis certam haberet manum, at ille negavit Appollonem potuisse certius dimittere: O cruentum regem, o dignum in quem omnium suorum arcus uerteretur. Similiter narrat de Arpollo rege persarum, quod cum esset a quodam offensus filios eius epulandos apposuit, et subinde quesiuat an placeret conditura, et ut uidit eum plenum malis suis filiorum capita afferri iussit, et quomodo esse acceptum interrogauit, non defuerunt misero uerba, apud regem inquit omnis cena iocunda. De Syro similiter narrat ibidem: quod cum uersus Babilonem festinaret ad bellum, nec posset transire late fusum amnem gyssen. Et esset unus eques regius ibi submersus, ira commotus iurauit se illum amnem diuisurum, ut etiam non solum transiri sed calcari a feminis posset quem postea in tricentos et sexingentos riuos diuisit, hec feritas regibus barbaris fuit in ira, quos nulla eruditio, nullus literarum cultus imbuerat prout ait ibidem Seneca: Quanta etiam scelera fecerunt principes irati, narrat ibi sicut de Allexandro qui Tytum sibi carissimum et una secum educatum sibi parum adulantem

inter epulas manu sua transfodit, sed obiurgantem eum ex Macedone ac libere in perficam seruitutem transeuntem. Similiter Lisimacum eque sibi familiarem leoni obiecit, et Thalesforum membris truncatum scilicet auribus et naso, in cauea uelut animal quoddam nouum et musitatum diu pauit, et cum esset dissimilimus hominum qui illa patiebatur, dissimilior erat qui faciebat, ait ibi Seneca. Ad uincendam ergo iram et tenendam patientiam in omnibus ut semper sit compos sui, sollicite et studiose princeps debet laborare ne sit uictor hominum tantum sed uiciorum // Nam quomodo terrena ciuitas uult esse uictrix gencium, cum sit captiua uiciorum. Ait Augustinus xv. De ciuitate dei capitulo viii.: Licet multis aliis modis debeat princeps informari, tamen predictis modis principaliter possent euangelici predicatorum habere occasionem edificatorie conferendi cum principibus.

Capitulum duodecimum: Quod princeps sit uirtuosus in uita sua

Quales autem debent esse principes fideles, docet Augustinus optime v. De ciuitate dei capitulo xxiiii. dicens: Neque nos Cristianos quoque imperatores ideo felices dominos dicimus, quia uel diutius imperarunt, uel imperantes filios morte placida reliquerunt, hostes reipublice domuerunt, uel inimicos ciues aduersum se insurgentes et cauere et opprimere potuerunt. Hoc enim et alia huiusmodi erumnose uite uel munera uel solatia. Quidam etiam cultores demonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum quo pertinent isti, et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab eo qui in eum crediderint, istud uelut summum bonum desiderent. Sed felices eos dicimus si iusta imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et nimis honorabiliter salutantium, et obsequio nimis humiliter seruientium, non extolluntur si se homines meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum dilatandum maiestatique eius famulam faciunt si Deum timent, diligunt, colunt, si plus amant plus regnum illud, ubi non timent consortes habere, si tardius iudicant, facile ignoscunt. Si eandem uindictam pro necessitate regende tuendeque reipublice non pro saturandis inimiciciarum odiis exerceant, si eandem ueniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent. Si quid aspere coguntur plerumque decernere, misericordie lenitate et beneficiorum largitate compensant. Si luxuria in eis tanto castigatior quanto potest esse liberior. Et si hec omnia faciunt non propter ardorem manis glorie, sed propter caritatem felicitatis eterne. Si propter peccata sua humilitatis et miserationis et orationis sacrificium, Deo uero ymolare non negligunt. Tales Cristianos imperatores dicimus esse felices, interim in spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit, hec Augustinus. Qui sufficienter ordinabiliter et perfectibiliter, que sunt necessaria principibus enumerauit. // Item de informatione dominorum bene in Tractatu de 12. abusionibus ubi dicitur: Sextus abusionis gradus, Dominus sine uirtute, quia nichil proficit dominandi habere potestatem, si ipse Dominus non habeat uirtutis uigorem. Et sequitur: Tria necessario eum qui dominatur habere oportet, scilicet terrorem, amorem, et ordinationem. Nisi enim ametur Dominus pariter et metuatur illius ordinatio minime constare poterit, per beneficia igitur et affabilitate procuret ut diligatur, et per iustas uindictas non proprie iniurie sed legis Dei studeat ut metuatur. Illius ordinatio minime constare poterit ut supra, propterea quoque dum multi pendent in eo ipse Deo adherere debet qui illum in ducatum constituit, qui ad portandum multorum onera eum uelut fortiorem solidauit et ponit exemplum. Paxillus enim non bene fixus nisi firmiter alicui fortiori hereat, omne quod in eo pendet cito labitur, et ipse

solutus a rigore sue firmitatis cum omnibus ad terram dilabitur. Sic et princeps nisi conditori suo adhereat tenaciter, et ipse et omnis qui consentit et cito deperit. Et ponit ibi exempla de quibusdam qui per officium dominandi Domino appropinquauerunt qualis fuit Moyses, quidam uero deteriores fiunt ut Saul, et in eodem tractatu dicitur quod nonus abusionis gradus est rex iniquus. Et sequitur in fine, iusticie regis est neminem iniuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter uirum et proximum suum recte iudicare, aduenis pupillis et uiduis defensorem esse, cohibere furta adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos et hystriones non nutrire impios de terra perdere patricidas et proiurantes uiuere non sinere, ecclesias defensare, pauperes alimoniis alere, iustos super negocia regis constituere, senes et sapientes et sobrios consiliarios habere. Magnorum Ariolarum Phytomissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter et iuste contra inimicos defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatis causa animum non eleuare, cuncta aduersantia patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare, hec regni prosperitatem in presenti faciunt, et regem ad regna celestia perducent. Qui uero regnum secundum hanc legem non dispensant multas inimirum aduersitates tolerant imperii. Et sequitur quantum ualet iusticia regis seculo, pax inquit populorum est, tutamentum patrie, comitas plebis monimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terre fecunditas, pauperum hereditas, // solacium filiorum, et sibimetipsi spes future beatitudinis. Et sciat rex quod sicut in throno primus constitutus est sic et in penis si iusticia non fecerit primatum habitaturus est. Iniusticie uero regis contrarie sunt commoditates prout ibi narrat Bernhardus. Potentes enim potenter tormenta patiuntur Sapientie vi.

Capitulum tredecimum: De informatione Aristotelis ad Allexandrum

In epistola que dicitur Aristotelis ad Allexandrum multa cribuntur que spectant ad principis informationem ex quibus hic pauca interseruntur. Dominare inquit Aristoteles ad Allexandrum super eos in bonitate: quod si feceris omnes erunt subiecti ad tuum beneplacitum et preceptum, et ob amorem quem habebunt in te dominaberis in eis pacifice cum triumpho. Et sequitur: Si uis uirtutum acquirere largitatis considera posse tuum et tempora necessitatis et merita, debes enim largiri bona cum mensura hominibus indigentibus et dignis, qui enim dat aliter et peccat et transgreditur legem largitatis, quia qui largiter donauit sua non indigentibus nullam acquirit laudem et quicquid datur indignis perditur. Qui uero ultra modum fundit diuitias suas cito uenit ad amara littora paupertatis, et assimilatur illi qui supra se dat suis uictoriam inimicis, qui autem de bonis suis tempore necessitatis dat homini indigenti, talis rex est largus sibi et subditis et regnum illius prosperabitur et mandatum eius obseruabitur, talem regem laudauerunt antiqui, talis rex dicitur uirtuosus, largus, et moderatus. Qui fundit inordinate bona regni sui indignis et non indigentibus talis est depopulator reipublice, regni destructor, inconueniens regimini. Unde prodigus appellatur eo quod est procul a regno suo prouidentia. Nomen uero auaricie multum dedecet regem et disconuenit regie maiestati. Sequitur ibidem quod inuenit scriptum in preceptis magni doctoris Hermogenis: Quod summa et uera bonitas, claritas, et intellectus, plenitudo legis ac signum perfectionis est abstinentia a pecunia et possessionibus subditorum. Sequitur ibidem: O Allexander

declina a conatu bestialium uoluptatum quia corruptibiles sunt, conatus enim uoluptatum generat carnalem amorem, amor carnalis auariciam, auaricia desiderium diuitiarum, illud inuerecundiam, illa presumptionem, illa infelicitatem uel infidelitatem, illa latrocinium, illud uituperationem. // Ex qua nascitur captiuitas uel cupiditas, que ducit ad detrimentum legis, et destructionem familiaritatis, et ad ruinam totius corporis. Dico illud quod sapientes philosophi et diuinitus loquentes dixerunt, quia uidelicet in primis decet regiam maiestatem obtemperare se legibus institutis, non inficta apparentia sed facti euidencia, ut cognoscant omnes. Sequitur: Decet regem legiferos honorare, religiosos uenerari, sapientes sublimare et cum eis conferre. Sequitur: Oportet regem cogitare futura et futuris casibus prudent occurrere. Sequitur: Multum conuenit regie maiestati honorifice indui, cum pulcro apparatu apparere. Item honorificum est regem abstinere a multiloquio, quia ut ait Pollicratus libro v. capitulo vi.: Qui habundant sui copiositate uilescunt, et cum in multiloquio peccatum non desit, pauca prudenter loquentis sermo est preciosus. Unde Socrates querenti, quomodo quis famam optimam compararet. Si gesserit inquit optima, et locutus fuerit pauca. Et prosequitur Aristoteles dicens: Noli frequentare consortia uilium personarum, quia nimia familiaritas parit contemptum. Indi statuerunt, quod rex semel tantum in anno appareat cum regali apparatu, et nobiles stare ante eum, uulgi uero a remotis, et illa die dona elargiri, reos de carceribus emancipare, et pia opera exercere. Et tunc unus sapientior de principibus, consueuit concionari ad regem, referens grates Deo, quia regnum Indorum ita bene ordinauit, et tam sapiente rege patriam decorauit, et post conuertit se ad populum, bonos mores regis enumerans captando beniuolentiam, et inducens eos ad humilitatem, reuerentiam, et obedientiam ac dilectionem regis. Quo facto populus studet regias laudes extollere, pro regia uita Deum exorare, pueros ab infantia inducunt in regis amorem, honorem, obedientiam, et timorem. Consueuit tunc celeratos punire ut ceteri corrigantur, tributa alleuiare, cum mercatoribus dispensare, eisque partem remittere, ipsos cum suis mercibus diligenter defensare, et defendere, et custodire. Et hec est causa quare multum populata est India. // Illuc enim undique libenter concurrunt mercatores, ibique bene recipiuntur, et lucrantur diuites et pauperes, ciues et forenses. Ideo illuc concurrunt et inde tributa regalia et redditus augmentantur. Sequitur: O Alexander noli appetere transitorum et quod oportet te cito relinquere, sed pete diuitias incorruptibiles, noli esse crudelis et inflexibilis ad parcendum his de quibus habuisti uictoriam, cogita de futuris casibus, noli imitari desideria tua in comestione potu, coitu, et diuturno somno. Coitus enim est proprietas porcorum a quo si cessaberis grandis erit tibi gloria non exerceas uicium irrationalium bestiarum et actus brutorum. Crede michi indubitanter quod coitus est destructio corporis, abbreviatio uite, corruptio uirtutum, legis transgresso, mores generat femineos. Decet imperatoriam maiestatem priuatos habere fideles cum quibus delectabitur cum uariis instrumentis organorum cum fuerit tediosus. Anima enim humana in talibus naturaliter delectatur, sensus requiescunt, corpus uigoratur, sollicitudo et curiositas euanescunt, et hoc fiat tribus uel quatuor uicibus, et honestius est quod fiat priuatim. Et tunc abstine te a uino, et poteris multa secreta scire et percipere, debes habere de tua familia speciales qui tibi referant, que fiunt et que dicuntur per regnum tuum, honora sapientes, nullus fit de nobilibus tuis qui tuam non sentiat largitatem, pateat omnibus clementia maiestatis tue et nobilitas tui animi liberalis. Decet habere regem continentiam, discretionem, et a risu multum abstinere, quia risus tollit reuerentiam et generat senectutem. Ille rex est laudabilis qui assimilatur aquile dominanti et non uni subiectarum. Si quis in presentia eius iniuriam faciat, considerandum quo

animo fiat, an ludendo ut placeat, an in contemptum. Primo modo leuiter corripitur. Secundo grauius, ius dominationis attende. Obedientia dominationis in quatuor attenditur. In religiositate, dilectione, curialitate, et reuerentia. Rex in regno sicut pluuia in terra que est celi benedictio, et terre uita uiuentium iuuamen: Et plus tempore necessitatis succurre ciuitatibus, tunc debes aperire celaria tua, ut uiuant uniuersi prouidentia tua, caue effundere sanguinem humanum, quia hoc soli Deo conuenit. Ait enim Hermogenes quando creatura interficit creaturam sibi similem, uirtutes celorum clamant ad diuinam maiestatem dicentes. Domine // seruus tuus uult tibi esse similis, annales patrum discute, inde poteris multa bona exempla extrahere, facta preterita dant certum documentum in futuris. Caue ne infringas fidem datam quia conuenit hoc infidelibus iuuenibus et meretricibus. Rex nisi multum rogatus uel irritatus non debet iurare. Studia in ciuitatibus statue, precipue hominibus tuis, ut filios doceant scientias literarum, et tuam decet prouidentiam eis in necessariis subuenire. Regnum Grecorum sublimauit diligentia studentium probitas sapientum, nunquam confidas in operibus mulierum et seruiciis, recole factum regine indorum. Quando mandauit tibi causa amicicie multa exennia et dona uenusta inter que missa fuit illa uenustissima puella, que ab infantia imbuta fuerat et nutrita ueneno serpentino, ita quod natura sua uerba fuerat in naturam serpentis. Et nisi ego diligenter inspexissem in illam, et arte magica indagassem eo quod ipsa ita audacter horribiliter et incessabiliter et inuerecunde figebat uisum in faciem hominis, perpenti siquidemque quod interficeret homines solo uisu uel morsu quod tu experimento probasti. Et nisi hoc tibi certissime ostendissem mors tua fuisset ardore ipsius coyus subsecuta. Ex premissis igitur predicator diuinus potest habere occasionem instruendi principes, et utiliter conferendi cum eis maxime tempore pacis.

Capitulum tredecimum: Quod princeps non faciat iniusta bella

Et quia tempus est belli et tempus pacis Ecclesiastici iii.: Principes sunt informandi tempore belli. In primis ergo notandum quod belli illati a principe uel assumpti debet esse iusta necessitas, et debet esse eiusdem iusticie equitas, ac in exercendo intentionis ordinabilitas. Quia ut dicitur 24. questione i.: Bella possunt sustineri secundum euangelium, ut occasio iniquitatis eripiatur et propter pacis necessitatem. In bello enim iuste repellitur siue reprehenditur nocendi cupiditas ulciscendi crudelitas, impatientis atque implacabilis animi feritas seueritas debellandi, libido dominandi, et si qua similia que in bellis reprehenduntur ut ait Augustinus xxii. Contra faustum. Et similiter questione dicta, in qua dicitur: Quod bella non sunt peccata que fiunt propter malorum cohertionem, bonorum sublimationem, et propter obedientiam reipublice exhibendam, et ibi satis de iustis bellis de quibus Augustinus ubi supra. // Quod auctoritas belli est penas principem, ministerium exequendi penes milites, et post bellum quod gerendum Deo auctore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, uel ad terrendam, uel recondendam, uel subiugandam mortalium superbiam. Et idem Augustinus epistola v.: Misericorditer si fieri posset etiam bella gererentur a bonis ut licentiosis cupiditatibus domitis, hec uicia perderentur que iusto imperio uel extirpari uel puniri debuerunt. Et de iusto bello v. De ciuitate dei capitulo xv. et xxii. capitulo v.: Bellum tamen nunquam debet fieri nisi urgente necessitate, prout dicitur dicta causa questione 8.: Si nulla urget.

Capitulum decimumquartum: Quod princeps in bellis caueat a Dei offensa

Secundo est princeps admonendus, ut sit in eo cura omnia que Deum offendunt et ecclesiam eius cauendi, et ea que Deo placent et ecclesie prosunt sectandi, diligens studiositas. Debent enim principes et sui summe prouidere, et habeant Deum secum quod erit quando obediunt eius mandatis et ea adimplent prout ait Achor alloquens holofernuem Iudith x. ubi cum recitauit beneficia Dei exhibita populo suo concludit. Nunc ergo Domine perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, et ascendamus ad illos quoniam tradens tradet illos Deus tibi, si autem non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere ei et cetera, usque defendet illos. Numeri xiiii.: Nolite timere Dominus uobiscum est. Leuitici xxvi.: Si in preceptis eius ambulaueritis. Sequitur: persequimini inimicos uestros et corruent coram uobis. Econtrario Iosue vii.: Quod ob furtum unius scilicet achor multi occisi sunt de populo. Qui uult igitur uictoriam habere in bello habeat Deum secum, exemplo Abrahe, Moysi, Dauid, et aliorum principum iustorum.

Capitulum decimumquintum: Quod princeps in expugnando sit cautus

Item princeps debet prouidere ut sit in suis militibus regiminis ordinabilitas, et expugnandi artificialis sagacitas. Debet enim scire artem rei militaris, quam artem dicuntur Lacedomonii tradidisse propter quod Hanibal Ytaliam petiturus // Lacedomonium quesiuit ductorem, prout dicitur in Pollicrato libro vi. ubi narrat Trogus Pompeyus libro xi. de Allexandro: Quod cum ad periculosum bellum exercitum eligeret, non iuuenes robustos, nec primum florem etatis, sed ueteranos plerosque etiam emeritos militie, qui cum patre patruos etiam militauerunt, ut non tam milites quam magistros militie electos putaret ordines, quia nemo nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneret senatum alicuius reipublice uidere dicere. Itaque nemo in prelio fugam sed in lacertis fuit. Econtrario fuit de Dario et de suis, et ideo illi uictores et hi uicti. Qui enim secundos optat euentus dimicet arte non casu ut dicitur in Pollicrato ubi supra, quam artem noscunt experti in militia ut dictum est.

Capitulum decimumsextum: Quod princeps suos coherceat disciplina

Item prouidere debet princeps ut in se et militibus suis sic debita et recta disciplinabilitas, cohibendo scilicet carnis lasciuias, comessiones, uoluptates, et impudicicias, cupiditates, rapinas, dissensiones, discordias, presumptiones, et inobedientias. De facili enim potest uinci exercitus quam tuscunque ubi non uiget disciplina debita, prout dicitur in Pollicrato libro vi. capitulo xii.: Quod Romanis adeo profuit disciplina, ut orbem terre sue subiicerent dicioni. Allexander Macedo exiguum manum militarem suscepit a patre sed doctam qua assuefacta militie orbem terrarum aggressus innumeras copias hostium subdidit. Xerses a tricentis Lacedemoniorum ad tremepilas uel ad tremulas uexatus, cum eos manu infinita plerisque suis amissis uix conuicisset in eo se deceptum dicebat quod multos quidem homines habebat, uiros autem disciplina tenaces nullos. Et limiliter fuit uictus turpiter apud salaminam ut uix in una nauis euasit, fertur tamen quod duces exercitus eius non consueuerunt pre multitudine numerari aliter quam singulis telis receptis a singulis, ut ex numero telorum ducum numerus teneretur. Frustra enim principes sperant uictoriam, nisi uigeat apud se et suos disciplina, cohibendo predicta.

Unde narrat Valerius libro ii. capitulo ii.: Quod Cornelius Scipio consul in Hispaniam missus ex momento quo castra intrauit, edixit ut omnia que uoluptatis causa comparata erant auferrentur, et submouerentur. Constatque tunc maximum institorum et lixarum numerum, cum duobus milibus scortorum inde abiisse. Et sic exercitus qui ante // metu mortis deformi se sceleris sederis ictu maculauerat, erecta et recreata uirtute, aciem illam et animosam mirantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo equauit. Et de hoc quere infra ubi de disciplina militari.

Capitulum decimumseptimum: Quod princeps laboret ut in suis sit fidelitas uera

Item princeps debet prouidere ut in suis sit uera fidelitas, et suiipsius ab eis amabilitas. Ut enim ait Iulius Cesar qui non laborat ut militibus sit carus militem ne scit amare, prout dicitur de ipso in libro De uita cesarum parte prima: Quod militem nec fortuna probabat sed tantum moribus et uiribus, tractabatque pari seueritate seruitute atque indulgentia, non ubique et semper, sed cum hostis in proximo esset, et cohercebat tunc maxime exactor grauissimus discipline delicta, neque obseruabat omnes, sed sediciosorum punitor acerrimus, suos milites commilitones appellabat, diligebatque usque adeo ut audita clade tituriana barbam capillumque submiserit, nec ante depresserit quam uindicasset, quibus rebus et deuotissimos sibi et fortissimos milites reddidit, his modis attrahit princeps corda suorum plusquam pecunia uel muneribus, prout dicit Tullius libro ii. capitulo xvii. De officiis recitans dictum Philippi ad Allexandrum in quadam epistola prelcare inquit: Allexandrum filium Philippi accusat quod largitione beniuolentiam sequeretur. Quod malum te inquit uel ratio in istam spem uanam induxit, ut eos tibi fideles esse putares quos pecunia corrupisses, an tu id agis ut Macedones non te regem suum sed ministrum et prebitorem putent, quod quia sordidum est regi, melius quam largitudinem corruptalem dixit esse, fit enim deterior qui accipit atque ad idem semper expectandum paratior, hec illo filio sed preceptum putemus omnibus. Idem Valerius libro vii. capitulo ii.: superaddit quod auus eius Philippus, maiori ex parte mercator Grecie magis fuit quam uictor. Sed quia homines sunt cupiditate insatiabiles mutabiles et instabiles. Oportet principem multa dare prout ait Seneca libro x. De beneficiis capitulo xxiiii.: loquens de Philippo predicto qui cuidam militi dederat alterius predium. Reges inquit donant in bello opertis oculis, non sufficit homo unus tot armatis cupiditatibus, non potest quisque eodem tempore // et bonum uirum et bonum ducem agere. Quomodo tot milia hominum insatiabilia saturabuntur quid habebunt si suum quisque habuerit quasi diceret. Princeps uel Dominus quasi cogitur ob armatas cupiditates suorum, ad auferendum quibusdam et dandum aliis, nec negat Philippus in epistola supradicta, quin oporteat principem largum esse et multa dare. Sed insinuat quod non sunt multum fideles qui sola pecunia quasi conducuntur et mercantur magis enim condescenssiua benignitate et sociali affabilitate, attrahit princeps suos ad amorem quam pecunia. Unde narrat Valerius libro viii. Capitulo viii.: Quod Themistodes omnium ciuium suorum nomina memoria comprehendit. Et Thirus omnium militum suorum nomina similiter sciuit. Et Metriades centum et uiginti gentium que sub eius regno erant, linguas didicit. Ille Thirus scilicet ut suum sine monitore exercitum salutaret, hic ut eos quibus imperaret sine interprete alloqui posset. Idem Solinus libro ii. superaddens: Quod hic fecit sicut imperatores qui fecerunt ut suos attraherent ad suum amorem.

Capitulum decimumoctauum: Quod de celo est uictoria, et quod debet esse in eo spes firma

Et quia uictoria est de celo a rege regum, sed quia non in multitudine exercitus uictoria belli, sed de celo fortitudo est i. Machabeorum iii. Principis debet esse uera fides et firma spes, et pia supplicatio ad Deum, ut ipse sit dux belli et protector suorum. Exemplo Moysi Exodi xxii. ubi dicitur: Cum leuaret Moyses manus uincebat Israhel. Unde Deutronomium xx.: Si exieris ad bellum contra hostes et cetera non timebis eos, quia Deus tuus tecum est. Et sequitur: Appropinquante bello, stabit sacerdos ante aciem et sic loquetur. Nolite metuere, quia Dominus in medio uestri est, sic fecit Theodosius, prout narratur in Hystoria romanorum ubi dicitur: Quod cum Eugenius et Arbogastes cum instructa acie Alpium transitum tenuissent, Theodosius expere cibi et somni, orationi incumbens, totam noctem peruigil exegit, cum tamen se esse destitutum a suis sciret, ab hostibus arcumseptum nesciret, fiducialiter arma suscipiens, signumque crucis prelio se dedit, ac se in bellum etiam se nemo sequeretur uictor futurus immisit. Nam consultus Iohannes anachorita cum uicturum sponderat. Unde sequitur ibi: Quod cum ad congressionem uentorum esset uehemens turbo a parte Theodosii in ora hostium ruit, qui et ab eius parte // spicula missa ualenter hostibus infigeret, et hostili etiam manumissa reflecteret, alibi repelleret ut dictum est supra. Et sic hostilis exercitus prostratus Eugenius captus atque interfectus Arbogastus manu sua propria percussus est, ex quo paret quantum ualet in bello iusticia principis et orationis instantia. Unde et ibidem sequitur, et post mortem Theodosii filiis suis regnantibus Archadio et Honorio gildo comes Affrice arbitratus in paruulis minimam spem fore Affricam proprio iure usurpare cepit, cuius frater Malalechel huius perfidiam perhorrescens rediit in Ytaliam, qui missus ad illum hostem bello insequendum, iam sciens a Theodosio, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Cristi clementiam Dei impetraret, caprariam insulam adiit inde secum sanctos uiros adducens, cum quibus orationibus et ieiuniis dies aliquot continuauit et noctes, ante triduum quoque quam hosti contiguus fieret, cernit noctu beatum Ambrosium Paulo ante defunctum qua uel quando uictoriam caperet, diem sibindicantem et locum, ac tercio demum die orationibus ymnisque peruigil cum quinque solis milibus aduersus octogintamilia hostium pergens, eos Dei nutu sine bello in editionem accepit Gildo comes fugam arripuit. Et post aliquot dies strangulatus interiit. Mirifica ergo diuina bonitas, et magnifica fidei multiplex orationis utilitas. Et in his princeps debet honorare ecelesiam Dei et eius ministros, et prohibere suis ne presumant ecclesias inhonorare. Unde narratur ibidem: Quod predictus Malalechel rerum secundarum insolentia tumens, ecclesiam Dei temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitauit extrahere, sed pena mox secuta est sacrilegum, ipse post aliquantum temporis punitus est. Similiter narratur consequenter ibidem: Quod cum achila deuastaret Ytaliam, uir sanctus Leo papa ad eum accessit, et cuncta que optauerat optinens, non tantum Rome sed totius Ytalie uictoriam reportauit. Territus nanque Achila Dei nutu fuerat, nec Cristi sacerdoti aliud ualuit respondere nisi quod ille preoptabat. Fertur quoque Achilam a suis post recessum pontificis interrogatum esse, cur ultra solitum morem tantam reuerentiam Romano pape exhibuerit, quoniam quidem ad omnia pene que ille imperasset obtemperari ipse iussisset. Tunc regem respondisse, non se pape personam reueritum esse, sed alium se uirum iuxta eum in habitu sacerdotali astantem // uidisse, forma angustiolem, canicie uenerabilem, illumque euaginato quoque gladio sibi

terribiliter mortem minantem, nisi cuncta que ille expetisset expleret. Cum enim princeps sit minister Dei, suscipiens gladium ab ecclesia ut dictum est supra, iustum est ipsum ecclesiam honorare, eius ministros defendere, et eorum iniurias propulsare.

Capitulum decimumnonum: Quod princeps coherceat sensus suos ab omni concupiscentia

Viso qualiter princeps debet regere alios, ne false importet nomen principis uel regis, sollicite studere debet ad regendum se et familiam motu passionum interiorum et ad principandum concupiscentiis que militant aduersus animam, ut enim dicit Ysidorus ix. Ethimologiarum capitulo iii.: Rex dicitur a regendo, recte faciendo nomen regis tenet peccando amittit. Rex eris si recta facis, aliter non eris. Ille uero uere est princeps et realiter qui sibi principatur scilicet mentalibus appetitibus et desideriis carnalibus, et merito ille rex est qui eos regit Iob xii.: Effundit despectionem super principes. Unde Gregorius Moraliu xi.: Principes dicuntur qui cogitationibus dominantur, uel principantur, et super illud ibidem. Baltheum regis dissoluit dicit Gregorius ubi supra: Qui membrorum suorum motus bene regere sciunt merito reges uocantur. Et supra illud Iob xxxvi.: Reges in solio collocat in perpetuum. Gregorius Moraliu xxvi.: Reges quam prelati scilicet motibus carnis, modo luxurie appetitum frenant, modo estum auaritie temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo liuores suggestionis obruunt, modo ignem furoris extinguunt, reges qui temptationum suarum motibus non consentiendo succumbere sed regendo preesse nouerunt, hec ille, qui tales sunt ueraciter et uirtualiter reges sunt. Ideo oracius in carmine lirico ad reprehendum dominandi libidinem ita canit sicut recitat Augustinus quinto De ciuitate dei capitulo tredecimo: Latius regnas auidum domando spiritum quam si libiam semotis gradibus iungas, et uterque populus seruiat uni. // Et de hoc Claudianus egregie alloquens Theodosium: Tu licet extremos late domineris per indos. Temedus te mollis arabs te seres adorant. Si metuis si praua cupis, si duceris ira Seruicii parare iugum tollerabis iniquas. Interius leges, tunc omnia iura tenebris. Cum poteris rex esse, tui procliuior usus in peiora datur suadet quod limina luxum, illecebris effrena fauet, tunc uincet sed comprime motus Asperius tamen prompta uenas cum durius ire. Consulitur cum pena patet, sed comprime motus. Non tibi quod liceat, sed quod fecisse decebit. Occuret mente, domet respectum honesti, hec ille. Unde et Valentinus Imperator octogenarius, et adhuc uirgo, die fati sui, preconia triumphorum suorum reuelans, quibus fuerat felicissimus, ait se tantum una uictoria gloriari, qui requisitus qua, respondit. Quia inimicorum nequis simam domui meam carnem amice. Hic imperator in gloriis migrasset a seculo, nisi ei restitisset. Cum qua tu familiarem assensum pepigisti. Ait Valerius in primo tractatu: Illi ergo sunt reges et principes, qui sic seipsum et sua omnia regunt Iob uicesimonono. Cum regibus et consulibus terre. Ubi Gregorius quarto Moraliu: Reges qui sua bene corpora regere sciunt, qui desideriorum motus in se temperant, super subiectas cogitationes leges uirtutis regulant. Reges, quia sibi ipsis president, et se regere sciunt. Ideo beata terra, cuius rex nobilis est. Et ue terre cuius rex puerem Ecclesiastici xi. Ut enim ait Seneca Epistola sexagesimanona: Multi ut hostem uinverent, uicti sunt cupiditate. Nemo cupiditatibus resistit, nemo ambitioni, nemo crudelitati, et cum agere uideantur ab eis agitantur uel agebantur. Et epistola centesima uicesima: Loquens de Allexandro, ait uictor tot regum, tot populorum, ire tristicieque succumbens. Id enim egerat ut omnia potius in potestate haberet quam se: O

quam magnis homines tenentur erroribus, felicissimos se iudicant ignari, quia imperare sibi maximum est imperium. Et propter hoc idem tricesimaoctaua epistola: Si uis omnia tibi subiicere, subiice te rationi. Multos reges si te ratio regat ab ipsa disces quid et quemadmodum aggredi debeas. Et quia non semper sic facit homo, ideo non semper uerus rex, prout ait idem capitulo uicesimoprimum. Animus noster modo est rex modo tyrannus, rex est cum honesta intuetur salutem commissi corporis curat, et isti nichil imperat turpe, nichil sordidum. // Ubi uero corpus est impotens et delicatum, transit in nomen detestabile, et fit tyrannus parum igitur ualet principari gentibus exterius dominari prouinciis easque humanis regere legibus nisi princeps illos regens, regatur lege rationis, et lege diuine equitatis. Malus enim si regnat, seruus erit tot dominorum quot uiciorum, prout ait Augustinus iiii. De ciuitate dei capitulo iii.: Et econtrario, melior est qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, Prouerbium xvi. Quia ille uincit et expugnat exteriora, hic uero regit et ordinat sua interiora secundum quod exponit Gregorius in Pastoralis capitulo xii.: De tali rege verificatur, illud Prouerbium xx. Rex qui sedet in solio iudicii intuitu suo dissipat omne malum.

Capitulum [uicesimum]: Quod princeps caueat a tyrannide et in iusticia

Ex predictis patet qualiter differt princeps siue rex a tyranno: quia princeps dicitur qui est legitime institutus et iure diuino et humano principatur, et qui est uirtutibus predictis perditus, et se ipsum regit ut dictum est. Tyrannus uero qui contrariis modis se habet Iob xii. Numerus eorum Tyrannidis annorum incertus est. Et ibi Gregorius Moralium xii.: Tyrannus est, qui in communi republica non iure principatur, et libro x. Pollicrati capitulo i.: Quod differentia est Tyranni et principis: quia hic legi obtemperat, et eius arbitrio regit populum, cuius se credit ministrum Tyrannus uero qui contrariis modis se habet in litteris secularibus, cautum est uel cautum, quod non est peccatum Tyrannum occidere sed equum et iustum, ait idem libro tercio in fine, subdens rationem, qui a Deo recipit potestatem, legibus seruit et iusticie, et iuris famulus est. Qui uero eam usurpat, et iura deprimit, et uoluntati sue iura submittit, in eum ergo merito armantur iura, qui leges exarmat. Ideo Tullius tercio De officiis capitulo septimo.: Nulla est nobis societas cum Tyrannis sed potius summa distinctio neque enim contra naturam est spoliare eum si possis, quem etiam honestum est necare, atque hoc genus postiferum atque impium, ex hominum societate exterminandum est. Etenim ut membra quedam amputentur, si sanguine et spiritu carere ceperunt, et nocent ceteris membris corporis sic et ista tanquam infirma hominis feritas et immanitas bellue a commune humanitate corporis segregandam. Unde et omnis princeps, licet sit legitime institutus, debet // tamen cauere ab operibus tyrannicis, que sunt in iustis legibus populum subiectum opprimere, indebitis tributis et talliis agrauare rebus propriis spoliare, operibus indebitis angariare uel agrauare ab inuadentibus hostibus non defendere, prepositos et bali nos iniustos ad populum excoriandum perficere et sic de aliis, quia ait Augustinus De ciuitate dei capitulo secundo: Rex cum est iniustus tyrannus est. Et sapiens Ethicorum viii.: Ponens differentiam inter regem et tyrannum Tyrannus est, qui quod sibi est conferens intendit. Rex qui quod est utile subditorum. Rex est, qui per se sufficiens in omnibus bonis superexcellens, et talis nullo indiget, utilia non sibi sed subditis intendit ut ait ibidem. Unde de principantibus modo tyrannico dicitur Prouerbium xvii. Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius, super populum pauperum. Dux indigens prudentia multos

opprimit per calumniam, de talibus conqueritur Dominus Ysaie decimonono. Princeps tui infideles socii furum et cetera. Et de talibus loquitur Seneca libro tercio De naturalibus questionibus capitulo primo: Potius est deorum opera celebrare, quam Philippi aut Allexandri latrocinia, et Hanibilis et aliorum. Et sequitur quod est precipuum in rebus humanis non classibus Maria compleesse, nec in rubri maris lirore signa posuisse, nec deficiente terra ad iniurias aliorum errasse in oceano ignota signa querere, sed non uidisse: Quia nulla maior uictoria quam uicia domuisse, innumerabiles sunt, qui populos in potestate habuerunt, paucissimi que se, hec ille. Sed princeps nobilis et iustus cauet a predictis, cogitans quod est patrie pater, ut habitum est supra ut enim ait Aristoteles Ethicorum octauo. Similis est comparatio regis ad subditos, et patris ad filios, pastoris ad oues paterno enim modo, pie debet regere populum, et clementer ut dictum est supra. Que sit autem merces principum bonorum regentium temporaliter dicitur. Deutronomium xvii.: Non multiplicabit sibi equos. Sequitur ut longo tempore regnet ipse et filii eius super Israhel, quale uero sit damnum tyrannice regnantium dicitur Ecclesiastici quinto. Regnum a gente in gentem transfertur propter iniusticias et contumelias et diuersos dolos, ut patet de Saule i. Regum xvi. Et post de Ieroboam Regum 12.: Eterna uero merces bene regnantium est regnare cum rege regum ineternum, sicut fuit se Dauid. // Iunuste uero principantium, damnatio eterna. Iudicium durissimum his qui presunt fiet. Et potentes potenter tormenta patientur, Sap. vii.

Distinctio quarta [prime partis]: De informatione eorum qui sunt presides prouinciarum et iudices

Expeditis cum Dei adiutorio occasionibus alloquendi principem qui est ad modum capitis in republica. Consequenter de informationibus eorum qui se habent ad modum membrorum in republica dicendum est. Ut enim tactum est supra, presides prouinciarum et iudices ac legis periti, uendicant sibi officium aurium oculorum et lingue. Et loquendo per approbationem, presides prouinciarum siue potestates ciuitatum siue prepositi populorum siue ballini uillarum, habent se ad modum aurium. Suscipiunt enim precepta principis. Et ideo auribus assimilantur. Iudices uero qui recta uident et iudicant, oculis assimilantur. Sed lingue cuius usus est eloqui possunt comparari iurisperiti et patroni.

Capitulum primum: Quod presides non ambient illa officia

Primi autem scilicet presides et prepositi sunt admonendi et instruendi, ne sint cupidi et ambiciosi talium dignitatum propter easdem rationes, propter quas princeps non debet ambire principatum de quibus supra. Si enim latrocinia sunt regna quedam parua secundum Augustinum et Tullium supra. Multo magis tales dignitates sunt quidam principatus. Unde et utentes eis, uocantur potestates. Non ergo ex ambitione uel cupiditate lucri temporalis, nec ex cupiditate transitorii honoris, debent assumere huiusmodi officia, uel ut uerius dicam, onera et pericula, sed debent assumere intuitu obediencie superioris principis et iniungentis, et affectu commodi reipublice, et desiderio subueniendi indigentibus suo auxilio et patrocinio, Ecclesiastici octauo. Noli querere ab homine ducatum nec a rege Kathedram honoris. Noli querere fieri iudex nisi ualeas uirtute irrumpere iniquitates, sed ualde difficile est irrumpere iniquitates diebus istis, quia multi iniqui et infideles sunt regno, pauci uero boni. Ait enim Actius sicut // recitat

Tullius tercio de officiis capitulo decimonono ubi ait ad uulgi opinionem que maior utilitas quam regendi esse potest nichil tamen mutilius ei qui iniuste consecutus sit inuenio. Possunt enim cuique utiles esse angores et languores et sollicitudines diurni et nocturni metus, uita insidiarum et periculorum plenissima. Hec ille. Et uere ille qui ex ambitione et libidine presidendi consequitur, dignitatem prefecture iniuste consequitur. Indigni ergo non sunt a principibus preficiendi in dictis officiis. Prout ait Valerius libro sexto capitulo octauo narrans de illo qui consuluit neutrum mitti in Hispaniam consulem a senatu de duobus quorum alter nichil habuit, alteri nichil erat satis, eque malam imperii magistram iudicans inopiam et auariciam. Quando enim prefectus egenus est, multa extorquet a subiecto populo ut sustentetur et ditetur. Quando auarus est prefectus, multa rapit ut eius inexplebilis auaricia satietur. Tales enim sunt excludendi, et amouendi a talibus officiis. Unde in historiis super actus apostolorum narratur de Tyberio quod erat in negociis morosus et segnis, et uix aut nunquam mutabat procuratores et querentibus causam respondit: Parcere se plebicole. Scientes enim se habere procuracionem ad modicum tempus, emungunt usque ad sanguinem. Et tanto dominantur acrius quanto breuius, et qui recentes ueniunt, dissipant quicquid inueniunt. Et dicebant exemplum de uulnerato qui cum esset in uia nec amoueret muscas de uulnere. Alter superueniens putauit quod hoc dimitteret ex imbecillitate abegit eas, ad quem ille: Male fecisti quia illas quas remouisti plene erant sanguine, et me partius molestabant, que autem superueniunt acrius pungent, sic et procuratores uel officiales recenter substituti acrius insubditos deseuiunt. Hec ille. Habentes enim maiorem famem siue ex inopia siue ex auaricia improbius rapiunt et deorant, ut Valerius libro vi. capitulo ii narrat de uetula que orabat deos pro uita Dyonisii tyranni a qua cum ille querent: Quo merito suo id faceret, respondit: Quando eram puella et grauem haberemus tyranum, carere eo cupiebamus quo interfecto // Deterior arcem eius occupauit, eius quoque finiri dominationem magis omnis cupiebant iterum. Tercium te importuniorem superioribus habere cepimus rectorem, timens itaque ne si tu fueris assumptus deterior in locum tuum succedat, caput meum pro salute tua deuoueo. Tam facetam autem audaciam punire Dyonisius erubuit. Quales autem sunt assumendi et preficiendi sufficienter docetur, Exodi xviii. Prouide, inquit Dominus, de omni plebe uiros potentes, alia litera sapientes et timentes Deum in quibus est ueritas et qui oderint auariciam et constitute ex eis tribunos et centuriones et cetera. Debent enim esse potentes, iusticie et aliarum uirtutum firmati et stabilitate, et timentes Deum, cultus diuinos amantes summa pietate. Et in eis debet esse ueritas uite, et etiam iudicii in recta diiudicatione et debent odire auariciam detestatione et munerum refutatione. De quibus infra et absque subiectorum excoriatione et spoliacione. Talis erat seuius Abrahe qui preerat omnibus que habebat, ut patet Gen. 24. Talis erat Ioseph quem prefecit Pharaon toti terre Egipti, Gen. 42. Et talis debet esse seruus fidelis et prudens super familiam domini sui, prout dicit Saluator, Math. 24.

Capitulum secundum: Quod presides caueant a pompa seculari

Qualis autem debet esse quilibet talis prelatus et qualiter regere debeat populum sibi subiectum patet supra ex dictis de principe. Debet enim imitator esse boni principis et recte se regere in officio sibi commisso sicut et princeps in suo dominio et regno. Secundum enim iudicem populi sic et minister eius. Eccli. x.: Et sicut dux debet rectificare omnes in suo dominio recto regimine, sic et quilibet presidens sub eo, unde

Ecci. x: Qualis est rector ciuitatis tales habitatores in ea. Nichilominus tamen cauere debet a seruorum et familia numerosa pompa et a nimia personarum inutilium sequela ad populi subiecti grauamen exemplo antiquorum, unde narrat Valerius libro x. capitulo iii. de Chatone qui etiam cum bellis ciuilibus interesset, filium secum trahens duodecim seruos habuit. Similiter narrat ibidem de Scipione Emiliano quod post duos melitos consulatus, totidem que sue precipue glorie triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est. Et sequitur itaque cum per socios et externas gentes iter faceret, non eius mancipia sed uictore numerabantur. Nec quantum // auri et argenti sed quantum amplitudinis secum pondus ferret estimabatur. Item cauere debet preses qui preest populis a congregatione indebita diuitiarum, et ab exorta iniuste pecunia, exemplo antiquorum prout narrat Valerius ibidem de talibus quod post consulatus in nullo fuerunt ditiores, se etiam mortui sunt pauperes. Unde narrat ibidem quod Valerius post tres consulatus populo Romano acceptissimus sic mortuus est, quod patrimonium ad exequiarum expensam non sufficiebat. Similiter narrat de Archonenio qui fuit arbiter salutis publice ut ita pecunie inops discederet quod sepulture honore careret, nisi ex collecta pecunia a populo fuisset funeratus et similiter narrat de aliis quod sic pauperes decesserunt post suos consulatus quod non haberent. Unde dotarent filios suos maritandos nec unde possent sepeliri cum honore et hoc ideo quia quilibet intendebat saluti reipublice et non commodis propriis ut dictus est supra ubi de principe et de consulibus bene narrat Vegecius libro quarto capitulo tercio ubi dicit quod Scipio post res gestas prospere in Hispania in summa paupertate decessit. Nec ea quidem relicta pecunia que sufficeret in dotem filiarum quas ob inopiam publice dotauit senatus. Item debet cauere talis a commessatione et luxu et luxuriarum lasciua, unde narrat Valerius ubi supra de quodam illustri uiro, scilicet de Kathone, quod tribus seruis committatus Hispaniam rexit et eodem cibo eodemque potu contentus erat quo remiges. Illum enim grata frugalitatis consuetudo in hoc genere uite cum summa dulcedine continebat. Similiter narrat Vegecius ubi supra capitulo primo qualiter antiqui cauebant a luxurie lasciua ubi ait quod Antigonus cum audisset filium diuertisse in eius domum, cuius tres filie insignes et speciose essent iussu edixit, ne quis minus quinquaginta annis natus, hospitio matrisfamilias uteretur. Predicta enim multum nocent existentibus in officiis publicis, et etiam populis subiectis. Et ideo a predictis debent cauere quorum multi tamen contraria faciunt, quod dolendum est, summe autem sic presidentes Deum habere debent et ecclesiam in reuerentia et populum subiectum sub disciplina. Et nichilominus tractare pauperes cum misericordia cogitantes quia oportet eos misereri paupertati subditorum ut Deus habeat misericordiam. Unde narratur in uita beati Basilii quod accessit quedam muliercula tanquam ad potentem apud principem regionis postulans sibi prouidentiam fieri, id est misericordiam, per eum qui scripsit ei: // Hec mulier dicit me posse apud te si ego possum ostende. Et ille rescripsit ei: Pater sancte, uolui misereri illi sed non potui pro eo quia tributis subiacet. Cui Basilius rescripsit: Siquidem uolens non potuisti bene ut cumque res se habeat, si potens non uoluisti, ducat te Christus ad indigentium chorum et ad indigentiam horum ut quando uolueris non possis, et sic factum est. Postea enim captus est ille et intercessione beati Basilii liberatus qui gratias agens restituit mulieri in duplum quod abstulerat. Ideo ait Saluator, Math. 18.: Nonne oportuit te misereri conserui tui sicut et misertus sum tui, et Math. xxiiii. de malo seruo qui manducat et bibit cum ebriosis et percutit seruos ad quem ueniet Dominus die qua non sperat. Prout dicitur ibidem in predictis etiam modis quibus

princeps est informandus, potest et quilibet informari qui preest populo sub eo, ut dictum est et cetera.

Capitulum tercium: Quod iudices discuciant et diffiniant causas cum diligentia

Iudices autem uendicant sibi locum oculorum in republica, ut dictum est. Sicut enim oculi discernunt eaque sunt ad corporis utilitatem a nociuis quia oculi speculatores quidam sunt et ideo in alto siti sunt ad preuidenda pericula secundum Ambrosium in exameron omelia ultima. Sic iudices reipublice in alto positi sunt ut discernant iusta ab iniustis, salubria a nociuis. Oculi, inquit, tui recta uideant, Prouerbiorum x. Unde dicitur iudex quasi ius dicens populo siue quid iure disceptat. Iure autem disceptare est iuste iudicare. Non est autem iudex si in eo non est iusticia, xxiiii. q. ii. Et Papias idem. Quales autem debent esse iudices, dicitur Deutro. xiii. Date ex uobis uiros sapientes et gnaros et quorum conuersatio sit probata in tribubus uestris et sequitur. Et precepit eis dicens, Audite illos et quod iustum est iudicate. Qui enim debent esse uiri, requiritur in eis uirtutis constantia. Viri enim proprie est fortitudo, ait Tullius libro primo de questionibus tusculanis. Et uir dictus est a uirtute uel quia maior uis in eo, ait Papias, quia ad sapientes requiritur debita sapientia iuris et legum. Iudex enim dicitur dicens ius, ut dictum est, quia gnari experti in diue, sa industria. Gnarus est peritus, doctus, sciens, sternus gnari qui periciam prime ueritatis insinuant, ait Papias. Quia conuersatio probata scilicet laudabilis et redolens fama. Tales enim // debent esse iudices inquantum iudices. Possunt enim aliquando idem esse iudices et presides: presides in presidendo, iudices in iudicando. Deutronomii sedecimo: Iudices et magistrus constitutes in omnibus portis tuis. Hi sunt admonendi ut exercean iudicium diligenter et studiose ordinabiliter et prouidenter et iuste, Iob decimonono. Causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam, ubi Gregorius moralium 19. quod ad proferendum sententiam idcirco nunquam precipites esse debemus, ne temere indiscussa iudicemus, ne quelibet mala audita nos moueant, ne passim sine probatione credamus. Debet ergo esse in iudicio exquisita discussio, facilis credulitatis excusio propositorum examinatio et cum deliberatione sententie prolatio et hoc merito quia Dei iudicium est. Deutro. primo: Ita paruum audietis ut magnum nec accipietis cuiusquam personam quia Dei iudicium est. Et ideo ait Dominus, Exodi uicesimotercio: Nec in iudicio plurimorum acquiesces sententie et a uero deues. Pauperis quoque non misereberis in iudicio scilicet a uero deuiando et iniuste sentenciando. Summe igitur cauere debent iudices et a predictis et ab eis que iudicium peruertunt. Similiter cauere debent et diligentes esse in causarum discussione et in sententiarum diffinitione, quia ut ait Gregorius ubi supra: Maiora crimina tarde credenda sunt cum audiuntur et tamen citius punienda sunt cum ueraciter cognoscuntur. Facilitas enim credulitatis facit peruersum iudicium, sicut fuit de Pharaone qui nimis credulus uerbis coniugis sentiauit contra Ioseph et tradidit eum carceri, Genesis xxxviii. Item defectus discussionis, accusationum et defensionum est occasio, uel causa iniusti iudicii, sicut fuit de populo condemnante Susannam ad dictum senem, Danielis 13, que fuit liberata testibus examinatis et condemnatis. Unde et Saluator liberauit adulteram quia non fuit qui condemnaret, Iohannis octauo. Ut enim dicit Bernhardus de gradibus humilitatis: Est iudicium quadruplex, scilicet ueritatis, Ioh. V., sicut audio sic iudico; et iudicium odii secundum illud; secundum legem debet mori, dixerunt Iudei de Christo; et est iudicium terroris secundum illud Iohannis undecimo: Si dimittimus eum sic ueniunt Romani et

tollunt et cetera; et est iudicium amoris, scilicet carnalis, sicut fuit de Daud qui noluit quod Absolom periret ii. Regum xviii. Et ideo statutum est non debere admitti ad iudicium speciales amicos ne fallant uel fallantur. Hec ille. // Et concordat huic dictum Tullii ii. de officiis capitulo x.: Deponit enim personam amici cum induit personam iudicis. Tantum dabit amicicie ut ueram amici causam esse malit et ut orande litis tempus quo aliud per leges liceat accommodet. Cum uero unica sententia dicenda sit iuramento meminerit Deum se habere testem ut ego arbitror mentem suam. Hec ille. Cauendum ergo iudicibus ne ex nimia credulitate, ne ex discussionis amissione, ne ex odii immanitate, ne ex timoris pusillanimitate, ne ex carnalis amoris affectione, ne ex amicicie familiaritate, ne ex munerum cupiditate iudicium peruertant. Quatuor modis peruertitur iudicium: timore, odio, amore, cupiditate, ut habetur xi. causa q. 6. Sed prouideant quod sint imitatores sumi iudicis cuius iudicium in terris exercent, de quo dicitur Ysaie xi.: Iudicabit in iusticia pauperes. Quod diligentes et cauti fuerunt antiqui in causarum discussione et que sagaces et prouidi in earundem examinatione et quam constantes et industrii dilatione in causarum dubiarum sententiatione et quam clementes et pii in quorundam etiam reorum pro exigentia causarum absolute patet in gestis eorum. De primo scilicet discussione causarum sollerti narrat Valerius libro primo capitulo tercio quod Demostenis astucia mirifice cuidam ancille succursa est que pecuniam depositi nomine a duobus hospitibus acceperat, ea conditione ut eam simul utrisque redderet quorum alter interiecto tempore, tanquam mortuo socio suo squalore obsitus, ancille deceptus omnes nummos abstulit, superuenit deinde alter et depositum petere cepit. Habebat illa misera pariter et pecunie et defensionis penuriam, iam que de laqueo et suspendio cogitauit sed oportune sibi Demostenes patrou affuit. Qui ut in aduocationem aduenit: Mulier, inquit, parata est depositi fidem soluere sed nisi socium adduxeris quod facere non potest. Quoniam ut ipse uociferaris, hec dicta est lex ne pecunia alteri sine altero numeraretur et sic euasit mulier. De secundo scilicet de examinatione causarum satis patet Dan. xiii. ubi scilicet Daniel omnes ad iudicium reuocabat, falsos testes confutauit, innocentem liberauit et datum in discussum iudicium retractauit. Unde et Petrus Alfonsus narrat in suo tractatu de quodam cuius cognomen erat Refugium pauperum eo quod solebat pauperes ad iuuare. Cum quidam pauper ut ibi dicitur locasset domum suam cuidam uicino diuiti qui cogitans illum spoliare prediolo suo posuit quedam dolia plena oleo in domo quedam semiplena, tempore elapso uenit uidere // illa, et inueniens dolia semiplena imposuit pauper crimen furti ut inde posset eum spoliare et cum esset uocatus ad iudicium et cum non restaret illi nisi damnatio. Ille qui uocabatur Refugium pauperum uocauit eum seorsum et inquisiuit si fuerit innocens a crimine imposito quo iurante quod fuerit innocens, rediit cum eo ad iudicium petiit que quod illa dolia mensurarentur et si esset tantum de fecibus in semiplenis sicut in plenis doliis, ille fuerit condemnandus, si uero non esset in eis que erant semiplena nisi medietas fecum esset liberandus, quia ex hoc planum esset quod nunquam fuerant plena, et sic factum fuit et pauper liberatus est. Et sic patet quantum ualet prouida examinatio in iudicio. Similiter patet de tercio scilicet de dilatione iudiciorum prout narrat Valerius libro viii. capitulo x. quod quedam materfamilias uirum et filium interemit, cum ab his optime indolis filium iuuenem quem ex priori uiro enixa fuerat comperisset occisum, quam rem dolobella consul ad se delatam Athenis ad Ariopagitarum cognitionem tanquam ad iudices grauiore exercitatioresque religauit, quia ipse nec liberare duabus cedibus contaminatam, nec punire eam iusto dolore compulsam sustinebat. Sed Ariopagite quoque non minus

sapienter inspecta causa et accusatorem et ream, post centum annos ad se reuerti iusserunt eodem affectu moti, quo dolobella. Sed ille transferendo, hi differendo questionem damnandi et absoluendi ineffabili cunctatione mutabant. Similiter narrat Agellus de dilatione iudicii differendi inter Prothagoram uel Pithogoram secundum alios. Ut Pollicratus libro v. capitulo xii. et discipulum suum: Inter quos fuit Themachus Euallus adolescens, diues eloquentie discendi gratia causas que orandi cupiens fuit, hic in disciplinam Pictagore se dedit promittens pecuniam quantam peteret, data medietate antequam ingrederetur. Daturus aliam qua die, primam causam apud iudices perorasset et uicisset postea cum diucius auditor affectorque Pictagore fuisset, facundiam que a studio promouisset, transcurso tempore longiori et causantibus patrociniū denegaret ne doctoris impleret mercedem habito consilio, litem cum eo Pictagoras contestatur cum ad iudices ergo ineunde constituendeque cause uenissent gratia, Pictagoras sic exorsus est: Disce, inquit, stultissime adolecens utroque id modo fore uti reddas quod peto siue pro te pronunciatum erit siue contra te. Nam si contra te lis erit data merces michi ex sententia debebitur quia ego euinco. Si uero secundum te iudicatum erit merces mihi // ex pacto debetur quia tu uinces. Ad que placide Euallus: Opto, inquit, tunc tam ancipiti captioni esse obuiam, si uerba non ipse facerem atque alio patrono uteret. Sed magis in ista uictoria prelium est cum te non in causa tantum sed in argumento quoque isto euicero. Disce ergo tu magister sapientissime utroque modo fore, uti non reddam quod petis, siue pro me pronunciatum fuerit, siue contra me. Nam si iudices pro causa mea censerint, nichil tibi ex sententia debetur quia ego uinco; si contra me pronunciatum fuerit, nichil tibi ex pacto debeo quia non uinco, et sic ab adolescente discipulo magister eloquentie inclitus, suo argumento confutatus est, et captionis uersute et excogitate frustratus. Tunc enim iudices dubiosum sibi hoc et inexplicabile esse, quod ab utroque dicebatur et utrumque dicebatur ratum, ne sententia sua in utramque partem dicta ipsa sese rescinderet rem iniudicatam relinquerunt, causam in diem longissimum protelantes, nec teruit eos philosophi, predicti auctoritas cum fuerit Pitagoras magne auctoritatis apud philosophos, siue fuerit Protagoras qui fuit acerimus sophisticator, ut ait Agellius libro v. capitulo primo de quibus dictum est supra parte prima. Iudicia enim festinata, penitentiam sepe pariunt ut patet supra de Theodosio. Unde et Greci cum urgerentur ad sententiam aliquam, antequam de causa liqueat responderunt patres suos solem apud antipdes non uidisse sed expectasse semper donec etiam ipsis oriatur uel oriretur. Dicunt etiam nimis perperum esse uiatorem, qui antequam Lucifer oriatur occasis adhuc tenebris, luce que remota dietam aggreditur, sicut recitat Pollicratus libro quinto ubi supra.

Capitulum quartum: De ueritate iudicii et ordinata indulgentia

De quarto uero scilicet de absolute reorum ex indulgentia narrat Valerius libro viii. capitulo iiii. et hoc ex uariis causis sicut ibi recitat ubi ait quod quidam interfecte sororis crimine a rege damnatus, a populo est in iudicio absolutus, quorum alterum atrocitas necis mouit, alterum causa flexit, quia in maturum uirginis amorem seuerē magis quam impie punitum estimabat scilicet populus. Similiter narrat ibidem de quodam, qui erat reus homicidii nihil pro se recusans, sed paruulos suos flens commendare cepit scilicet iudici. Mitigata igitur contentione qui consensu omnium pariturus erat, pene nullum triste suffragium habuit, misericordia ergo illam // questionem non equitas rexit, quia que innocentie tribui nequuerant, absolutio respectu puerorum data est. Similiter narrat ibi de

alio accusato quod graues iniurias sociis attulisset, et cum sentencie tristes de eo ferebantur, repentina uis inibi incidit. Cunque ille prostratus humi pedes iudicis oscularetur, et os suum sceno repleret totam questionem a seueritate ad clementiam et mansuetudinem transtulit. Similiter de quodam reo et damnato, cum clamauerit se innocentem opprimi. Et iudex responderet: Nihil sua interesse, an nocens an innocens periret dummodo periret, ob uiolentiam dicti ab aliis liberatus est. Similiter narrat de alio, quem damnabat crimen libidinis sed confessio intemperantie liberauit. Et sic de modis consimilibus prout narrat ibi. Erant enim proniores ad absoluendum quam ad condemnandum, ut patet ex his dictis. Et de hoc narrat Augustinus xviii. de ciuitate dei capitulo x. ubi loquitur de Ariopago. Ariopagite, inquit, curiales illius orbis erant scilicet Athenarum et inde nomen habuerunt secundum Varronem quod Mars qui dicitur Ares cum homicidii reus haberetur, iudicantibus duodecim de his in eo pago, sex eorum sententiis absolutus est et supple liberatus est, quia ubi Paris numeri sententie fuerunt, preponi absolutio damnationi solebat. Si ergo pagani et gentiles, Deum ignorantes, fidei expertes, diuinum iudicium futurum non precogitantes, nec beatitudinem sperantes, ita fuerunt in suis iudiciis diligentes, quales debent esse fideles, non solum in iudiciis suis sed in iudicio quod Dei est. Dei enim iudicium est, Deutro. primo. Prouidere ergo debent iudices fideles, ut iudicium fiat, sufficienti discussione examinatum ut dictus est. Unde narrat Augustinus vi. confessionum: Post medium de Alipio collega suo, quod apud Carthaginem fuit deprehensus, tamquam fut, quia ibi apprehendit quandam securim, quam fur quidam dimiserat cui comprehenso obuiauit quidam notus sibi, et inquisiuit quid acciderat cui cum intimasset factum, duxit eum ad domum predicti furis inquisiuit que de securi cuius esset a puero qui erat ante hostium, qui confestim ait: nostra est. Et deinde interrogauit et aperuit cetera et in domum illam causa translata est. Et non arbitror, inquit Augustinus, ob causam aliam Deum permisisse illum capi, nisi ut ille uir tantus futurus iam inciperet discere, quod non facile in cognoscendis causis homo ab homine damnandus esset, temeraria crudelitate. Ideo iniunxit beatus Ambrosius Theodosio ut ante xxx. diem non damnaretur aliquis ad mortem, ut habitum est supra. // Unde et Dominus ait, Gen. xviii.: Clamor sodomorum et gamorreorum uenit ad me, et sequitur: descendam et uidebo utrum clamorem qui uenit ad me opere compleuerint an non est ita. Ubi dedit exemplum iudicibus exquisite discuciendi antequam iudicent. Item prouidere debent, ut iudicium sit indeclinabili equitate rectum, ut non peruertatur affectu carnalitatis uel metu potestatis, uel intuitu cupiditatis, nec malignitatis odii alicuius hominis. Iudices enim iudicauerunt contra Alexandrum pro militibus, ut habitum est supra. Unde narrat Augustinus ubi supra de Alipio quod eius indoles non solum illecebra cupiditatis temptata est, sed stimulo timoris quando assistebat iudici, et eius erat consiliatius Rome, ubi cum quidam potentissimus, uellet sibi licere ex more potentie, quod erat per leges illicitum restitit Alipius. Promissum enim premium irrisit, animo pretentemine calcauit. Et licet iudex in ipsum causam transferret, asserens se ab eo non permitti, et licet codices conficiendos sibi curaret precisi pretorianis semper restitit, et deliberatione in melius uertit, utiliore iudicans equitatem, qua prohibebatur quam potestatem qua sinebatur. Sic enim precepit Dominus, Exodi. xxiii.: Nec in iudicio plurimorum aquiesces sententie, ut a uero deues, et ibi: Non declinabis in iudicium pauperis. Leui. xix.: Non iniuste iudicabis, et post: Noli facere iniquum aliquod in iudicio scilicet in numero, pondere et mensura. Item iudices prouidere debent, ut iudicium iusto animo et iusto ordine exequantur, et etiam recta intentione, non ex ira uel crudelitate, sed intentione iusticie conseruande.

Quod enim iustum est, iuste exequeris, ait Dominus, Deutronomii decimosexto. Unde narrat iiii. Dyal. Gregorius uicesimoquinto capitulo de quodam qui uidit Petrum maiorem ecclesie in locis deterrimis magno pondere ferri ligatum, ac depressum, a quo cum quereret: Cur hoc esset, dictum est ei, quod hec paciebatur, quia si quid ei pro facienda ultione iubebatur ad inferendas plagas, plus ex crudelitatis desiderio quam obedientia seruiebat. Summe enim debet iudex cauere ab ira et crudelitate, ipsum Deum imitando, de quo Sap. xxiii.: Et tu cum tranquillitate iudicas. Ira siquidem uiri iusticiam Dei non operatur, Iacobi primo. Unde narrat Seneca de quodam iudice tyrannico qui ex ira damnauit tres milites innocentes, unum quia redierat a uia sine suo commilitone. Imponens ei quod illum interfecerat // precepitque alteri militi ut eum duceret ad locum supplicii. Qui cum eductus esset, uenit commilito socius suus, quem uidens centurio, cui fuerat preceptum alium occidere, reduxit ambos ad iudicem quos uidens iudex iratus dixit: Primo te iubeo interfici quia damnatus es, et te similiter, ait alteri, quia causa damnationis commilitoni fuisti. Tercio dixit: Et te iubeo occidi quia iussus occidere imperatori non paruisti. Unde Seneca: O quam sollers est iracundia ad fingendas causas furoris! Tres sunt puniti ob unius innocentiam excogitauit iste quemadmodum tria crimina faceret quia nullum inuenerat, habeat iracundiam hoc mali, non uult regi, irascitur ipsi ueritati, si contra uoluntatem suam apparuerit. Et de hoc Ysidorus bene de summo bono libro iii. capitulo lvi. de uerbosis et iracundis iudicibus: Iudex iracundus iudicii examen contueri non ualet quia caligine furoris excecatus non uidet. Item prouidere debet, ut iudicium sit liberalitate gratuitum non ueniale uel uenditum, prout ait Augustinus xxv. epistula ante finem: Non ideo debet iudex uendere iustum iudicium, uel testis uerba testimonii quia uendit aduocatus iustum patrocinium, et iuris peritus uerba consilii. Illi enim inter utranque partem examinis adhibentur; isti ex una parte consistunt. Cum autem iudicia et testimonia que nec iusta nec uera uendenda sunt. Iniqua uenduntur et falsa multo sceleratius utique pecunia sumitur quia scelerate etiam a uolentibus datur cum ille solet tamquam male sibi ablatam pecuniam repetere qui iustum iudicium emit, qui uero pro iniquo iudicio dedit, uellet quidem repetere nisi puderet uel timeret emisse. Hec ille. Et idem 24. q. ultima: Tali enim uenditione nil mordinatius quia iusticiam uendere iniquitatis est. Iniusticiam uendere rabiosa insania est, preterea talis uendit iusticiam quam non habet. In aliis enim contractibus res uendita alienatur a uenditore et transit ad emptorem. Sed in tali contractu nullam iusticiam habet uenditor, licet forte effectus iusticie transeat ad emptorem. Unde talis et ueritatem ipsam inhonorat et uilificat et quia ipsam cum sit impreciablem exponit pro precio, ipsum iudicium peruertit. Prouerbiorum xxiiii.: Qui cognoscit in iudicio faciem, non facit bene; iste pro bucella panis deserit ueritatem. Quibusdam enim iusticia nihil est pre caritate pecunie, ait Augustinus v. Confess. Nihil ergo sordidius, nil turpius, nil iniquius tali uenditione. Apud antiquos enim omne quod ex debito officii gratuitum esse debet, si fiat in precium in sordibus // computatur, prout dicitur in pollicrato libro quinto capitulo xi. Propterea iudex est famulus iusticie que regina est uirtutum. Ille ergo iudex qui uendit suam dominam et reginam uel prostituit omni precio ualentiore sicut proditor male perire debet quia, ut dicit Pollicratus ubi supra, precium non dicitur tantum pecunia sed obsequium et omne munus, prout infra dicitur: Talis ergo sicut seruus infidelis, dominam cui ex fide famulari tenetur, quasi in forum ipsam distrahit. Ioelis tercio: Puellam uendiderunt pro uino ut biberent, id est ipsam iusticiam incorruptam et sinceram. Et non solum ille uenditor est iniquus sed etiam emptor, ut de illis uerificetur illud Ezechiel. septimo: Qui emit non

letetur. Emptor enim talis scienter et ex intentione allicit et corrumpit peruersum iudicem, sicut fuit de Balaach qui corripit Balaam muneribus et excecauit, Numeri uicesimosecundo. Et de hoc bene Ysidorus tercio de summo bono capitulo lv. de prauis iudicibus: Nullus predo tam cupidus in alienis quam iudex iniquus in suis. Latrones in latebrosis faucibus latentes insidias ponunt; isti palam rapacitatis auaricia seuiunt et sequitur eorum figura, ut ait quidam tanquam stilla describitur atque depingitur. Ipsa quidem est humana specie sed capitibus caninis accincta et circumdata. Unde Petronius: Quid faciunt leges ubi sola pecunia regnat, aut ubi pauperitas uincere nulla potest? Nam nunc iudicium nil est nisi publica merces. Et propter hoc iudices sacramento alligantur legibus iurare quod omnino iudicium cum ueritate et legum obseruatione disponant, ipsoque iure cautum est ut sacrorum euangeliorum scripture terribiles ante sedem iudicalem deponantur. Ibique ab inicio litium usque ad finem permaneant, nec amoueantur nisi sententia recitata quo totius consistorii latitudo ipsius Dei repleta presentia omnibus metum incuciat et ad sacrosanctas scripturas reuerentiam et ob inquisitionem ueritatis, omnis iniquitas propulsetur, omnis quoque carnis et sanguinis religio iudiciaria propellat affectus, euacuans iram et odium, metum et auariciam quia, ut ait Iulius Cesar, aut facile animus uerum prouidet, ubi ista proficiunt, prout dicitur in Pollicrato libro quinto capitulo xii.: Ista regina frustra ponitur. Et de iuramento iudicis Tullius de officio libro tercio capitulo xi. quod neque contra rempublicam, neque contra iusiurandum ac fidem amicitie, uir bonus faciet. // Et ideo ut ait ibidem: Preclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudices, si eum morem teneremus quem salua fide facere posset. Hec rogatio ad ea pertinet que paulo ante dixi, honesto amico a iudice posse concedi. Nam si omnia facienda sunt, que amici uolunt non amicitie tales sed contractiones putande sunt. Unde ad describendum qualis debet esse iudex inducit Agellius libro v. de ymagine iusticie: Crisippus, inquit, os et oculos iusticie uultum que seueris ac uenerandis uerborum coloribus depinxit. Et sequitur: Forma uirginali, aspectu uehementi et formidabili, luminibus oculorum acerbis, nec humilibus nec atrocibus, sed reuerende cuiusdam tristicie dignitate. Et per huius ymaginis significationem intelligi uolunt iudicem qui iusticie antistes est, oportere est grauem siue seuerum incorruptum in adulatione, id est cui non possit adulari, contra improbos immisericordem atque inexorabilem electum que arduum ac potentem ui et maiestate equitatis ueritatisque teneficum, de instructione iudicum ii. q. i. per totum et c. iii. q. iiii. de pena uero mali iudicis. Valerius libro vi. capitulo iii. quod canibises mali cuiusdam iudicis e corpore pellem detractam, felle iudiciarie tetendit et in ea filium eius iudicaturum consedere iussit. Unde ubi: Sit tibi lucerna, lux, lex pellisque paterna. Ceterum rex barbarus atroci ac noua pena iudicis ne quis postea iudex corrumpi posset prouidit. Solerter ergo prouideant iudices ne peruertant iudicium Dei ut non a Deo eternaliter puniantur. Ex quo tanta pena puniuit rex barbarus iudicem iniquum.

Distinctio quinta [prime partis]

Capitulum primum: De informatione aduocatorum, quales debent esse et a quibus cauere

Consequenter admonendi sunt oratores siue aduocati uel legiste qui uendicant sibi locum et officium lingue in republica. Pronunciant enim causas expediendas pro reipublice utilitate et necessitate, sicut et lingua enunciat corporis utilitates et necessitates. Proprium

enim est oratoris aperte, distincte et ornate dicere, ait Tullius libro primo de officiis capitulo primo. Et hi sunt informandi ut utantur scientia sua et eloquentia ad reipublice utilitatem et salutem, non perniciem. Prout ait Tullius libro iii. capitulo xvi.: Quid tam inhumanum est quam eloquentiam a natura ad salutem hominum et ad conseruationem datam ad bonorum pestem perniciemque conuertere // ueruntamen ut hoc fugiendum est, ita est horrendum religioni innocentem aliquem impugnare, sicut aliquem nepharium impiumque defendere. Ex his patet quod tales cauere debent ne ipsam ueritatem causasque eius opprimant et destruant, ne innocentes et iustos impugnent et damnificent, ne falsitates uel fallaces causas defendendas summant et impios uerisimilibus rationibus iustificent. Qui enim iustificat impium et condemnat iustum abhominabilis uterque est ante Deum, Prouerbiorum xvii. Talia enim consueuerunt perpetrare predicti in foris litigiosis, prout ait Augustinus tercio confessionum post principium: Fora, inquit, litigiosa et in eis hoc ipso laudabilior quo fraudulentior. Et quod perniciosius est ad huiusmodi officia aliqui seipsos uendunt, prout ait Augustinus ix. confess. post principium loquens de seipso: Placuit michi subtrahere ministerium lingue mee mundane loquacitatis ne ulterius per me mendaces non legem tuam, non pacem tuam sed insanias mendaces et bella forensia mercarentur ex ore meo arma furori suo. Sic enim est de talibus qui predicta faciunt. Licet enim iura sint iusta et leges recte, conuertere tamen illa ad ueritatis oppressionem et falsitatis promotionem est eis abuti quod faciunt multi, et ut magis hec possint facere, dilatant philateria sua et magnificent fimbrias suas tam ornatibus uestium quam pompa gestuum, quam arrogantia uerborum. Prout dicitur in quadam tragedia de quodam qui uidit infernum et uidit ibi turbam aduocatorum et dixit: Heu uenale genus hominum! Accedite et mecum in hoc uase balniamini. Superest enim adhuc locus sed nobilis animus dedignatur querere honorem ab exterioribus ornamentis. Prout dicitur de Demostene in pollicrato libro octauo capitulo tredecimo: Demostenes, inquit, antequam uirtus eloquii eius innotuisset, cultus operosioris dicitur appetisse intorensiens quod purpura causidicum uendit, et postquam noticiam et famam assecutus est, eloquentie toga contentus est, dicens uelle sibi a se potius quam a nitore uestium, aut cultu exquisito constare gloriam, omnis Aristipum decuit color status et res, quilibet indutus celeberrima per loca uadit. Quem enim proprius attollit honor, uilitas non deprimit. Emendicatum laudis uidetur esse suffragium quod ab exintrinsico pendet, profecto unius egregie uirtutis titulo quisque magis clarescit, quam splendidissimo luxurie instrumento, et omni lenocinio uanitatis. De ista materia reperi hos uersus: Nemo sua ueste probus est, Demosthene teste: // Nam mendicatum decus a foris est reprobatum, clarescas ex te solo non diuite ueste. Cum ergo uirtute omnis anima polleat, iusticia clarius enitescit. Homo ergo sapiens et uirtuosus dedignari debet, ostentare se ab exterioribus ornamentis, et sic quasi uendere se. Et non solum etiam aliquando se tales uendunt uel suum patrocinium sed, quod mirabilius est, uendunt suum silentium. Et cum silentium sit priuatio locutionis, uendendas exponunt ipsas priuationes, et sic que nullius sunt precii, uenalia sunt apud eos, prout narratur de Demostene qui cum Aristodemum auctorem fabularum introgasset: Quid mercedis uel quantam mercedem accepisset in causa? Et ille respondit: Mille nummos. Plus, inquit Demostenes. Accepi ego ut tacerem, planum est. Igitur tales esse miserabiles uenditores qui non solum se et sua uendunt sed rerum priuationes, ut dictum est. Et lingua talis uenditoris multum damnificata est in republica. Prout ait pollicratus libro v. capitulo ix. quod causidicorum siquidem lingua est damnifica, nisi eam ut dici solet, funibus argenteis uincias, sic etiam non solum uendunt se et sua sed etiam

aliquando causas protrahunt ut plus lucrentur, uel ueritatem excludunt, uel quod nequius est interimunt, et hoc ut fiat peruersum iudicium, ut de illis uerificetur illud Ysa. lx.: Conuersum est retrorsum iudicium et iusticia longe stetit quia corruit in plateis ueritas et equitas non potuit ingredi. Tot enim repagula fallaciarum et tot obstacula astuciarum adducunt quod non habet ueritas ingressum. Et quod grauius est, eam falsitatibus interimunt et propinant quandoque uinum erroris, sicut dicit Augustinus primo confessionum ante medium, loquens de poetis: Non accuso uerba quasi uasa electa sed uasa erroris uinum quod in eis propinatur ab illis doctoribus. Et libro sermonum: Quid ualet eloquentia paganis qui tamquam pocula preciosa mortiferos propinant errores et facit linguam frameam et gladium bis accutum. Potest enim dici de talibus lingua eorum gladius accutus. Sed sciant tales quod omnes tenentur ad restitutionem omnium que lucrati sunt iniuste. Prout ait Augustinus xxxvi. epistola ante finem loquens de Zacheo qui ait: Si cui quid abstuli, in quadruplum reddo, Luce xix. Verumtamen ait Augustinus: Si iusticia sincerius consulatur, iustius dicitur aduocata uel aduocatio. Redde quod accepisti quando contra ueritatem fecisti, iniquitati astitisti, iudicem fefellisti, iustam causam // oppressisti, de falsitate uicisti quia uides multos honestissimos et disertissimos uiros, non solum impune uerum etiam gloriose sibi uideri committere. Et non solum teretur ad restitutionem eorum que accepit sed etiam eorum que per iniustam aduocatione in suam iusti amiserunt. Unde ibi Augustinus: Quis tandem aduocatus facile reperitur qui dicat suscepto suo, recipe quod michi cum male adesset dedisti, et redde aduersario tuo quod me inique agente abstulisti. Et sequitur: Nisi forte restituendum est alienum quod furtim claniculo offertur et restituendum non est, quod in ipso foro ubi peccata puniuntur, decepto iudice et circumuentis legibus obtinetur quasi diceret: Si illud est restituendum iuste magis illud et cetera.

Capitulum secundum: De informatione actorum in iudicio

Item solum aduocatus est admonendus his modis sed omnis etiam actor in iudicio ne cum lite et iurgio petat non sua, nec querat aliena, nec per falsitates procedat, nec causam iniustam aduocatis committat, nec iudicem corrumpat, nec pauperiores opprimat quia etsi lucretur his modis et si sic lucratum in archa sit damnum in conscientia erit. Et de hoc Tullius libro tercio capitulo xviii. ubi ait: Si uir bonus habeat hanc uim ut si digitis concreperit, scilicet per digitorum percussione, sicut fuit mos apud antiquos, possit intestamento suo nomen suum locupletum irripere, id est fieri heres, hac ui non utatur, et sequitur causa. Intelligit enim nihil expedire nec utile esse quod sit iniustum hoc qui non didicerit bonus esse non poterit, et ponit exemplum ibi de illis qui subplantauerunt alios iniuste. Et sequitur capitulo xix.: Cadit ne in uirum bonum emolimenti sui causa criminali aliquem prripere, scilicet alicui sua fallere, nichil profecto minus. Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum ut boni uiri splendorem et nomen amittas quasi diceret: Non et reddit rationem quia utilitas ista non potest tantum afferre quantum auferre, si uiri bonum nomen eripuerit, fidemque et iusticiam detraxerit. Et ibi bene de hoc. Exemplum tercii Re. xxi. de Achab qui per falsum testimonium et iudicium ad suggestionem Iezabel eripuit uineam ipsi Naboch, ideo dictum est regi occidisti et possedisti. Et sequitur in loco in quo linxerunt canes sanguinem Naboch lambent sanguinem tuum, carnes uero Iezabel comedent // canes. Similiter Amon qui uoluit opprimere Iudeos et damnare coram rege, damnatus et suspensus est, Hester vii.

Capitulum tertium: De informatione testium

Similiter testis in iudicio est admonendus, ne falsitati testimonium perhibeat, ne ueritatem deneget, quando debet, ne falsum testimonium uendat, ne etiam aliis noceat, prout precipit Dominus, Exodi xix.: Non falsum testimonium dices. Unde Ysidorus libro tertio De summo bono, capitulo lix.: Testis falsidicus est obnoxius tribus, Deo quem contemnit, iudici quem decipit, innocenti quem ledit. Et Augustinus, sermone de plagis ait: Quod octaua plaga fuit de locustis, quia locusta animal noxium, significat falsum testem, quid enim uult, nisi nocere mordendo, et consumere menciendo. Ideo admonet Apostolus: ne nos falsis criminibus opprimamus, si mordetis inquit adinuicem et comederitis, uidete ne consumamini, ad Gallatas iii. Tales enim ueritatem interimunt, et sic ipsum Christum qui ueritas est. Unde et contra ipsum insurrexerunt, Mathei lxxvii. Et de hoc Ambrosius, in sermone de passione, ait Christus pax ueritas et iusticia, qui relinquunt pro falsitate ueritatem, qui pro temporali precio relinquunt iusticiam, qui odiunt et scindunt pacem, Christum odiunt et occidunt. Ideo merito falsus testis non erit impunitus, Prouerbiorum xix. Et xxxi.: Testis mendax peribit, debet enim reddi ei sicut cogitauit facere fratri suo. Unde narrat libro vi. Ecclesiastice historie capitulo ix.: Quod tres testes falsi, insurrexerunt contra narcissum episcopum Ierosolimitanum confirmando sub sacramento iuramenti, quorum unus dixit ita esse, confirmans ut si ita non esset, igne consumeretur. Alius dixit ita esse: quod si ita non esset morbo regio corrumperetur. Tertius dixit ita esse quod si ita non esset luminibus orbaretur. Sanctus uero cuius uita et pudicia ab omnibus noscebatur in locis desertis, annis pluribus delucescit, sed oculis diuina prouidentie non quiescit, sed impios ultione molitur. Unde primus a parua scintilla ignis, domo accensa, cum omni familia omnique pecore conflagratur. Secundus a pede usque ad uerticem, morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur, atque consumitur. Tertius uidens eorum excidium non se potuisse latuisse diuino oculo cunctis audientibus sera uel seua penitentia uniuersum sceleris ordinem pandit, et in lacrimas prorumpens luminibus est orbatu. Et narcissus quasi de celo rediuius eximproviso rediit, et multo magis erga eum // amor hominum creuit, sancto igitur multum isti profuerunt, et sibi confusibilis nocuerunt. Ille autem cui in iudicio falsa imponuntur cum sit innocens, patienter sustineat, et absque falsitate innocentiam ostendat. Exemplo Ioseph, qui innocens in lacum missus est, Genesis xl. Et exemplo Susanne, Danielis iii. Et exemplo beati Stephani, Actuum vii. Et exemplo Iesu Christi qui quasi agnus ductus est ad uictimam, Mathei xxiiii. Tales enim Deus defendit aliquando in presenti, uel si permittit puniri hoc facit ad cumulum meriti et premii, prout narrat Ieronimus epistola xxxiiii. De sancta muliere, species percussa cui imponebatur crimen adulterii, et uiro confitente qui dicebatur adulter, ut compendio mortis longos cruciatus euaderet ait illa: Testis est Deus non ideo me negare uelle ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem. Et ad primum ictum spiculatoris, caput uiri abscisum est. Secundo fibulam auri ex collo excussit. Tertio in percussorem gladius est reflexus, et se ferire non posse confitetur. Alius percussor eligitur, et semel percussa concutitur. Secunda percussa quassatur ab eo. Tertio uulnerata prosternitur. Quarto percussa uita est mori, et ducta a clericis reuixit dicens: Dominus mihi adiutor, et licet postea seurent leges, nihilominus reddita est libertati. Euidens est ergo misericordia Dei in protectione et liberatione innocentis. Si uero sit reus ille cui imponuntur crimina in iudicio. In struendus est, ut non peccata augeat uel cumulet se purgando per mendacia et

periuria ac per conpurgatorum falsa testimonia, sed ut se dignum penis et obprobris intelligat, culpas suas et reatus suos agnoscat, ueraciter peniteat. Exemplo filiorum Iacob dicentium, Genesis xl.: Merito, hec patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Item instruendus est ut penam uel mortem pacienter pro penitentia sustineat, et ut recognoscat sibi melius esse finire uitam in penitentia, quam uiuere in malicia, et ut suppliciter misericordiam Dei imploret, ac confidenter in uerum saluatorem speret, exemplo latronis dicentis. Luce xxiii.: Et nos quidem iuste condigna factis recipimus. Et sequitur: Memento mei Domine dum ueneris in regnum tuum.

Capitulum quartum: De informatione actoris in causis

Item instruendi sunt actores, qui agunt contra reos, ut non cogant eos ad periurium ne incurrant delictum prout dicit Augustinus De beati Iohannis decollatinoe. Ille inquit: qui hominem // prouocat ad iurationem, et scit eum false esse iuraturum uincit homicidam, quia homicida corpus occidit. Iste animam, ymo duas animas, eius quem iurare prouocat et suam. Unde narrat ibi de quodam qui alium prouocauerat ad iurandum quod nocte in uisione fuit adductus ad iudicem excelsum, et admirabilem, a quo inter rogatus cur prouocauerat hominem ad periurationem, respondit quia negauit michi rem meam cui iudem, nonne melius esset rem tuam perdere quam illius animam falsa periuratione perimere. At ille prostratus est et iussus est cedi, et cesus est tam grauiter, ut in dorso eius euigilantis, plagarum uestigia apparerent. Dictumque est sibi de cetero caueas ne sic facias, cum magna enim compassione debent fideles agere contra tales, dolentes plus de damnatione animarum quam rerum, prout ait Gregorius Moraliu xxxi. super illud Iob xxxix.: frustra laborauit nullo timore cogente, plus inquit raptoribus ipsis debemus metuere, quam rebus irrationalibus defendendis inhiare. Et ibidem: perfectus Christianus quomodo debet res suas iurgando defendere, quas precipitur non possidere, et post si caritatis uiscera erga raptorem Christianum non habemus, nosipsos plus ipso raptore persequimur, grauius quod nos quam alter poterat deuastamus, quia dilectionis bonum sponte deserentes a nobis ipsis, intus est quod amittimus, quoniam ab alio solum exteriora perdebamus. Et ibi bene de hoc. Et i. Corinthios vi.: Iam quidem omnino delictum est in uobis, quia iudicia habetis inter uos, quare non magis fraudem patimini si ergo iudicia litigiosa eet iurgiosa in rebus repetendis reprehendit apostolus multo magis reprehendit Apostolus. Quando fiunt actiones in iudiciis, absque caritate usque ad damnationem mortis. Ideo sancti dabant etiam res suas latronibus, ne furando peccarent, prout narrat Gregorius Dialogorum primo. De illo ortulano, qui precepit serpenti ut custodiret aditum orti et cum fur esset intra detentus, ueniens ille ait: Cur toties in laborem monachorum furtum facere presumpsisti, et soluens pedes, sed cum necesse habes, huc ad me ingredi et que cum peccato laborabas tollere, ego tibi deuotus dabo. Et ne ille animam perderet furando, dabat ei gratis de labore proprio.

Capitulum quintum: De informatione accusantium //

Et quia in aliis iudiciis accusatores falsi multa mala faciunt. Ideo sunt fideles instruendi, ne false alios accusent uel falsa fingendo, uel facta aggrauando siue augmentando, ut enim dicit Tullius libro iii. capitulo xvi. Duri enim hominis est uel non hominis, periculum capitis multis inferre. Ideoque periculosum est et sordidum ad famam, ut

accusator nomineris, et sequitur: hoc enim preceptum officii diligenter tenendum est ut nunquam innocentem iudicio capitis accuses. De falsis enim accusatobus uerificatur. Illud Ieremias ix.: Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacii et non ueritatis et sequitur, sagitta uulnerans lingua eorum, sicut enim sagitta subito uulnerat et cum hoc, quis non suspicatur. Sic lingua falsi accusatoris sepe ledit innocentes ex insperato, et talis arcus est maledictus, quia emittit sagittas false accusationis usque ad existentes in partibus remotis. Ideo seperandus est fasus acusator a populo, ne multos ledat, sicut carnis rabiosus ne homines mordeat. Philippenses iii.: Videte canes. Glosa: Canis enim natura est, ut non latrat ad eos cum quibus habet consuetudinem. Sed econuerso est de talibus quia frequentius mordent notos et uicinos. Ideo cuilibet tali competit, quod dicitur de capite scilicet Sathana. Apocolipsis xv.: Proiectus est accusator fratrum nostrorum, et non peccatorum, quia innocentes accusat.

Capitulum sextum: De informatione intercessorum

Et quoniam in iudicio sunt quatuor persone necessarie scilicet accusatoris, defensoris, intercessoris, et iudicis, prout ait Augustinus xxxv. epistola ad Macedonium, sed non solum sunt instruendi predicti in iudicio, ut uisum est, sed etiam intercessor instruendus est, ut modo debito intercedat, inductus pietate et misericordia, non ut faueat peccatis uel criminibus, prout ibi docet beatus Augustinus respondens obiectioni Macedonii sibi obiicientis, quod id approbamus, quod impunitum esse uolumus, et sic uidetur intercessor approbare reum pro quo intercedit, cui respondit Augustinus, quod nullo modo cuplas quas corrigi uolumus approbamus, nec quod perperam committitur in eo uolumus impunitum esse, quia placet sed hominum miserentes, facinus siue flagicium detestantes. Quanto enim magis nobis displicet uicium tanto minus uolumus inemendatum interire uiciosum. Et sequitur ad hanc penitentiam adduci uolumus pro quibus interuenius, non eorum peccatis // parcimus uel fauemus. Ne ergo inemendati intereant, sed ut peniteant ueraciter, iusti intercedant pro reis iudices. Unde sequitur: Defensor ab intercessore plurimum distat, nam ille diluendis, ille uero obtegendis criminibus omnibus maxime intendit. Intercessor autem cum de culpa sibi constet, pro pena temperanda uel remouenda curam gerit. Unde et Dominus apud omnes intercessit ne lapidaretur adultera, Iohannis viii. Malis ergo parce uir bone quanto melior tanto esto mitior, et quanto sis celsior potestate, tanto humilior flectere pietate. Ut enim ait ibidem Augustinus: iusti ergo est intercedere recta intentione. Nichilominus iudicis est iudicare recto ordine. Unde et modus rogandi iudices est, ut faciat quod salua fide facere possit. Secundum enim Tulum libro tecio capitulo xvi.: Iudicis est semper in causis sequi uerum, patroni autem non nunquam uerisimile, ait Tullius tercio De officiis capitulo xvi.

Distinctio sexta [prime partis]

Capitulum primum: De informatione senatus et consulum de eorum institutione

Prehabitis occasionibus informandi iudices, qui sunt ad modum oculorum in republica, necnon et informandi alias personas illis assistentes. Sequitur de modis informandi senatu id est collectione consiliariorum. Qui quidem senatus obtinet locum cordis in republica secundum Plutarcum. Senatus enim nomen officii est dictum a senectute, quia fundauit

uel auxit Romam ut ait Papias hi a Romulo electi sunt, qui ob etatem senatores ob similitudinem cure patres appellati sunt. Et senatus officium est consilio ciuitatem iuuare ut idem Papam ait. Et de hoc in principio Historie romanorum: Quod Romulus condita ciuitate quam ex nomine suo Romam uocauit centum elegit ex senioribus quorum consilio omnia ageret, quos senatores ob senectutem patres ob cure similitudinem nominauit. Similiter apud Athenas fuit Ariopagus in quo sapientes erant consules siue curiales urbem Atheniensis. De quo Augustinus xviii. De ciuitate dei capitulo x. Quem Ariopagus et quos Ariopagitas constituit Solon, ut ait Tullius i. De officiis capitulo xxii. ubi ait: quod illius consilium semper proderit ciuitati, et illo consilio leges Atheniensium et maiorum instituta seruantur, et de hoc habetur in Pollicrato libro v. capitulo iiii. ubi ait: Cum inquit Athenienses Ariopagum dicebant, eo quod in illis totius populi uirtus consisteret, et cum ab eis preclara plurima inuenta sint, nil salubrius nil gloriosius constitutum est quam senatus // ut enim dicitur in uita sancti Dyonisii, ibi exercebantur iudicia, et ducebantur fora ingenii, ibique omnis solercia. Quid enim nobilius cetu senum. Ut dicit Pollicratus libro v. capitulo ix.: Qui emeriti uel enutriti e uulgaribus officiis ad consilii et regiminis officium transeunt et inualido corpore rexerunt mentis uires, eo sapientie magis apti negotiis quo in exercitiis corporis minus possunt, eorum utique tantus honor extitit apud grecos ut reipublice, duces nunquam procederent, nec egregium aliquid ageretur, quod senes instituti non inducerent aut approbarent, et quod magis est, ab inicio urbis condite, nomina eorum aureis literis sunt conscripta. Ipsi quoque patres conscripti ab omnibus appellati, qui alios sapientie etate et affectu paterno precedebant, penes istos consiliarios consiliorum erat auctoritas, et omnium publice gerendorum, hec ille. Et de eorum auctoritate Tullius ut supra: Quod etiam bellum Atheniensium gestum consilio senatus, quia a Solone erat constitutus, parua inquit sunt foris arma nisi consilium sit domi multo magis omnia alia gerenda consilio sapientum institutorum consulendum in republica. Et merito senatus id est collectio talium cordi comparatur, quia sicut in corde in corpore naturali est uita uigor et regiminis origo, sic a talibus in republica proportionabiliter pedita, ut uere dicitur reipublice, Prouerbiorum x.: Omni custodia serua cor tuum, quoniam ab ipso uita procedit, scilicet ad agendum et mouendum et cetera.

Capitulum secundum: Quod consiliarii debent esse iusticie uite approbati, et cetera

Notandum ergo quales debent esse consiliarii, debent enim esse uita sancti et probati, prout ait Ambrosius libro tercio De officiis: Quod in acquirendis consiliis plurimum adiungit uite probitas, uirtutum prerogatiua, beniuolentie usus facilitatis gratia uel facultatis. Et ponit exempla quis in sceno fontem requirat, quis ex aqua turbida potum petat. Ubi luxuria ubi in temperantia, ubi uiciorum confusio, quis non horrendam estimet quis non despicit morum coluionem, quis utilem aliene cause iudicet, quem uidet mutilem sue uite, hec ille. Ex his patet, quales debent esse consules siue consiliarii scilicet a uiciis immaculati, et uirtutibus pediti, moribus probati et experientia industrii. Unde ibidem Ambrosius prestantior est a quo consilium petitur quam ille qui petit, et sequitur: qualis debet esse consiliarius scilicet ut exemplo // et usu sit paratior, presentia pericula soluat, imminetia denunciaret, et expediat, ac remedium ferat, et paratus sit non tantum ad soluendum, sed etiam ad subueniendum. Et quia raro tales inueniuntur dicitur

Ecclesiastici sexto: Consiliarius sit tibi unus de mille. Ideo antiqui senes eligebant consiliarios ut dictum est.

Capitulum tertium: Quod consilarii debent esse uerdici

Item consilarii debet esse ueritate prediti siue ueridici ut in ueritate consulant illis quibus sunt consilarii uel consules, siue sit princeps, siue ciuitas, uel respublica non ad placitum eorum quibus consulunt sed secundum rei ueritatem, prout ait Seneca sexto De beneficiis capitulo xxiii. Ait illis qui nolunt audire plenas aures adulationibus, aliquando uox uera intret, Dei consilium utile. Queris quid felicitis poteris efficere, ne felicitati sue credat. Unde dicitur in tractatu, qui dicitur Moralium dogma philosophorum: Falsi amici pro consilio adulationem afferunt et una est eorum contentio, quod quis blandissime fallat. Ut iuuenalis, nichil est quod credere de se non possit cuius laudatur diis equa potestas. Et sequitur exemplum adulantium blande fallentium Xerses dux Medorum Grecis bellum indixit. Cui familiaris illius dicebat, Grecos initium belli non expectaturos. Sed ad primum aduentus famam terga uersuros. Alius dicebat, timendum esse ne urbes desertas ut uacuas inuenirent. Alius dicebat uix illi naturam rerum sufficere, angusta esse classibus Maria militibus castra explicandis copiis equestribus campestris uix telum patere sagittis. Dum in hunc modum regem nimia exaltatione furentem concitarent, dixit Damazatus, multitudo ista que tibi placet, metuenda est, uerum enim est in modico nunquam posse regi, nec diu durare potest quod regi non potest, nichil tam magnum quod perire non possit. Acciderunt autem que dixerat Damazatus. Ex quo apparet plus prouidentie messe senum consultationibus, quam uanis uulgi assercionibus. De confusa deuictione prectim regis narrat Trogius Pompeyus libro iii. ubi dicitur: quod Xerses octoginta milia e regno Arab armauerat, et tricenta milia de auxiliis, et c. milia nauium habuisse legitur // et flumina siccata ab exercitu eius. Et Greciam uix capere omnem eius exercitum potuisse. Sed ipse primus in fuga, postremus in prelio, in periculis timidus, licet metu esset inflatus, et ideo merito uictus, ut dictum est. Consimiliter narrat Vegetius libro iii. de eius confusibili deuictione, unde et in huius exercitu equa peperit leporem, quod est fugax animal, ait Valerius libro primo capitulo x. Patet igitur quantum nocet adulatio in consiliis et quantum prodest ex alia parte ueritas consilii.

Capitulum quartum: Quod consilarii debent esse experti

Item consilarii debent esse ex multiplici experientia industrii et perspicui. Ideo merito senes eliguntur consilarii, ut dictum est, ut enim dicit Ambrosius in Exameron omelia prima. Senectus est in consiliis utilior, propter quod Ecclesiastici xxv.: Quam speciosum caniciei iudicium et a patribus cognoscere consilium, quam speciosa de ueteranis sapientia, et gloriosus introitus consilium. Ideo precepit Dominus Moysi uocare seniores ad consilium, ut audirent mandata Dei, Exodi iii.: Vade congrega seniores Israhel et cetera. Et Numeri x.: Congrega de senioribus quos noscis esse senes populi et cetera. Roboam qui dereliquit senum consilium, adherens consilio iuuenum a populo derelictus est, iii. Regum xii.

Capitulum quintum: Quod consilarii debent esse stabilitate solidi

Item consiliarii debent esse stabilitate solidi, ut non moueantur timore uel amore uel cupiditate, in consiliis dandis, Ecclesiastici xxxvi.: Ante omnem actum consilium stabile et maxime requiritur quod sint stabiles in iusticia diuina ab ea nulla tenus declinantes. Unde narratur de constantio patre Constantini libro i. Historie tripertite capitulo vii.: Cum ecclesie paterentur pesecutiones in toto orbe terrarum concessit Christianis libere in sua religione consistere, sed probare uoluit quosdam in suo pallacio Christianos si essent solidi precepitque quod si qui uenirent ad sacrificandum diis suis hii cum eo in pallatio essent, siqui autem nollent sacrificare de pallatio exirent, et cum quidam fuissent proponentes religionem suam Christianam promissis regis, alii uero essent prompti ad sacrificandum diis sperantes amicitiam regis, deliberauit rex eorum uti // consiliis, qui in melioribus fideles constantesque essent. Alios uero ut effeminatos expulit, credens nunquam eos circa principem esse fideles, qui fuerant sui Dei peritissimi proditores. Illi enim sunt stabiles consiliarii hominis, qui sunt ueri amatores ueritatis, Ecclesiastici xxxvii.: A malo consiliario conserua animam tuam. Ille est malus consiliarius, qui preponit commodum temporale est proprium est instabilis in consiliis dandis, secundum quod uariantur comode que intendit.

Capitulum sextum: Quod consilia debent esse examinata

Qualia uero esse debeat consilia. Notandum quod debent esse examinata, et cum deliberatione discussa. Consilium enim est appetitus faciendi uel non faciendi, uera excogitata ratio, ait Tullius prima Rethorica libro primo. Vel consilium est appetitus in quisitius de his que nobis uti libet, ait Damascenus libro ii. capitulo xxiii. Prudentis enim est bene consiliari, Ethicorum vi. Ubi comentator: bona consiliatio est habitus coiecturatus operabilium secundum ratiocinationem optimi, et bonus consiliator est cui adest talis habitus. Et post omnis consiliatio meditatio et intellectio hoc est perscrutatio per longum tempus generationem recipit, et ibi bene de hoc, unde dicitur in tractatu qui dicitur dogma philosophorum. Triplex est capiendi consilii deliberatio. Primo est de honesto tantum. Secunda de utili. Tercia de conflictu utriusque. Dubitamus enim utrum honestum an turpe sit factum, deinde de duobus honestis quod est honestius, de duobus utilibus quod est utilius. Similiter de pugna utilis et honesti, in qua examinatione honestum est preponendum utili, et bonum commune proprio et summe quod est ad honorem Dei commodo humano. Semper enim honestum preponendum est utili secundum doctrinam Tullii x. De officiis capitulo xv. Et post nec unquam est utile quod est crudele, ait enim capitulo xi. Ponens exemplum, de Atheniensibus qui presciderunt pollices remigibus uel egmeriis, qui classe ualebant, ne postea ualerent. Similiter nec quod est inhumanum faciendum est uel consulendum scilicet expellere peregrinos de ciuitate. Ut ait ibidem capitulo xii. Et breuiter concludendo, nihil consulendum est quod est iniustum prout Valerius libro sexto capitulo v. Loquens de Themistode, dicente se habere salubre consilium, petiitque sibi dari unum sapientem ad examinandum, cui datus est Aristides. Qui rediit ad populum dicens Themistodem utile consilium tamen minime iustum uoluerit animo. // At uero uniuersa concio proclamauit quod equum non uidetur nec expedire. Et ideo ad examinanda consilia debet esse deliberatiua discussio et exquisita examinatio. Duo ergo sunt contraria consilio festinatio et ira ait Seneca in Prouerbiis, et ibidem deliberandum est diu quicquid statuendum est semel. Ideo Seneca epistola x. capitulo ii.: Quicquid consilio prospici potest prospice. Item consilia debent

esse stabilia. Ut prius dictum, quia sapiens non mutat consilium omnibus illis manentibus que erant ut ait Seneca iiii. De beneficiis capitulo xxxvi. Item debent esse consilia iusta et ordinata preponendo iusticiam utilitati et honestum comode ut dictum est, et talia consilia sunt audienda, homo enim est natura consiliatius Ethicorum vi. Ideo hortatur sapientia diuina ad audiendum consilium, Prouerbiorum xix.: Audi consilium et suscipe disciplinam. Et Ecclesiastici vi.: Audi fili et accipe consilium et hoc a sapiente consiliario ut dictum est. A sapiente perquire consilium, Thobie x. Non ad insipiente, Ecclesiastici viii.: Cum fatuis consilium non habeas, nec ab extraneis ibidem. Cum extraneis non habebis consilium nec ab emulo Ecclesiastici xxxvii.: A zelantibus te absconde consilium. Ideo sapientes facta sua regunt consiliis, Prouerbiorum xxxvi.: Astutus omnia agit cum consilio. Siue ergo sit principes reipublice siue ipsa communitas siue etiam quelibet persona presidens uel priuata prudenter et prouidentia debet consiliari de agendis, prout ait Seneca in tractatu De uirtutibus: Si prudens esse cupis in futura prospectum intende. Et que possunt contingere animo tuo cuncta prospice, nichil tibi subitum sit, sed totum ante conspicias. Qui enim prudens est non dicit putari hoc fieri, quia non dubitat sed expectat, non suspicatur sed cauet cuiusque facti causam inquire cum inicia inueneris exitum cogita et ibi de hoc.

Capitulum septimum: Quod in consiliis capiendis sunt audiende multorum sentencie

Et in consiliis capiendis principis est aliorum audire sentencias licet sit sapientia peditus, dum tamen sint consilia salubria et utilia exemplo Moysi qui audiuit consilium Ietro qui erat et inferior dignitate, et minus illustratus lumine sapientie, Exodi xviii. Et Ysaie iii.: Consiliarius non est tibi, super quod Ieronimus in originali. Greci poete laudabilis sententia, primum esse beatum qui per se sapiat. Secundum qui sapientem audiat, qui autem utroque caret hunc inutilem esse tam sibi quam aliis. // Et sequitur: Romani principes consules appellati sunt uel a consulendo ciuitatibus uel regendo cuncta cum consilio, unde senatus a consultu dicuntur. Non enim fatuis credendum est in consiliis ut dictum est supra, sed sapientibus. Unde Seneca ad Elbiam: Sapientibus uiris me tradidi, non dum ualidus in auxilium meum in aliena castra confugi. Nec est consilium inquirendum ab hominibus malis, Ecclesiastici xxxviii.: A consiliario malo serua animam tuam. Unde Ambrosius iii. De officiis: Quomodo potest stare utile consilium nisi habeat iusticiam et induat constantiam, quomodo putabo eum ydoneum ut det mihi consilium suum qui non dat sibi, Iob xviii.: Precipitabit eum consilium suum. Unde Gregorius Moralium xviii. capitulo ix.: habet consilium suum omnis iniquus, presentia appetere, eterna deserere, iniusta agere, iusta deridere. Et sicut hec consulit sibi iniquus ita et aliis. Nec est consilium perquirendum ab emulis et a diligentibus bona hominis, non ipsum hominem, secundum illud Ecclesiastici xxxvii.: A zelantibus te absconde consilium. Unde Gregorius primo Registri: Nullus tibi fidelior potest esse ad consilium quam qui non tua sed te diligit. Et sicut non est credendum malis consiliariis exterioribus sic nec malis consiliariis interioribus. Unde et commentator Ethicorum vi.: Duo sunt consiliarii insipientes, delectatio et tristitia, hec enim multos precipitant. Cum enim consilium sit proles mentis et filius cordis, quem mens parit et post quod sequitur opus, ut ait Augustinus super Iohannem omelia prima: Corda sequentium delectationem indebitam et fugientium tristitiam debitam sepe seducuntur. In omnibus consulendus est magni consilii angelus et ab eo consilium inquirendum qui est admirabilis consiliarius, Ysaie ix.

Sicut faciebat Dauid qui consulebat Dominum antequam aggredere ardua facta, primi Regum xxiii. Consuluit Dauid Dominum, nunquid uadam et percutiam Philisteos. Et de hoc Augustinus in tractatu De lapsu mundi, ubi ait: Quis est consiliarium prudentior Christo. Et sequitur: Querimus consilium habemus copiam, non sapientis sed sapientie que est Christus. Audi sapientiam fons recti consilii dicit Thesaurizate uobis thesauros in celo, Mathei vi. Unde iste est ille unus consiliarius de quo Ecclesiastici vi.: Sit tibi consiliarius unus ex mille. Nisi enim ab isto consiliario emanent consilia sicut a fonte sapientie, et nisi tendant sentencialiter ad eius consilia adimplenda, instabilia et erronea sunt. Unde Seneca epistola lxxiiii.: Errant consilia nostra, quia non habent quo dirigantur. Et ponit exempla bona. Scire debet quid // petat ille, qui uult sagittam mittere, tunc dirigere ac moderari manu tela. Similiter ignorans, quem portum petat nullus uentus est suus id est sibi conueniens. Et quia iustus querit a Deo consilium, et nititur adimplere consilium sibi datum. De ipso dicitur Ecclesiastici xxxix.: Ipse diriget consilium eius et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur, Prouerbiorum viii.: Meum est consilium ait diuina sapientia. Et ibidem ego sapientia in consiliis habito, dans autem consilium, debet solerter prouidere ne temerarie presummat dare consilia sapientibus, Iob xxxvi.: Cui dedisti consilium. Ubi Gregorius Moralium tricesimosexto: Dare stulto consilium caritatis est, dare sapienti ostentationis est, dare uero ipsi sapientie peruersitatis est. Nec mirum grauis enim impericia est, uelle docere meliorem, Moralium vi. in fine. Ideo Ecclesiastici xxxii.: In medio magistrorum loqui non presummas. Et sequitur ubi sunt seues non multum loquaris scilicet temerarie consulende, et ad ostentationem docendo, et arroganter increpando. Unde et saluator, cum esset iuuenis, inuentus est in medio doctorum, audiens et interrogans, Luce primo.

Capitulum octauum: Quod princeps debet esse in consiliis magnificentior

Et quamuis princeps debeat audire consilia sapientum ut dictum est, tamen ipse debet esse magnificentior in consiliis, detestando contemptibilia et uilia, et iustior siue equior, abhominando iniqua et iniusta, et clementior horrendo crudelia et munificentior erogando dona, cor enim suum debet esse magnificentius et diuine equitati conformius, clementius et munificentius cordibus suorum qui sunt eo inferiores. Unde narrat Valerius de Alexandro libro sexto capitulo quarto: Quod Dario uicto, et uirtute Alexandri experta, cum ei partem regni et filiam in uxorem cum decem centum milibus talentorum obtulisset. Et cum de hoc Alexander consilium requireret, respondit Permenius. Si ipse esse Alexander usurum se hac conditione. Cui Alexander et ego inquit uterer, si essem Permenius quasi diceret. Cor meum regale est et magnificentius, et ideo magis magnifica me decent. Similiter princeps debet esse clementior, iustior et magnificentior, et habitum est supra. Ipse enim est uicarius et ymago Dei in terris. Ideo Deo conformior debet esse et cetera. // Unde et rex apum sine aculeo est sicut dictum est supra a Seneca libro i. De clementia. Nullum enim decet magis clementia quam regem uel principem ut ait ibidem. Licet autem aliquando aliter accidat quam consultum est, nihilominus consilium potest esse datum rationabiliter, quia potest mutari consilium ex contingentibus, prout narrat Valerius libro 3. capitulo vi. de quodam nomine Phistion Atheniensi qui ait in contentione cum res aliter accidisset quam quod consulerat et prospere, asseruit tamen suum consilium esse melius, nec damnauit quod recte acciderat, quia alius bene gesserat scilicet que male consulerat, felicius illius consilium estimans suum uero sapientius,

plerunque enim temeritatem iuuat casus ait ibidem. Semper tamen debet homo de rebus agendis consilium capere modis dictis, licet aliter accidat aliquando, ut enim dicit commentator Ethicorum vi. Demostenes accusatus quia consilio futuro non est potitus, ait: Nullus firmiter de futuro consiliatur, futuri instabilitatem ostentans uituperatione dignum, quasi diceret: Futurum instabilitate potest impediri quod consultum est. Homo tamen faciat quod in se est, nihil omittens de his que debet facere.

Capitulum nonum: Quod secreta consiliorum sunt occultanda

De consiliis uero occultandis in rebus arduis uel periculosis, Vegecius libro primo De re militari capitulo i., ait: Quod Metellius interrogatus quod postera die facturus esset, tunicam inquit meam si eloqui posset coercerem scilicet ne diceret aliis. Item Valerius libro primo capitulo x., narrat sub aliis uerbis, nam inquit si huius modi consilii interiorem tunicam conscientiam esse sansero uel presumpsero, continuo eam cremari iubeo. Ideo ut dictum est supra, ait ecclesiasticus in absconditis suis consiliabitur. Unde Valerius libro iii. capitulo iii.: Adeo magna patrie caritate tenebantur, ut archana patrum conscriptorum multis seculis nemo senatorum enunciauerit. Et sequitur: Nunquid taciturnitatem optimum et tutissimum rerum amministrandarum uinculum labefactari uel labefieri uolebant. Et post ponit exemplum. Cum rex Asie bellum a Perse aduersus populum Romanum comparari nunciasset, non ante scire potuit quid aut ille locutus esset, an patres respondissent quam Persam captam cognitum est.

Distinctio septima [prime partis]

Capitulum primum: De informatione thesaurorum de informatione camerariorum principis //

Quemadmodum senatus siue collectio sapientum consiliariorum in republica cordi comparatur ut dictum est. Sic ministri principis siue camerarii et cubicularii possunt aptari lateri siue costis in corpore naturali. Unde Bernardus omelia v. ad Eugenium circa medium, alloquens summum pontificem, ait: Veniamus inquit ad collaterales et coadiutores tuos hii seduli hii intimi tibi sunt. Quamobrem si boni sunt, tibi potissimi sunt, si mali sunt eque plus tibi, ne dixeris te sanum, dolente latera hoc est ne dixeris te bonum malis innitentem. Consimile potest dici principi seculari. Et ideo ammonendus est, ut eligat et associet sibi tales collaterales et ministros, qui sunt ad sui honorem et reipublice utilitatem. Et prouideat quod sint a sordibus uiciorum immaculati, et ne sint Dei inimici. Nam si tales sunt, non est securum uiuere inter eos, ambulans enim in uia immaculata, hic mihi ministrabat, ait Dauid rex. Item prouideat quod sint uirtutibus preediti, industria prouidi, moribus honesti, et in ministeriis experti, tales enim erant ministri Salomonis, iii. Regum x. Canticorum iii. En lectulum, Salomonis lx.: fortes ambiunt ex fortissimis Israhel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Et ut tales sint principes debent sollicite studere, secundum enim iudicem populi, sic et minister eius, Ecclesiastici x.: Et nisi uoluerint esse tales, debet eos de palacio eiicere, tanquam inimicos Dei, precogitans quod non erunt multum fideles homini, qui tam infideles sunt Deo suo creatori. Et hoc faciat exemplo Constantini imperaotris, ut habitum est supra. Hii debent Dominum suum ueraciter amare, fidelitatem sibi sinceram seruare, honorem eius

in omnibus querere, uitam suam sollicite custodire, i. Regum xxvi.: Ait Daudid ad Abner, quare non custodisti Dominum tuum regem. Et sequitur: uiuit Dominus quia filius mortis es. Et de fidelitate seruorum et ministrorum erga dominos, infra parte secunda.

Capitulum secundum: Quod custodes et thesaurarii principis stomacho comparantur

Consimili modo custodes et thesaurarii siue erarii, siue principis siue communitatis aut reipublice possent adaptari stomacho in corpore naturali, ut eius stomachus recipit alimenta necessaria corpori, que tamen refundit uirtualiter et effectualiter in membra, sic expensarum subsidia infunduntur in erarium principis uel communitatis, // que tamen effunduntur ad eiusdem principis uel communitatis utilitatem. Et de huiusmodi adaptatione Polieratus libro x. capitulo xx. ubi recitat fictam sabulam Esopi, de allegatione membrorum contra stomachum, eo quod deuorabat omnes labores eorum, Ecclesiastici vi.: Omnis labor hominis in ore eius. Et cum uenisset ad iudicium cordis uel rationis, et illa ratio adiudicasset, nihil dare stomacho membra debilitata sunt, et illis conquerentibus, adiudicauit eadem ratio ut alimenta stomacho ministrarentur, quo facto membra sunt refocillata, et pax omnino reformata. Ideo concludit ibi: quod magistratus non tam sibi quam aliis coaceruat. Si enim exinanitus fuerit stomachus nihil quidem membris ualet impartiri. Stomachi enim et principis idem est officium in republica, quantum ad hoc quod dictum est, iuxta illud Quintiserim. Qui stomachum regem totius corporis esse contendunt, uera ubi ratione uidentur, eius enim ualidus tenor omnia confirmat, et omnia eius membra econtra eiusdem franguntur dolore, quandoque enim nisi cura iuuat uiciare cerebrum fertur, et integros illos auertere sensus. Quando igitur princeps bonus ea que accipit a populo, expendit propter populi utilitatem, non debet de eo populus conqueri, sicut nec membrum de stomacho. Et de tali potest uerificari illud, Canticorum vi.: uenter tuus sicut aceruus tristici. Tristicum enim in aceruo colligitur ut pro communi utilitate expendatur. Tales fuerunt Romani quorum erarium erat opulentum, et ipsi pauperes in domibus suis secundum Salustium et Augustinus ubi supra. Quando uero de ficiebant expense, siue in eorum obsequiis, siue in filiabus maritandis ministrabantur eis de erario communi siue collecta secundum Valerius libro x. capitulo iii., sicut habitum est supra. Similiter econtrario stomachus est pestifer qui multa recipit, et recepta non refundit uirtualiter in membra pro eorum utilitate, sic princeps recipiens multa a populo et non elargiens nec expendens pro utilitate eius, pestifer est generans multos malos humores et iudicens multos graues morbos et mores peruersos in corpore reipublice. Et de tali potest uerificari illud Ieremie iiiii.: Ventrem meum doleo. Et illud Ysaie xlvi.: transgressorem ex uentre uacuauit te.

Distinctio octaua [prime partis]

Capitulum primum: De cauendis septem uiciis curialium de ambitione cauenda et cetera

//

Et quomodo predicti omnes aulici sunt et curiales, principi assistentes et ministrantes siue consulentes, ammonendi sunt communiter, ut precaueant sibi a uiciis que sunt communia talibus, et specialiter a septem. Quorum primum est auida dignitatum et honorum ambicio, ut enim ait Tullius libro i. De officiis capitulo xxx. Difficile est potestatem

cupienti seruare equitatem. Et sequitur facillime impellitur ad res iniustas, qui glorie cupidus est, locus enim lubricus est. Unde antiqui nobiles, noluerunt preesse in republica nisi quam diu respublica eorum ministerio indigebat, prout narrat Valerius libro vi. capitulo v.: Quod piscasius millenus, tam diu imperium sustinuit, quam diu cum Atheniensibus bellum gerendum fuit, postquam uero pax et uictoria peracta est deposuit imperium, ne ultra quam reipublice necessitas exegerat, Dominus ciuium permaneret. Et libro iiii. capitulo iii. narrat de illo qui egit gracias, quando consulatum amisit, et de hoc habitum est supra in admonitione principis, et dicitur infra parte secunda.

Capitulum secundum: De cauenda adulatione

Secundum uicium aulicis commune, est seductoria et mendosa adulatio, quia blandiuntur superioribus ut consequantur dignitates et honores, nec non et aliis, ut eis faueant et commendantur ab eis. Et de hoc uicio loquitur Polycratus multum libro iii. capitulo x. Ubi ait adulator omnis uirtutis inimicus est, et quasi clauum figit in oculo illius cum quo conserit, eo quod magis cauendus est quo sub amantis spem nocere cupit, et sequitur. Comites habet adulator odium et fraudem, perditionem et notam mendacii sequelam, seruitutis execrationem proxi, et exterminium totius honestatis. Oleo inquit peccatoris non impinguet caput meum. Vere enim laudatur peccator in desideriis anime sue, super quod Augustinus, lingue adulantium alligant hominem in peccatis, et sic trahunt secum omnes animas in perditionem. Unde antiqui sapientes non permittebant tales loqui cum principibus, ymo interficiebant, prout dicit Valerius libro v. capitulo iii.: Quod Athenienses Thimogoram inter officium salutationis Darii regem moregentis adulate, capitali supplicio affecerunt. Et de hoc Polycratus libro iii. capitulo xiii.: Egrege inquit Cecilius Baldus imperator auguste cum in multis appareas tamen in eo maxime elucet prudentia tua, quod isti in adultores non dum te insanum omnino reddiderunt, qui ut applaudant tibi, non modo diis sed tibi ipsi et populo iniuriam faciunt, deorum siquidem minuunt reuerentiam quos tibi parificant, te arguunt in seipsis dum conditionis tue repugnante natura, parem te numinibus esse persuadere presumunt, nota superstitionis murunt populum cum mortales deos pro immortalibus, persuadent esse colendos sene aliquid in eo diuinum ubi inesse monstrabis, si omnes istos qui delectati tue // fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormenta, quis enim deorum ei parcat a quo se deceptum intelligat, quis in eum non irruat, qui aureos Iouis oculos eruit, aut argento gemmisque sublatis nititur excecere, quis de Martis capite ad Amantinum lumen impune te merariis effodit unguibus, nempe deos inuisibiles et immortales circumuenire, et eis fallacie perare insidias grauioris culpe est eo quod ab hiis uisibilium deorum fabrica sustentatur et regitur, et honorem aut contemptum qui istis exhibetur, illi renuerunt, si sapis ergo auguste, in deorum hostes insurgas, et te non deum qui nequaquam es, sed te deorum docebis esse cultorem, si deceptores istos exterminaueris excecatores tuorum deorum contemptores et utrorumque iniurias punias. Hec Cecilius. Similiter narrat Seneca epistola lxx de Alexandro: qui cum in obsidionem cuiusdam urbis in Asia circuiret muros imbecillia menium conuerteret uel quereretur sagitta, percussus diu persedit ire incepta perficere, deinde cum repressa sanie ficti uulneris dolor cresceret, et crus eque suspensum paulatim obstupisset coactus absistere, omnes inquit iurant me esse filium Iouis sed uulnus hoc me hominem esse clamat, adultores me decipere uolunt sed nullus ueritatem ostendit et uere adultores sunt deceptores seductores et inimici ueritatis. Adulator est

blandus inimicus ait Hieronimus lxxxiiii. Epistola. Hii enim sunt scorpiones facie blandientes, cauda percutientes. Ezechielis iii. Cum scorpionibus habitas. Unde Gregorius libro i. omelia ix.: Adulator scorpio est, palpando incedit, sed cauda ferit, similiter apis qui mel in ore gerit sed incauda uulnus. Unde adultores sunt sicut sacerdotes infernales, dicunt enim placentia et sic incipiunt sicut uespere mortuorum que incipiunt. A placebo sed in fine sepeliunt in peccatis. Sepulcrum patens est guttur eorum scilicet adulatorum, quia quos ad peccata illectant quasi deuorant et in eorum uitam conuertunt, Mathei viii.: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, super quod Gregorius Moraliu[m] iiii.: Mortui sepeliunt mortuos cum peccatores peccatorem fauoribus premunt. Item nutrices Sathane sunt, nutriunt enim homines in peccatis. Iob iii.: Cur lactatus uberibus? Unde Moraliu[m] iiii.: Adultores lactant illos quos laudant quasi premio laudis, Prouerbiorum i.: Si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis. Ysaie iii.: Popule meus qui te beatum dicunt ipsi te seducunt. Unde Hieronimus in Originali: Adultores sunt hostes et stille et simie dyaboli. Item sunt propinatores demoniaci, propinant enim pocula mortis, quasi melle adulationis circumlinita, sicut loquitur Alexander nequam de natura rerum // dicens. Adulatio est uenenum mellicum, aut mel uenenatum. Et ideo Hieronimus de coniugo adulatorum assertiones et noxia blandimenta fallacie, uelut quasdam pestes fuge. Isti ergo adultores abundant in curiis, et per blanda mendacia sua, alios seducunt. Unde Iuuenalis loquens de Roma ait: quod faciam Rome, mentiri nescio librum si falsus est laudare nequeo quasi diceret fugio urbem adulatorum ueneficio toxicatam, et eam adulatoribus derelinquo. Et ideo aures sunt claudende adulatoribus, ait Seneca liiii. epistola: Surdum inquit te adulatoribus presta exempla de ulixe, qui claudebat aures siirenis, et epistola xlvi.: Venit ad me pro amico blandus inimicus, uicia nobis sub uirtutum nomine subrepunt, et ibi bene de hoc. Et quia contraria sunt ueritati, dicuntur Sathan, quia blandis uerbis ad illicita trahunt, iii. Regum xxix.: Cur mihi hodie effcimini in Sathan. Et de ista peste et de eius documento in tractatu de uiciis. Sed nihilominus libentius audiuntur in curiis tales qui loquuntur mendacia predicatoribus ueritatis, eo quod ueritas parit odium ait Salustius, et qui male agit odit lucem, Iohannis iii. Sed sic non faciunt sapientes, debent enim prohiberi ne loquantur cum regibus. Unde narrat Trogus Pompeius libro vi.: quod canon Atheniensis uocatus a rege Persarum, contra Lacedomos, prohibitus est colloquio regis, quia eum more Persarum adulari uellet, et hoc merito, quia adulatio infatuat assentientem sibi, ut ait Seneca: Quod adulatio quenquam pro sua porone infatuat, dicamus ergo, uos quidem prudentem dicitis me esse, ego autem uero deo quam multa inutilia concupiscentia nocitura optare uel appetere, ait Katho, plus aliis de te quam tu tibi credere noli, quid enim prodest, si te omnes laudant conscientia tua accuset, aut quid obesse poterit, si omnes derogant et conscientia defendat, ait Gregorius supra Ezechielem libro i. omelia ix.

Capitulum tercium: De improba munerum acceptione

Tercium peccatum curialium est, improba munerum acceptio, que excecant prudentes. Exodi xxiii.: Nec accipias munera que etiam excecant prudentes et inutant uerba iustorum, absque enim talibus uix potest aliquis ingredi curias uix cum aliquo loqui, uix ab aliquo exaudiri, multi curiales sunt sicut canis acris qui obiecto cibo mansuescit, ait Seneca libro de constantia sapientis, sic est ad literam de talibus, acres enim sunt et asperi antequam uideant munera, quibus tamen uisis mansuescunt econtrario est de nobilibus

Romanis, de quibus narrat Trogius Pompeius libro xviii.: Quod Eneas missus a rege Troiae ad pacem confirmandam, cum ingentibus donis, neminem inuenit cuius domus muneribus pateret, quibus enim munera deferebat, omnes clauserunt ostia, ne cum muneribus intraret. Idem narrat Valerius libro x. capitulo iii. Ubi ponit exempla, de multis, qui refutauerunt munera, et etiam exempla de quibus in breui loquor de uirtutibus. Et sic accipientes munera minuunt gloriam suam nec non et meritum. Unde narrat Valerius de Pistrato Milone, quod cum agri pars de consensu omnium sibi offerretur, auertit animum ab eo munere, deforme iudicans uirtutis gloriam et magnitudinem perdere inuenire. Si sic igitur paganus refutauit munus publicum et oblatum consensu omnium, quantum magis fidelis debet refutare munus priuatum, exceptis hiis que recipere licitum est, secundum leges, qualia sunt esculentum et potulentum que accipere licitum est modo debito et in debita quantitate. Unde epistola diui seueri et imperatoris Anthonii de hiis determinat, cuius uerba sunt hec quantum ad exenia uel dona pertinet audi quid sentimus, uetus prouerbum est, nec omnia nec semper nec ab omnibus, nam ualde inhumanum est a nemine accipere sed passim uilissimum et per omnia auarissimum. Quod autem mandatum continetur, ne donum uel munus ipse proconsul uel qui in aliquo officio erit, accipiat a nemine, nisi uictus quotidiana causa, quod ad exenia non pertinet sed ad ea que edulium excedant usum, sed nec producenda sunt ad munerum quantitatem. Et de hoc in Polierato libro v. capitulo xiii. Ubi ait quod secundum Plinium quidam homines in Africa dicuntur effascinare uoce et lingua, quorum fastimatio est exicialis quando aliquid laudant. Et similiter ait in Illiricis nasci homines qui interimunt homines in uidendo, quos diutius irati uident. Similiter Apollonides perhibet in stithia nasci feminas, et eas habere in oculis binas pupillas, et perimere uisu si quem uisu irate inspexerint. Tales sunt curiales irati cum non uident munera sibi oblata ut ait Seneca epistola xviii. Reges Parthos non poterit quis salutare sine munere, habentes enim oculos maculosos sunt prouiores ad nequiciam secundum philosophos. Alios phisonomos sapientes, sic habentes oculos cordis maculosos sunt prouiores ad nequiciam in acceptione munerum, sed sic accipientes sunt mali mercatores, quia talibus muneribus excecantur et priuantur oculis cordis. Unde sapiens Ecclesiastici uicesimo: Exenia et dona excecant oculos iudicum. Nolentes dona accipere commendat psalmista, munera inquit super innocentem non accepit. Isaie tricesimotercio: Qui excutit manus suas ab omni munere, super quod Gregorius Moralium ix.: // Ante medium, tres sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque ex corde est captata gratia cogitatione munus ab ore gloria per fauorem. Munus ex manu premium per dationem a quibus omnibus iustus excutit manus. Et idem Gregorius super euangelistas libro i. omelia iiii. ubi ait de triplici munere: Munus triplex est, scilicet ab obsequio id est subuentio debite impensa, et munus a manu scilicet pecunia, et munus a lingua scilicet fauor. Unde dicit Polieratus libro iii.: non est deperandum de suffragio eius, quem muneribus pascis. Alimenta umbraculis gratie munuscula sunt, et nisi fuerint frequentata amicitie nomen interimunt, et quod crudelius est, tales accipiunt a pauperibus ab afflictis, ab iniuste uexatis, cuius contrarium commendat Gregorius libro v. Registri dicens: Exenia uestre sanctitatis accipere nolueram, quia ualde incongruum, et ut a predatis et afflictis fratribus percepissem munera uideamur. Similiter recipiunt ab infamibus quod dedignati sunt facere antiqui gentiles. Prout ait Seneca libro v. de beneficiis capitulo xvii. loquens de Grisemo Iulio, quod cum esset sibi missa pecunia a Fabiano Persico non accepit. Et obiurgantibus hiis qui non estimant mittentes sed missa, quod repudiasset, ait: Ego ab eo beneficium accipiam a quo

propinationem non sum accepturus, si quia infamis est. Et cum ab alio consulari esset sibi summa maior oblata noluit recipere pecuniam ab eo missam, quia eiusdem infamie uicio laborabat.

Capitulum quartum: De impudenti officiorum uenditione

Quartum peccatum curialium est impudens uenditio officiorum uel commodorum, uix enim sine precio uel eius spe aliquid faciunt. Unde Iuuenalis loquens de Roma, ait: omnia Rome cum precio qui das ut cessum id est illum diuitem aliquando salutes, ut te respiciat clauso nexo uel neyco labello. Unde et urbem uenalem uocat eam Salustius. Si emptorem inuenerit et cito perituram. Et idem Augustinus epistola quinta: ut habitum est supra. Et de hoc Policratus libro v. capitulo ix. ubi ait: Improbitas curialium eo usque innotuit ut de testimonio conscientie de uenustate morum de odore opinionis de sinceritate cause, de torrente eloquentie, nisi precio interueniente, quis frustra confidat. Secundum illud Ouidii de aite amandi: Ipse licet uenias inusis communitatus homere, non nil attuleris ibis homere foris. Nec enim ingredi potest sine precio, nec mulcere aures promissio, nisi fuerit presens datum aut spe. // Unde Policratus ubi supra, non modo leones et tigrides eloquentie lenisse dictus est Orpheus secundum fabulas sono athare sue, sed apud ipsum diuitem uox dulcior perorauit canemque tricripitem ex orauit causa fauorabilior. Item Arion secundum fabulas solo testudinis sono faxa molliuit. Sic apud curiales nihil efficies inquit, nisi plumbea eorum corda malleo aureo uel argenteo emollias apud inferos unus tereberus, sed quot sunt diuerticula curialium tot sunt tereberi, tales enim nec instrumenta nec literas nec sigilla, sine precio dant nec uerbum, et quod magis peruersum est, nec silentium, ut habitum est. Et hoc ideo, quia omnia munus agit et caritas est exclusa. Et sicut legitur de Ydria, cui si unum caput abscinditur pro absciso crescunt alia tria. Est enim species serpentis multorum capitum secundum Hieronimum epistola lviii. Sic est de predictis, quod quando uni satis factum est et unius uoracitas, quasi interculsa acrius petunt alii, quibus oportet dari, sicut ait Seneca libro De constantia sapientis, ubi inquit nunquid sapiens accedet ad fores quas durus ianitor obsidet, et repudiet tanquam canem acrem obiecto cibo leniet, nec indignabitur aliquid impendere ut limen transeat, cogitur et in pontibus quibusdam pro transitu aliquid dare, patet ergo talium impudens improbitas et ceca cupiditas.

Capitulum quintum: De simulata amiciciarum fictione

Quintum peccatum curialium est exterior amiciciarum fictio, fingunt enim curiales se esse amicos, donec ueniatur ad amicicie experimentum, et tunc non apperet se esse amicos ueros, uere ipsi sunt amici mense de quorum quolibet, Ecclesiastici vi.: Est amicus socius mense, et non permanebit in die necessitatis, et quo omnia sunt uenalia ut dictum est apud predictos, et per acceptionem munerum patet non ueram esse amiciciam hominum, sed nummorum secundum quod ait Iuuenalis, quantumquisque sua uel munera seruat in archa, tantum habet fidei. Et ideo nulla uera amicicia ut ait Tullius iii. De officiis: In malis fictio est, in bonis uero amicicia uera. Et quia predicti apud quos omnia uenalia sunt et quos flectunt munera, mali sunt, ideo in eis fictio est, non amicicia secundum autem Aristotele viii. Ethicorum: tres sunt species amicicie equales amabilibus, sunt enim amantes bona, et sunt propter utile amantes adinuicem, et sunt quidam amantes

propter delectationem, et hee due ultime amicicie sunt secundum accidens et facile sunt solubiles. Dissoluto ergo propter quod sunt amici, dissoluitur amicicia id est quando non consequitur aliquod utile uel delectabile. // Ideo Ecclesiastici xii.: non agnoscitur in bonis amicus, nec in malis inimicus. Ut enim ait Ethicus uel Ethnicus cum fortuna manet multi seruantur amici, cum ceciderit turpi uerticis ora fuga ut enim ait Augustinus viii. Confessionum, post principium non est uera amicicia nisi cum eam conglutinas inter herentes tibi caritate, loquitur ad domianum, talis caritas raro est in predictis. Ideo Tullius De amicicia capitulo x.: Vere amicicie difficilime reperiuntur in eis, qui in honoribus re que publica uersantur et Seneca li. epistola: Errat qui in atrio querit amicum, et hoc ideo quia quilibet intendit suum commodum, propter quod non est amicicia uera prout Tullius in libro De natura deorum in fine: carum est ipsum uerbum amoris. Ex quo amicicie nomen ipsum est dictum. Quam si ad fructum nostrum referremus, non ad illius comoda quem diligimus non erit ista amicicia, sed mercatura quedam utilitatum suarum, propterea et arua et pecudum greges diligimus hoc modo quia fructum ex eis capimus, hominum caritas et amicicia gratuita est id est debet esse, et quia non est sic in predictis. Ideo non est uera amicicia, ymo uerificatur de multis illud Ieremie ix.: Omnis amicus fraudulenter incedit, et de hoc infra secunda parte de amicicia huic concordat Ouidius de ponto qui ait, illud amicicie quondam uenerabile nomen prestat, et in questum pro meretrice sedet. Diligitur nemo nisi cui fortuna secunda est. Turpe quidem dicta, sed si modo uera fatemur, uulgas amicicias utilitate probat.

Capitulum sextum: De sophistica machinatione calumniarum

Sextum peccatum curialium est astuta siue sophistica machinatio ad calummandum uel illaqueandum, et ex consequenti ad excoriandum et spoliandum populum, iniquas leges statuendo uel eis fauendo peruersas consuetudines allegando uarias uias calumniandi ad inueniendum. Unde de talibus Ysaie x.: Ve qui condunt leges iniquas et scribentes iniusticiam, scripserunt ut opprimerent in iudicio pauperes. Et de quolibet tali uerificatur Psalmos: Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis ut interficiat innocentam, quod contingit maxime quando princeps uel Dominus est minus iustus, nimis cupidus, quia secundum indicem populi sic minister eius, Ecclesiastici x. Et qui libenter audit uerba mendacii, omnes ministros habebit impios, Prouerbiorum xix. Et sicut dixit Dindimus rex Bragmanorum ad Alexandrum, detractorum officium est fallacibus sermo- // nibus mendacia pigmentare, ut enim placeant tali et ut assequantur partem lucri machinantur ad spoliandum pauperes, et ab eis laudatur peccator in desideriis anime sue. Tales etiam assimulantur canibus latrantibus siue lupis deuorantibus oues, siue accipitribus columbas deplumantibus Mathei x.: Sicut uoes in medio luporum. Ubi Crisostomus omelia xxxiii.: Quid ouis in medio tot luporum, quid columba in medio accipitrum, ipius enim iudex siue Dominus est ut leo rugiens, et ursus esuriens, Prouerbiorum xxviii.: Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem, tales enim scilicet impii presides siue consiliarii sunt quasi caues latrantes, cogentes scilicet pauperes ad iudicium in quo spoliantur. Ysaie i.: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, et ideo sequitur, pupillo non iudicant, et causa uidue non ingreditur ad eos. Et tales aliquando sunt indurati, ita in impietate quod nec pauperum innocentia mouet eos ad pietatem, Ecclesiastici v. Vidi calumnias que sub celo geruntur, lacrimas innocentum. Hii sunt similes lupis, de quibus ait Philosophus viii. De animalibus: Quod lupi cum uenatores

piscium dant eis aliquid, non nocent eis, sed cum non dant corrumpunt retia cum extenduntur ad siccandum, sic de talibus nisi muneribus preueniantur, nocent causas habentibus et negocia. Imo etiam sunt crudeliores lupis, quia legitur de lupabus quod nutriunt infantes expositos bestiis, sicut fuit de Romulo quem nutriuit lupa, prout dicitur in Hystoria romanorum: predicti autem excoriant pupillos et infantes, et sicut est de lupo, quod si uiderit prius hominem quasi eripit sibi uocem. Ut ait Ambrosius in Exameron omelia vi.: Sic tales prius si uiderint hominem, nisi muneribus preueniantur, eripiunt ei uocem ne possit loqui in iudicio. Hii etiam sunt similes castori. De quo ait Solinus libro capitulo iii. xxxv.: Quod cum hominem inuaserit connexum dentibus non prius relaxat quam concrepent ossa sub dentibus eius, sic tales non cessant donec confringant pauperes, Michee iii.: desuper excorauerunt et ossa eorum confregerunt et concenterunt. Hii etiam sunt crudeliores lincibus, de quibus ait Hieronimus epistola lxxv.: Quod licet ore rapido deuorent, tam diu tamen memoriam habent predandi quamdiu uenter est uacuum. Ubi enim sanguine pasta est sitis cum saturitate succedit obliuio predandi donec memoriam renouauerit esuries, predicti uero satiati spoliis pauperum, non cessant alios spoliare, tales enim sunt crudeliores leonibus esurientibus. Ut enim ait Solinus libro decimo capitulo octauo: Clementie sunt multa iudicia in leonibus, prostratis parcunt, in uiros plusquam in feminas seuiunt, infantes non nisi in magna fame perimunt. Predicti uero nulli parcunt, ut dictum est. Et sicut est de lupis, quod quando habent multos filios peiores sunt ut ait Philosophus vi. De animalibus // Sic et tales quantoplures habent, tanto plus sunt rapaciores. Sed talibus eueniet quod contingit auibus deplumantibus bubonem, ut enim ait Philosophus De animalibus viii.: Aues uolant et deplumant ipsum et propter hoc uenatores deprendunt multas aues cum illo, quod eueniet predictis, dum enim iniuste ipsi spoliant pauperes, ipsi iuste spoliatur a superioribus, uel dum ipsi spoliant alios bonis temporalibus ipsi priuantur bonis spiritualibus, ut Ysaie xxxiii.: Ve qui predaris nonne ipse predaberis. Et hi sunt inexcusabiles, quia cum ipsi sint diuites nihilominus expoliant pauperes prout dicit Ambrosius bene primo De officiis, alloquens tales. Diues eras qua causa aliena rapiebas, egestas non compulit, ideo te feci diuitem, ut excusationem non haberes, cur non affuisti iniuriam patientibus, ideo te feci potentem, non ut inferres uiolentiam sed repelleres. Eripite inquit pauperem et egenum de manu peccatoris liberate, et sequitur: Dum enim augere opes occupare terras cupimus, iusticie formam exuimus, beneficentiam communem amisimus, uere enim ubi lucrum in archa, damnum in conscientia ut ait Augustinus de innocentibus in sermone. Sed damna spiritualia predicti non cogitant, quia excecati malicia et rapidi auaricia. Sicut enim est de cane qui dum proiecta sibi a Domino suo deuorat ad spem tamen futuri inhyat, sic et tales dum deuorant quod fortuna proiicit ad rapinam nihilominus sunt erecti ut ait Seneca de raptoribus, lxx. Epistola. Et quod irrationales creature non facerent, isti non abhorrent, ut enim ait Philosophus, vi. De animalibus. Non est modus auium unius speciei quod una aliam comedat et tamen isti confratres spiritualiter deuorant, Michee iii.: Qui comederunt carnem populi mei. Unde narratur de Tyberio in Cronicis breuibus, quod cum suaderetur sibi tributa augenda esse prouinciis, dixit, boni pastoris non esse pecus de glutire. Nec isti cogitant quod erit eis durum iudicium, quia multi contra ipsos clamabunt et de eis conquerentur, et quasi multi aduocati aduocabunt et iudex erit seuerus. Quot enim bona iniuste abstulerunt, tot contra eos clamabunt, quot lacrimae pauperum quot suspiria quasi tot legiste contra eos aduocabunt, Ecclesiastici xxxv.: Lacrimae uidue ad maxillas descendunt et sequitur: A maxilla ascendunt usque ad celum et Deus exauditor non

delectabitur in illis Iob xxxv.: propter multitudinem calumniatorum clamabunt. Abacuc ii.: Ve qui congregant auariciam malam domui sue, sequitur: Quia lapis de pariete clamabit. Unde narrat Petrus Damascenus in tractatu suo // de quodam infirmo ad mortem et clamante et ullulante quia sex nummos a paupercula uidua acceperat, uerberabatur de manibus sanctorum, Andree et Gregorii ut uidebatur ei. Et quot inquit passus illa fecerat in laborando, ut illos a me requireret, tot ictus sanctorum pertuli. Nec mirum si supernus iudex talibus sit seuerus, quia dicitur Ecclesiastici xxxviii.: Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui uictimat filium in conspectu patris, si talis est dum sacrificium offert, qualis est dum spoliat. Qui ergo sunt principes presides consilarii uel ministri siue collaterales, caueant ne sint raptores aut spoliatores pauperum siue consiliatores aliis ad spoliandum.

Capitulum septimum: De comessationum uoluptate et noxia uacatione

Septimum uicium curialium, est de comessationibus siue ociis siue uoluptatibus et uanis ludis, noxia uacatio, ut enim patet ad sensum curiales predictis indulgent et uacant, et etiam in talibus student. Sic enim impropere eis propheta Amos vii.: Optimates capita populorum ingredienti pompatice domum Israhel, et sequitur: qui dormitis in lectis eburneis et lasciuitis in stratis uestris, Ysaie v.: Ve qui potentes estis ad bibendum uinum, et quod peruersius est, de die faciunt noctem et econuerso, dormiunt enim de die et uigilant de nocte, sicut dicit Seneca de quodam potente epistola lxxxvii.: Qui maiorem partem noctis in conuiuio exigebat et usque ad horam sextam fere dormiebat, hoc enim erat eius matutinum. Similiter narrat epistola C. xxv. capitulo xxv. de quodam fabulatore elegante qui ait: si habitasset supra domum Papini, qui erat ex hac turba lucifugarum et circa horam sextam noctis audiebat clamorem, et tunc uocabantur celerarii et coci tumultuabantur, querit inquit ille quasi irridendo quid sit, dicitur aliquando illum a balneo exisse et mulsum poposcisse, ualde inquit frugaliter uiuebat, nihil conseruabat nisi noctem, quod ait irrisorie. Unde talibus competunt que ait Virgilius fuisse in conuiuio Didonis libro v. Ubi dicitur post quam prima quies epulis menseque remotis. Crateres magnos statuerunt, et uina coronant. Fit strepitus tectis, uocesque per ampla uolulant. Atria dependent lichmi laquearibus aureis incensi, et noctem flammis fumalia uincunt. Et quia a libero patre proximus est in temperantie gradus, ait Valerius libro quinto capitulo primo: Et uentrem distentum cibo, sequitur uoluptas genitalium, ut ait Hieronimus epistola xxxvii. Ideo in conuiuio Dydonis // predictorum quod ante fuit dictum, de quo Virgilius ubi supra: Infelix Dydo longumque bibebat amorem. De talibus ait Seneca epistola lviii, ad Albiam, uiuunt ut edant: O miserabile quorum palatus non nisi ad preciosas excitatur escas, et hi non uiuunt recte prout ait Seneca. Non uiuit qui libidini et somno uiuit. Et de his Ysaie v.: Ve qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et sequitur: Cithara et lyra tympanum et tibia et uinum in conuiuuis uestris et opus Dei non respicitis ob ista uicia et consimilia que consueuerunt regnare in curiis, que non sunt regulate legibus Dei nec moderamine temperantie ordinate. Etiam philosophi fugiebant illas, prout dicitur in prologo Pollicrati de Socrate. Cum enim ab eo quereretur quare non in forensibus negociis uersaretur, respondit: Que locus hic callet ego nescio, et que ego calleo locus hic nescit, ego enim contemno que illi aulici ambiunt, et que ego ambio illi contemnunt. Et propter hoc Iohanes Salobiciensis intitulauit librum suum qui uocatur Pollicratus de nugis curialium philosophorum quia illas pro parte continet, prout ait ipse

in prologo libri sui. Et consimiliter uiri sancti decinant tales curias nisi quantum necessitas cogit uel animarum utilitas exigit, unde Dauid non uenit ad Kalendas Saulis, primi Regum xx. Conuiuium etiam Herodis non intrauit Iohanes sed in eo fuit decapitatus Marci vi. Quia melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuui, Ecclesiastici vi. Ideo dicitur in Tractatu de duodecim abusionibus: Quod quinta abusio est monachus curialis quia ut dicitur ibi, ordo claustralis et ordo curie sunt diuersi, ibi sedes in insidiis cum diuitibus, hic audes dicere, non sed cum consilio uanitatis, ibi insidiaris ut rapias pauperem, hic dicis, odiui ecclesiam malignantium, ibi dextera tua repletur muneribus, hic lauas inter nocentes manus tuas. Due tamen sunt curie principum secularium quorumdam scilicet qui ecclesias instruunt, quorundam qui destruunt. Alia enim curia Dauid alia absolutio, prout ibi distinguit Berhardus. Et in utraque preualebat consilium Chusi non Achitofel, Chusi silentium interpretatur, Achitofel ruina fratris, ad utramque uero est utilis accessus bonorum scilicet ut bonum promoueant et malum impediunt, malorum autem ad utramque inutilis, prout ibi determinat Bernhardus, unde sequitur ibi: Sexta abusio est monachus causidicus scilicet qui amat plus esse de discumbentibus cum Herode quam in claustrali carcere cum Iohanne. Ibi enim puellam saltantem, et caput truncatum Iohannis. Iohannes interpretatur in quo est gratia Christi. Sed duo amputant caput Iohannis id est seperant Christum a corde, curiositas et uanitas. // Unde ait ibi, licet non uideat in disco caput Iohannis uidet tamen que effuso sanguine acquiruntur, uaccam uidue uidet et porcum pauperis. In carcere principis pauper moritur, et tamen de substantia pauperis comedens monachus principi blanditur. Consiliarii ergo principis uel domi terre, qui obtinent locum cordis in republica sint tales ut descriptum est. Et quia eorum collectio est senatus studeant ut tales sint quales erant illi de senatu Romano. Ut enim ait Tullius v. De officiis: Regnum populorum nationum portus erat et refugium senatus. Similiter collectio consiliariorum principis sit in refrigerium tribulatis et pauperibus.

Incipit Distinctio nona [prime partis]

Capitulum primum: De informatione militum qualiter per manus significantur

Consequenter prosequendum est de illis qui se habent ad modum manuum in republica que sunt milites. Manus enim reipublice sunt homines militares qui conuenienter per manus significantur. Manus enim parate sunt ad adiuuandum de nature imperio, et quantum utilitatis habent nulli scire licet, ait Seneca epistola xxix. Opus enim manus est tangere attrahere et impellere. Ait enim commentator Ethicorum primo: Et ideo manus est talis dispositionis quod possit talia facere ait Algazelli iii. Et manus est organorum organum, tercio De anima, et non est unum instrumentum sed multa, De animalibus xiiii. Sicut ergo manus sunt in corpore naturali ad repellenda nociua, ad percutienda infestantia, ad attrahenda necessaria, ad conseruanda omnia alia membra et defendenda, sic sunt milites ad ista efficienda in republica. Et quemadmodum manus se specialiter ad caput opponunt protegendum ne ledatur, sic sunt milites in republica ad custodiendam uitam principis qui est caput ut dictum est supra. Unde ait saluator, Mathei x.: Estote prudentes sicut serpentes. Super quod Augustinus De doctrina christiana capitulo v.: Prudentia serpentis est quod corpus ponit pro capite defendendo, ad quod hortabatur ipse discipulos. Ideo de illis potest dicere respublica siue ecclesia que est ipsi fideles, illud

Psalmos: Qui docet manus meas ad prelium et cetera. His militibus debet predicator euangelicus exprimere militie instructionem et dignitatem, antiquorum militum probitatem, militaris disciplinam seueritatem, apud illos officii qualitates, et huius fructum siue utilitatem, et de talibus // conferre cum illis ad eorum edificationem.

Capitulum secundum: De instructione militum

Primo est uidendum de militie institutione sine militis effectione, et nuncupatione, ut enim dicitur in principio Hystorie romanorum. Condita ciuitate a Romulo, quam ex nomine suo Romam uocauit, mille pugnatores de illis elegit, quos a numero milites uocauit. Miles enim dicitur quasi unus ex mille electus, ait Papias. Romulus prius milites de populo sumpsit et appellauit, et sic miles est nomen laboris et honoris, ita dicit Policratus libro v. capitulo vii.: Secundo uidendum est de hiis que militem faciunt. Et de hoc in Policrato libro vi. capitulo v. bene ubi ait: quod duo sunt precipue, que militem faciunt, electio et sacramentum. Unde Vegecius Renatus bene de electione militum, in hoc inquit totius reipublice salus uertitur, ut Tyrones non tantum corporibus sed annis prestantissimi eligantur ad uires regni et Romani nominis fundamentum. In persona de electione, id est electionis examinatione consistunt, nec leue hoc putetur officium, aut passim quibuscumque commendandum, quod apud ueteres inter tam uaria genera uirtutum principue constat esse laudatum. Iuuentus enim est, cui defensio prouinciam imminet, et moribus excellere et uirtutibus et uiribus debet, honestas enim ydoneum militem reddit, et uerecundia dum prohibet fugere, sepe facit esse uictorem, et sequitur a magnis ergo uiris magnaue diligentia conuenit eligi iuniores. Cum uero diligens electio in iudicio fuit approbata, significandi sunt et ascribendi milicie, qui ad eam inueniuntur ydonei, nam et uelocitas requirenda est et non robur, et utrum armorum disciplina quis ediscere ualeat et an habeat confidentiam militarem, et huiusmodi pluraque enim quamuis non in probabiles uideantur, et in locum eius strennuissimi subrogandi, in omni conflictu non tam prodest multitudo quam uirtus, in qua exploranda formanda et promouenda ducis uertitur tam opera quam iudicium. Hec ibi: Cum magna ergo examinatione et diligentia ab antiquis milites eligebantur.

Capitulum tertium: De sacramenti militaris qualitate

De sacramento militari legitur in Policrato ubi supra capitulo vii. et apud Iulium Frontinum, quod Lucio Flacio et Gagio Varonne uel Marone consulibus, milites primo iureiurando facti sunt. Antea enim sine sacramento tantummodo a tribunis rogabantur, ceterum ipsi inter se coniurabant, se fuge atque formidinis causam non habituros, neque ex ordine recessuros // nisi zeli petendi hostes ue feriendi causa, aut ciues conseruandi aut animo seruiendi, et hoc dicebatur militie sacramentum, quod et Christianissimorum principum auctoritate firmatur et usu. Conceptio iuramenti huius est ut dicitur in Pollicrato ubi supra. Et idem Vegecius libro x. capitulo primo: Iurant quidem milites per Deum et Christum et spiritum sanctum et per maiestatem principis, que secundum Deum humano generi diligenda est et colenda, iurant inquam strenue se facturos omnia que princeps precipit. Cum enim quis legitimum acceperit principatum tanquam presente Deo fidelis est ei prestanda deuotio, impendendus peruigil famulatus. Iurant etiam nunquam deserturos militiam uel recusaturos pro republica, cuius sunt conscripti militie.

Cumque hoc prestiterint iusiurandum, cingulo militari donantur et priuilegiis. Et adeo ergo illud obtinuit et electio et sacramentum militem facerent, ut sine electione nemo conscriberetur, aut sine sacramento nemo nomen militis aut officium sortiretur. Unde Tullius libro primo De officiis capitulo xl.: refert de Pompilione imperatore, in cuius exercitu filius Cathonis Tyro militabat, quod cum Pompilio uideret unam legionem dimittere, Cathonis filium qui in eadem legio ne militabat dimisit, et cum ille amore pugnandi mansisset in exercitu, Catho ad Pompilionem scripsit, ut si pateretur eum in exercitu remanere, eum secundo obligaret sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. Similiter Marci Cathonis senis epistola est ad Marcum filium, in qua scripsit se audisse eum dimissum a consule cum in Macedonia bello Persico miles esset, monet ergo ut caueat, ne bellum ineat, negat enim ius esse cum hostibus pugnare qui miles non sit quia militem non credebat nisi eum qui sacramento ad militiam consecraretur. Patet ergo et militum dignitas et fidei firmitas, et iuramenti obligabilitas, cuius forma est ut Deo primum fides debita, deinde principi et reipublice seruetur in columis, et ideo magna pericula militum, si tales non sint, et nisi fidem et iuramentum seruauerint. Et licet sint forte qui sibi non teneri uideantur ecclesie ex sacramento solenni, quia plerumque ex consuetudine non prestatur. Nullus tamen est qui sacramento tacito uel expresso ecclesie non teneatur obnoxius, et forte ideo cessat apud aliquos solemnitas iuramenti, quia ad hoc omnes inuitat et coartat necessitas officii et sinceritas fidei, inoleuit enim consuetudo solennis, ut ipsa die qua quis militari cingulo decoratur, ecclesiam solenniter adeat, gladioque super altari oblato quasi celebri // professione seipsum obsequio altari deuoueat, et gladii id est officii sui iugem Deo spondeat famulatum, neque necesse est, ut hoc uerbo profiteantur, cum legitima professio milicie facte eius uideatur inserta. In homine enim illiterato et qui magis arma debet noscere quam literas, non oportet professionem exigere literatam semper, sicut in hominibus literatis, quales sunt episcopi et abbates, ut dicit Policratus ubi supra.

Capitulum quartum: De militum uirtuositate et cetera

Quales autem debent esse milites scilicet strennui audaces impauidi, experti, prouidi, et moribus prediti et uenusti patet de predictis. Unde in exhortatione Bernardi ad milites templi, loquens de militia et militibus ait tria necessaria esse prelianti, scilicet ut sit strennuus industriusque miles, et circumspectus ad seruandum, expeditus ad discurrendum, et promptus ad ferendum. Unde ut essent tales instruebantur a principibus. Pro ut narrat Salustius de Pompeio cum alacribus saltu, cum uelocibus cursu, cum ualidis recte certabat neque enim ille aliter potuisset par esse sertorio, nisi et se milites suos, frequentibus exercitiis ad prelia preparasset, recedendi assaultandi aut suscitandi insiliendique ars, non mediocris est, cuius beneficio cautela illa seruatur, ut miles ad inferendum uulnus, sic insurgat in hostem, ut eidem nec ex aliqua parte non parcat exercitium uacandi per commodum est missilium, huius est maximus usus, quibus hostis eminus leditur aut terretur, et eorum exercitio lacertis robur accrescit, et iaculandi peritia atque huiusmodi acquiritur. Non enim effeminati uel delicati uel trepidi debent esse milites, sed tales ut descriptum est, optima enim militibus sunt hostem ferire presidia agitare nihil metuere nisi turpem famam, yemem et estatem ultro pati humi requiescere, eodem tempore laborem et inopiam tolerare. Hiis ergo predictis milites hortaberis. Ne hoc similiter Vegecius Renatus testatur, addiciens inutilem esse militem tenere nutritum in

deliciis assuetum preferens tanquam aptiorem plebem rusticam, que sub diuo et in labore nutritur calorem solis patiens, ymbrem negligens, balneorum nescia deliciarum ignara simplicis animi, paruo cibo contenta, induratis ad omnium laborum tolerantia membris, cui gestare ferrum fossam ducere, onus ferre, consuetudo de iure est, et cetera. // Dicitur etiam in Policrato libro vi. capitulo vi.: Quod Gedeon sicut habetur Iudicum vii. uicit innumerabiles hostium copias, in expedita paucitate uirorum fortium, quos non facile credendum est in deliciis urbium aut regalibus epulis quotidianisque conuiuuiis didicisse ut aquam lamberent, eos tamen Dominus pre ceteris censuit eligendos, si tamen interdum necessitas exigit, urbanos delicioresque ad arma compelli. Ex quo primum nomen recipere militie laborare, discurrere pondus portare, et solem pulueremque ferre discant, parco uictu utantur et rustico, interdum sub diuo, interdum sub papilionibus commorentur, tunc deinde ad usum erudiantur armorum, et si longior expeditio emergat in angariis, plurimumque detinendi sunt, procul habendi ab illecebris ciuitatis ut eo modo corporibus eorum accedat et animis. Nec mirum si tales eligebantur ad militiam, quia ab aratro uocabantur ad consulatum et principatum ut dictum est supra secundum Valerium libro viii. capitulo iii.: Sed quia hodie multi milites uacant lasciuiis, ociis, aleis et aucupiis, ideo sunt effeminati et in militia inexperti. Econtrario de Romanis militibus in quorum preconium ait Lucanus, Hircani membra supra Romam more quiritis induxisse togam. Sed hodie plus student multi predictis et ornamentis uestimentorum et armorum quam exercitiis et industriis bellorum et tolerantibus laborum cum oporteat milites nitidiores esse armis militaribus quam uestibus. Unde legitur de Hanibale cum apud regem Antiochum causa refugii moraretur, et rex ostentaret ex ercitu insignibus aureis et argenteis florentem, frenis et falleris prefulgentem, et cum rex gloriabundus respexisset Hanibalem ait: putas ne inquit Romanis satis esse hec omnia, ille lepide et acerbe illudens ignauiam militum precise armatorum ait, plane satis esse credo, et si Romani auarissimi sint propter predam acrius pugnabunt Rex quesierat de numero exercitus et de estimatione equiparanda, ipse uero de preda respondit. Non tamen uituperanda sunt ornata arma et aurea, dummodo non acquirantur ex uanitate et ostentatione. Cum legatur Machabeus clipeos deauratos habuisse, primi Machabeorum vi. Sed hi habuerunt talia arma ad eorum magnificentiam et probitatem et instigationem et incitationem mutuum et ad terrorem ad uersariorum. Ex fulgore enim illorum clippeorum fortitudo gentium dissipata est. Sed inaurare arma ex ostentatione et pompositate et uanitate femineum est prout ait Bernhardus ubi supra: Cooperitis equos sericis, de pingitis hastas, clippeos, sella, frena, calcaria, auro et // argento gemmisque circumarmatis, et sequitur: militaria sunt hec insignia an muliebria potius ornamenta. Nunquid forte hostilis mucro aurum reuerebitur, aut gemmis parcat et serica penetrare non poterit. Ideo narrat Vegecius libro iiii. capitulo i.: Quod Scipio Africanus cum ornatum scutum elegantius uidisset, non mirari se inquit si tanta cura ornauit illud in quo plus habebat confugii quam in gladio. Alia tamen ratione Iulius Cesar habuit comilitones tam cultos ut auro et argento pollitis armis ornaret simul et quo ad speciem et quod tenaciores essent in prelio metu damni, ut dicitur in libro De uita cesarum. De fortitudine uero militum et arduis factis Valerius libro iii. capitulo ii. per totum ubi ait de quodam qui hortatus alacri animo suos ad prelium ait, prandente commilitones tanquam apud inferos tenaturi id est post hanc uitam, mors enim erat eis denunciata et uictoria promissa, ac ductori intrepide paruerunt.

Capitulum quintum: De disciplina militari, et exercitatione uirtuali, et eorum utilitate

Et quia milites efficiuntur uirtuosi modi predictis in militari disciplina. Miro modo, antiqui erant seueri in exercitio militaris discipline, et mirabili modo erant milites obediens principibus et consullibus, ipsos disciplinantibus prout ait Valerius libro i. capitulo ii. et hoc multipliciter uigebat enim apud eos disciplina militaris in abdicacione uoluptatis carnis quo ad fetores luxurie. Unde narrat ibi ut tactum est supra: Quod Cornelius Scipio eodem momento quo castra intrauit, edixit ut omnia que uoluptatis causa erant, auferrentur et submouerentur, et tunc constat maximum institorum et lixarum numerum cum duobus milibus scortorum abiisse, et sic exercitus qui deformi mortis metu se scelerum ictu maculauerat recreata uirtute, mimanciam animosam nostris prostratam solo equauit, ut enim dicitur. In Pollicrato libro vi. capitulo xii.: Gens Parthorum sepiissime superatur, eo quod luxoriosissima est. Similiter regna Assiriorum leguntur fuisse subuersa impulsu luxurie. Similiter et imperium Romanum exhaustum et diuulsum est Nerone imperante. Cuius gula fere omnia deuorauit, maculauit libido, exhausit auaricia, fregit ignauia luxuria cum superbia exinaniuit, ut dictum est supra. Unde ibidem ait: duci in re militari precauendum est, ne uenus et uinum pugnantia pectora frangant. Similiter disciplina militaris uiguit in eis in cohibicione comessationum et ebrietatum, et omni pertinentium ad gulam, prout narrat Valerius ubi supra de Metellio qui ex castris cocos et lixas submouit, et cibum uenalem proponi uetuit. De quo Vegetius libro iiii. capitulo i.: // Quod milites prohibuit uti alia carne quam assa uel elixa. Unde de militibus Iulii Cesaris narratur in libro De uita cesaris quod famem et ceteras necessitates non tantum cum obsiderentur sed etiam cum ipsi alios obsiderent tanto tempore tolerarent, ut tyrachina munitione, uiso genere panis ex herbis quo sustinebantur uel sustentabantur cum feris rem esse agendam dixit scilicet Pompeius. Item uiguit apud eos disciplina in cohibicione depredationis et rapinarum. Unde fertur hoc edicto Iulius Cesar compescuisse milites suos quando urbem ingressus est non licere homines spoliare uel templa deorum. Et de hoc Vegecius ubi supra quod Catho memorie tradidit etiam furto comprehensis inter commilitones dexteris esse precisas, et ibi dicitur quod lisiardum quendam e uia egressum castigabat, qui dicenti ob nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, cui respondit: non speciem quidem rapture prebeas, Valerius capitulo iii. Item erat mira disciplina militum apud antiquos in ocii exclusione et laboris exercitatione, prout narrat Valerius ubi supra de Metellio, qui uetuit neminem militum ministerio seruorum iumentorumque uti, sed ut ipsi sibi arma ferrent et alimenta. Similiter Vegecius ubi supra: Quod Affrica quamuis usus classis non esset necessaria, ne tamen miles desidiam corrumpere, aut per ocii licentiam sociis iniuriam inferret naues edificare instituit. De admirabili militum disciplina in seuera castigatione excessuum, narrat Valerius ubi supra, ponens multa exempla, sicut de mamulio torquato qui filium eoque ipso ignorante ad dimicandum descenderat mactari iussit, iudicans certius esse patrem forti filio, quam patriam militari disciplina carere. Et alia multa ibi exempla de castigatione militum permittentium capi se cum essent armati, quos noluit senatus redimere, uel fugientium de acie quorum erat castigatio, uel quod nudi uirgis cederentur, uel quod quasi hostes reputarentur et interficerentur, uel quod eis era et donaria denegarentur. Et de similibus narrat Vegecius multum ubi supra ubi narrat: Quod legionibus que Punico bello pugnam id est militiam detractauerant in Siciliam uelut relegatis per septem annos de creuit senatus, dari ordeum, et hoc ideo fecerunt antiqui, quia ut ait idem ubi supra, eneruos animos odisse solet uirtus, et quia humane imbecillitatis efficacissimum duramentum est

necessitas, quia ut ait ibi, compressi seueritate milites uite desperatione implicati multitudinem hostium superauerunt, loquitur enim de illis qui cogebantur tenere locum in aciebus de quibus prius fugerant, ut enim ait // ibidem Gelarcus dux Lacedomorum egregio dicto disciplinam militie continebat in conculcando auribus sui exercitus ac militibus imperatorem potius quam hostem metui debere. Item Vegecius ubi supra, significans scilicet in hoc qui in prelio mortem dubiam timuisset si deseruisset scilicet aciem imminens manere supplicium. Et de hac disciplina bene predicti auctores, ubi supra: De utilitate autem discipline et constantia militum patet ex predictis. Unde Valerius ubi supra: Disciplina militaris acriter retenta, principatum Ytalie Romano imperio peperit multarum urbium, magnorum regum ualidissimarum gentium, regimen largitata est. Et de hoc Policratus libro vi. capitulo i.: Quod Romanos gentium omnium uictores fecerunt esse scientia exercitatio et fides, quam electi reipublice impendebant. Ideo preualuerunt aduersus multitudinem Gallorum, proceritates Germanorum, uires Hispanorum dolos Africorum, prout ait ibidem. Similiter ait Trogius Pompeius libro xi.: Quod Alexander exiguam manum militarem suscepit a patre sed doctam, qua assuefacta militie, orbem terrarum agressus innumeras copias hostium fudit. Et de hoc Policratus libro vi. capitulo xiii. de causis discipline siuepene. Similiter Aggellius libro vii. ubi ait puniendis peccatis tres esse causas existimatum est, una cum adhibetur pena, castigandi atque emendandi gracia, ut is qui delinquit attentior fiat correctiorque. Alia est cum dignitas eius auctoritasque in quem peccator tuenda est, ne pretermissa animaduersio contemptum eius pariat. Tercia propter exemplum ut metu pene ceteri terreantur. Et has tres scripsit Thaurus in primo commentariorum super Gorgiam Platonis. Duas uero posuit Plato, unam animalem propter corrigendum scilicet peccantem. Aliam propter exempli metum.

Capitulum sextum: De iure militum et priuilegio eorum

Et de iure militum, Decretorum distinctio i.: Ius militare est belli inferendi sollempnitas, federis faciendi nexus signo egressio in hostem congressio pugne, priuilegia uero militaria que erant ex iure antiquo latius patent. Nam et liberiores sunt, et pluribus emunita tibus gaudent, intantum quod ab angariis et et sordidis muneribus essent alieni, et quod iura licenter ignorant, et licet in potestate patris sint in castrensi peculio testari possent, et quod ex publica sollicitudinem quod maximum est non permittantur agere, prout dicitur in Policrato libro vi. capitulo viii.: Quod autem militare licitum sit fidelibus, sub principibus legitime institutis, et de eorum disciplina, patet ex doctrina Beati Iohannis ibidem Luce iii. ubi ait ad milites: neminem conculcatis neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis uestris. Similiter Augustinus epistola v.: Quibus propriam stipendium sufficere debere precipit militare utique non prohibuit. // Et de hoc Policratus ubi supra: pretor ueritatis et Domini precursor, mouerat manum militarem promptam ad iniurias, rapinis assuetam, et cui nunquam aut raro sua sufficiunt, quin appetant aliena concupiscere prohibuit, exclusit iniurias rapinas exterminauit exclusa calumnia, auariciam damnauit, dum precepit unumquemque contentum esse stipendiis suis. Quod autem disciplina militaris sub infidelibus in defensione reipublice, salua iusticia et fide, patet de sanctis militibus, qui militarunt sub impiis imperatoribus, sicut de Mauricio sancto et sociis eius. Unde i. Petri v.: Subiecti estote in omni timore Dominis, non tantum bonis et modestis et honestis, sed etiam discolis. Sed quia sepe peccata

concomitantur militantes, nisi sollicita diligentia precaueant, dicitur in uita beati Augustini: Quod inter instituta beati Ambrosii unum erat, quod uolebat militare uolentem, neque ad hoc commendare, ne si milicie commendatus et male agens, eius culpa suffragatori tribueretur. Et ideo ait Tytus, sicut dicit Egesippus libro v.: Quod in exercitu Romano, oportet non solum uirtutem corporis, sed etiam industriam mentis spectare, nec crudelis impius nec insolens miles nec potius prede quam uictorie intentus.

Capitulum septimum: Quod milites debent ecclesiam defendere et de pena militum qui officia sua bene non faciunt

Et quia miles accipit gladium de altari, ut dictum est supra, et gladium offert, et quasi primicias officii sui redimit ab altari, ad honorem ecclesie et ad populi Katholici utilitatem militare debet, et ad mandatum principis si fuerit edictum, ut dicitur in Policrato libro vi. capitulo vii.: Usus milicie ordinate, est tueri ecclesiam, perfidiam impugnare. Sacerdotium uenerari, pauperum propulsare iniuriam pacare prouintiam, pro fratribus ut sacramenti docet conceptio fundere sanguinem. Et si opus est animam ponere, ut de hiis uerificetur, gladii ancipites in manibus eorum. Et hoc non ad rapiendum et predandum quod alienum est, uel ad iniustum belli inferendum, sed ut faciant iudicium conscriptum id est exercent officium suum secundum equitatem iudicii. Unde antiquorum militum mos fuit, spolia hostium consecrare diis suis, quia a publica religione consecrata, uirtus nulla laudatione priuata indiget, prout ait Valerius ponens multa exempla libro iii. capitulo ii. Unde et Iulius Cesar prohibuit spoliari templa, ut dictum est. Ex exercitus biennii mansit inuictus donec ausus est insurgere // in deos Appollinis, Delphicum inuadens templum, ut dicitur in Policrato libro vi. capitulo xvii. Et Pompeius non permisit spoliare templum ait Egesippus libro i. Et ei pepercit Alexander, ut dicitur in hystoriis. Multo ergo magis milites Christiani, debent ecclesiam honorare et defensare. Milites enim non exercentes officium suum modo debito, uel contrarium facientes, puniebantur redigendo eos ad ordinem peditum prout narrat Valerius ubi supra, ponens exemplum de Aurelio, qui filium uirgis cesum, militie munere priuatum, inter pedites fungi coegit, eoque eius culpa, castra essent capta, uel puniebantur postea pena mortis ut dictum est. Unde Vegecius ubi supra: Quod Rictilius consul, ex duabus legionibus qui loco cesserant sorte, ductos in conspectu militum securi percussit. Et ibi de pena talium multiplici. Contraria predictorum omnium, inueniuntur in multis militibus, qui non possent uocari milites gloriosi, qui Crassonem comitem, uita et moribus representant, et inter mulieres narrant de bellis, de quibus uerificatur illud Ennii. Tunc exhausta canunt prelia in arte graui. Illic Cachides, illic tendebat Achilles. Et pingunt fluido pergama tota mero. Qui secundum quod dicitur in Policrato libro vi. capitulo viii. in eo militie sue gloriam constare credunt, si contemptibile sit sacerdotium, si uilescit ecclesie auctoritas, si ita dilatauerunt regnum hominis, ut Christi imperium contrahatur. Si laudes suas predicent, et seipsos falsis preconiiis mulceant et extollant, cum irrisione audientium, imitantes militem gloriosum, horum uirtus in eo anxie elucescit, si clerum inermem Christi militiam, aut telis aut linguis confodiant, latenter deripiant et trucidant. Tales tamen nec artem habent bellandi, nec usum belli, quia interdunt potius lasciuus quam militaribus exercitiis. Ideo non est tutum eos ducere ad bellum, exemplo Gedeonis iudicum vii. Qui cum tricentis uiris, qui non biberunt aquam curuatis genibus, omissis formidolosis et timidis, obtinuit uictoriam.

Capitulum sextum [octauum?]: De multiplici militia

Et quia parum prodest militibus, quod sint exercitati disciplinati, uictoriosi, in militia regia, si fuerint deuicti in militia Christiana. Est enim quadruplex militia, scilicet humana sub principe homine, quos monuit beatus Iohannis baptista, non facere calumniam, Luce iii. ut dictum est. Et hii debent esse electi disciplinati uiribus preediti, et dure nutriti ut habitum est, prout ait Seneca epistola liii.: For- // tior miles ex confragrosa urbana cauerna confragroso uenit, segnis est urbanus et uerna, nullum laborem recusant manus, que ab aratro ad arma transferuntur, effeminat animos amenitas nimia. Et ponit exemplum iumenta quorum ungula in aspero indurata est, uiam quamlibet patiuntur, in molli uero palustrique pascua saginata, citius substernuntur. In primo puluere deficit unctus et nitidus iuuenis sed miles senior loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit. Et ideo ait ibidem: Indurandus est animus, et a blandimentis uoluptatum procul abstrahendus, uina Hanibalem Ybernia soluerunt, et indomitum niuibibus atque Alpibus uirum ernuauerunt fomenta campanie, et qui armis multos uicerat, uiciis est uictus, et de his militibus supra habitum est. Est alia militia Christiana, aduersus principes et potestates, aduersus carnem et sanguinem Ephesios vi. de quo Iob vii. Milicia est uita hominis super terram, ubi Gregorius Moralium viii.: In principio, sufficienter de hac milicia et hostibus. Contra quos est militandum, in qua milicia militans fidelis debet esse Deo industria prouidus, disciplina exercitatus, uirtute preeditus, constantia animosus, plus est enim uincere dyabolum quam pharaonem cum exercitu, ait Bernhardus super Cantica omelia xxxix. Est et alia milicia uotiuua, in qua militat homo contra hostes fidei ad ipsius defensionem quales sunt milites templi, et alii milites cruciferi quos hortatur Bernhardus et monet ut dictum est supra. Sunt alii milites qui es diuino amore, et fidei deuotione deuouent se, et contra hostes fidei se exponunt, unde Bernhardus ibi procedite milites intrepido animo, inimicos crucis Christi propellite. Et sequitur: Quam gloriose reuertuntur uictores de prelio quam beate moriuntur martires in prelio. Et post impaudus proficiscitur miles, qui ut corpus ferri, sic et animum fidei lorica induit, et ibi bene de hoc. Est alia militia uirtuosa siue ecclesiastica, in qua militant prelati et predicatores ecclesie, contra hostes illius, et contra heresim et errorum inuentores, prima Thimotheum primo. Labora sicut bonus miles Christi. Et hi milites informandi sunt omnes modis dictis, et si militantes in prima milicia debent esse preediti uirtutibus, multo magis in aliis miliciis. Et de talibus uirtutibus que eis competunt debet predicator euangelicus conferre cum eisdem.

Distinctio decima [prime partis]

Capitulum primum: De informatione populi laborantis per pedes designantur populares et cetera

Item sicut per manus milites signantur in corpore reipublice, sic per pedes populus inferior conuenienter signatur siue deputati ad humiliora officia et obsequia reipublice secundum instructionem Plutarchi ut dictum est quasi soccos pedibus faciamus, ut non offendantur ad lapidos obicem, ne illum multiplex ingerat casus. Illis enim tanto magis est necessaria prouidentia, quo plura inueniunt offendicula dum in obsequio corporis in

terra gradiuntur, eisque iustius tegumentorum debet esse suffragium, qui totius corporis erigunt et sustinent molem, pedum aminicula robustissimo corpori tolli suis uiribus non procedet sed scilicet ut turpiter inutiliter et moleste manibus reptet, aut brutorum animalium opere mouebitur. Magna ergo utilitas horum pedum, et magna cura sunt protegendi custodiendi et dirigendi, opus enim pedum est corpus sustentare, ait commentator Ethicorum primo. Sic populi inferioris opus est ad modum pedum rempublicam sustentare, supportare necessaria uite scilicet preparando et obsequendo. Et de his pedibus Iob iii.: pedes meos subuertunt, unde Gregorius Moraliu xx.: Quid per pedes ecclesie nisi extrema illius membra signantur que ad opera terrena deseruiunt que tanto celerius ab aduersario falli possunt quanto sublimia minus intelligunt.

Capitulum secundum: Quod laborant fideliter et de numero vii. artium Mechnicarum

Et quia in republica sunt diuersa membra sic et diuersa officia quemadmodum est in corpore naturali, Romanos xii.: Sicut ergo in uno corpore, multa membra habemus prime Corinthios xii. idem: Sicut ergo predicti principes, et alii sunt admonendi ut exerceant officia sua fideliter qualia descripta sunt, sic et isti admonendi sunt, ut exerceant officia sua ad que deputati sunt quod scilicet laborent fideliter et religione siue sinceriter et fructuose siue utiliter cogitantes quod homo ad laborem nascitur, Iob v. Et quod beatus est et bene erit ei labores manuum suarum manducabit, ut ait propheta. Labor autem istorum est in operibus arcium mechanicarum que sunt septem prout ait Hugo in Didascalicon parte vi. quod scilicet mechanica continet septem scientia // lanificium, armaturam, nauigaturam, agriculturam, uenationem, medicinam Theatricam.

Capitulum tertium: Quod laborantes a predictis caueant

In primo ergo homines laborantes sunt admonendi, quod sint a peccatis immaculati, scilicet a fraudibus, furtis, mendaciis, uoluptatibus, et aliis que solent tales concomitari, et ut ordinata intentione laborent, scilicet ut maluit manibus laborare quam ociose uiuere uel mendicare, et ut in laborando Deum orent et inuocent, et ut ecclesie decimas et oblationes soluant, et elemosinas faciant sicut possent, et si hec fecerint sperare possent de misericordia Dei, et uere tales sunt Deo accepti, unde narratur de quodam libro vii. Collationum, collatione ii.: Quod cum ad oracionem et ad preceptum abbatis Iohannis demon exire nollet de demoniaco, adueniente seculari qui ei primicias detulit, discessit a quo quereret abbas ordinem uite respondit se nullius esse consciu, cum manibus quereret uictum, et quod nunquam mane ad rura ibat, uel uespere rediebat, nisi prius in ecclesia largitori gracias ageret, nec de fructibus aliquid usurparet, nisi decimas et primitias daret, nunquam si boues per aliene messis confinium duxisse, nisi eorum ora clausisset, ne damnum inferrent. Similiter addidit se compulsu ante xii. annos parentum imperio, cum uellet profiteri monachatu duxisse sponsam, quam adhuc uirginem nomine sororis custodiebat, quod audiens abbas dixit, non immerito demonem ab eo expulsum hic apparet norma et regula laborantium in orando Deum mane et uespere, et licet non uacet eis, ut ad ecclesiam gressu corporis habeant saltem orent affectu mentis. Item patet forma eorum in soluendo decimas ecclesie, et in cauendo damnum aliis, et ut uiuant in continentia coniugali uel uiduali si nolunt uiuere in uirginali, et talibus Deus auget et lucrum et res temporales eo quod mereantur benedictionem Dei et hominum, sed

benedictio Dei diuites facit Prouerbiorum x. unde narratur in uita Iohannis elementarii ante finem de duobus fratribus calciamenta facientibus, quorum unus habebat magnam familiam uxorem patrem matrem et cetera, quos alebat arte sua propter Deum, et uacabat ecclesie sine intermissione. Alius uero erat illo ditior, nec in ecclesia permanebat, sed dominicis diebus etiam laborabat, nec tamen seipsum nutrire ualebat inuidens autem alteri dixit cum ira, unde tu sic diues factus es ego uero plus arti mee uacans in paupertatem deueni, cui ille inueni pecuniam in terra, et inde factus sum diues, et si uis, ueni mecum et quicquid inuenerimus accipe dimidium qui cum acquiesceret et sequeretur eum euntem ad ecclesiam sine intermissione benedixit eum Deus et diuitem fecit, cui alter dixit nihil inueniebam in terra existimatum gracia precii, sed quoniam Deus dixit, querite primum regnum Dei, et hec omnia adiumentum uobis, ideo dixi te, euidenter ergo instruuntur laborans qualiter debeant laborare. //

Capitulum quartum: De informatione singulorum, ut congruit sue arti

Et non solum generaliter debet predicator euangelicus instruere laborantes, sed specialiter unumquemque laborantem in arte sua, ut sicut laborat artificialiter exterius, ita laborat spiritualiter ad anime salutem et utili artem. Sicut cum uidet laborantes in lanificio que ars prius numerata est, et continet omnia texendi consuendi et retorquendi genera, que fiunt manu, acu, fuso, rota, subula, siue aliis instrumentis, ut ait Hugo ubi supra. Tunc debet predicator tales mouere, ut faciant sibi spirititualem uestem, exemplo scilicet fortis mulieris, que quesituit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum, et stragulatam uestem fecit sibi, Prouerbiorum ultimo. Et ut sic laborans induta ueste nuptiali, ingrediatur regnum, hec uestis est caritas. Prout ait Gregorius super euangelia libro ii. omelia xliii.: Que textitur duobus preceptis, ut ibidem ait: ut dilectio Dei sit ad modum staminis dilectio proximi sit ad modum subteginis. Similiter quando predicator, uidet laborantes in arte armature, que fiunt ut protegatur aug ne percutiamur, debet monere eos, ut habeant arma spiritualia, Ephesios 6. Accipe armaturam Dei, stulti sunt si remanentes nudi contra tela hostis spiritualia, preparent arma materialia aliis. Similiter quando uidet nauigantes, et laborantes in illa arte, debet predicator monere eos, ut faciant sibi nauem penitentiae, que est secunda tabula miserorum post naufragium. Ut Hieronimus ait lxxxix. epistola: Et apprehendant crucem Christi, que est nauis, ait Augustinus super Iohannem omelia ii. Insinuet insuper eis quod mare est mundus, qui tumultibus causarum et undarum se allidit, ut ait Gregorius super euangelia libro ii. omelia iiii.: Quod huius maris pericula, [lacuna] quot in eo sunt reptilia, quorum non est numerus, et quod non est possibile illud transire, sine naue crucis et penitentiae, et sic de aliis. Similiter quando uidet laborantes in agricultura siue in agro, qui sationi deputantur siue confitum, qua arboribus uacant siue pascuorum siue floridorum, ut ait Hugo ubi supra, debet eos monere ut bene colant agrum siue ortum cordis, i. ad Corinthios iii.: Dei agricultura estis. Ne scilicet alicui talium dicatur illud, Prouerbiorum xviii.: per agrum hominis pigri transiui, et per uineam uiri stulti, et ecce totum repleuerant urtice, magna ergo dementia est, cum magno labore colere agrum exteriorum pro fructu temporali, et non colere interiorum pro eterno et cetera. //

Capitulum quintum: De informatione uenatorum

Similiter quando uidet predicator laborans, in uenatione, que diuiditur in fermam aucupium, et piscatoriam. Quarum utraque fit multis modis, ut ait Hugo ubi supra intimare debet eis que uenatio est licita, et que illicita. Nam licet piscatoria etiam clerico uel monacho prout dicitur de consecratione distinctio ultima: Nunquam de manu tua et cetera. Tamen illa que est ferina uel aucupium non omni persone, nec omni tempore licita est, distinctio lxxxvi.: Qui uenatoribus. Et sequitur qui uenatoribus donant, non homini donant, sed arti nequissime. Et post, Esau uenator erat, quoniam peccator erat, et penitus non inuenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem uentorem sed piscatores sanctos inuenimus. Et sequitur: quid prodest ieiunare uisceribus plenis, et luxuriari uenatibus. Et distinguit ibi apparatus, quod est uenatio oppressiua, et hec illicita, et est arenaria cum bestia dentata, et qui hanc exercet peccat mortaliter, et est saltuosa in siluis et saltibus, et licet sit licita tamen ex tempore fit illicita ut xxxiii. questione viii. Si nulla. Item est illicita ex persona, sicut episcopo non est licita, distinctio 23. Quorundam, layco uero licita est pro pellibus et carnibus, non ob uoluptatem, et hoc de ea que est cum clamore et strepitu. Ponere tamen laqueum uel rete, sine strepitu et clamore et canibus, licitum est clericis, ut dicit ibi Apparatus, predicator ergo debet exprimere uenationum uarietates, cursum proteruitates, temporum amissiones inutiles occupationes, fructuum modicitates, que se concomitantur uenatores et uenationes, quando post unam bestiolum, sicut post lepusculum timidum, tot currunt milites, tot cursores, tot cornuum clangores, tot ullulatum uociferationes, et in fine utilitatis paucitates, et laborum utilium obmissiones, et sic de multis aliis, ut patet consideranti. Ille autem uenationes que fiunt ad exterminium noxiarum ferarum, qualies sunt lupi uulpes et consimilium licite sunt et modo debito faciende, et tempore congruo, et aliis uenationibus sunt pereligende quo ad utilitatem unde narrat Pollicratus libro primo capitulo quarto: Quod uates mantuanus fertur interrogasse Marcellum, cum depopulationi auium uehementium operam daret an aueni instrui mallet in capturam auium an muscam exterminationem muscarum informari. Cunque ille questionum ad auunculum augustum retulisset consilio illius elegit, ut fieret musca que a neapoli muscas abigeret, et ciuitatem a peste insanabili liberaret que optio est impleta. Et de modo impletionis narrat Alexander nequam libro De naturis rerum // Quod neapolis cum sanguissugarum infinita peste letali uexaretur, liberata est a Varrone id est Virgilio, proiecta infundo putei yrundine aurea, qua extracta a puteo mundato, euolutis multis annorum curriculis, repleuit ciuitatem infinitus exercitus yrundinum nec sedata est pestis antequam sanguissuga aurea iterato in puteum mitteretur. Qualitercunque uero hec fiant liquet ex predictis uoluptati et delectioni preferendam esse multorum utilitatem. De periculis et uanitatibus uenationem concomitantibus, et quibus personis est licita et quibus temporibus predicator euangelicus debet informare anhelantes ad talia opera, et quia licet sit illicita quibusdam si tamen non posset sine culpa exerceri aliquando, patriarcha Ysaac non misisset filium ad opus illud, antequam disposuisset sibi benedicere. Tamen ex causa ex tempore et persone conditione, et ex modo indebito posset esse illicita ut dictum est. Unde narratur de Edagoro rege Anglie: Quod cum die dominica iuisset ad uenandum, et beatus Dimistarius indutus sacris, eum ad altare diu exspectasset, audiuit ab angelis introitum misse, Kyrieleison, postea ite missa est. Et cum diceretur sibi a rege adueniente quod celebraret noluit amplius celebrare. Et exinde prohibuit regem, ne die dominica uenatum iret, uiris ergo ecclesiasticis quorum est archana celestia scrutar, scripturarum deliciis delectari, et a mundi uanitatibus sequestrari, minime decet talibus implicari.

Capitulum sextum: De admonitione medicorum

Similiter quando predicator euangelicus uidet laborantes in medicina, et medicine opera inquirentes, debet informare medicos ipsos, ut ipsi precaueant morbos animarum et lepras que sunt peccata secundum illud Luce viii.: Medice cura teipsum. Item debet informare eos, ne attemptent alios curare antequam sint instructi in scientia ut enim commentator ait Ethicorum ix. Oportet quod medicus sit instructus disciplina et experientia, et quod adhibeat diligentiam in medicando, et quod insinuat causas morborum. Quia ut ait Seneca epistola x. capitulo ix.: Multos morbos multa fercula fecerunt, et ibidem innumeros esse morbos non miraberis cocos mirare. Sed antiquitus non fuit ita, quia medicina fuit paucarum herbarum scientia, et illos cibos accipiebant qui non nisi esurientibus placere poterant. Ideo nihil erat opus tam magna medicorum suppellectili, nec tot ferramentis et pixidibus. Medicus debet inducere // homines ad abdicationem uoracitatum gula, quia mos medici est ut contraria contrariis curet Moralium xxviii. Item informandus est medicus, ut pro diuersitate etatum et temporum, complexionum et regionum adhibeat medicinam prout exemplificat Augustinus epistola v. De quodam medico qui adhibuit quod congruebat dolori cuiusdam, et sanitas subsecuta est. At ille post aliquis annos grauatus dolore idem medicamentum apposuit propter quod fuit ei peius, et cum a medico quereret quare hoc fuerit, respondit medicus: Quod illi etati non fuisset iussurus apponi illud medicamentum, et subdit Augustinus regulam bonam: Tantum ualet ratio, ut artibus non mutatis quod secundum eas fit est pro temporis uarietate mutandum, est etiam admonendus medicus ut non acquirat lucrum iniuste, nec desiderat infirmitates uel mortem hominum, ut enim ait Seneca vi. De beneficiis capitulo xxv. Domades habet alibi, Demonsthenes Athenis eum qui necessaria funeribus uendicabat damnauit cum probasset magnum lucrum optasse quod contingere illi sine multorum morte non posset. Sic de medicis potest dici, si desiderent lucrum, uel morbos hominum siue mortes, ut enim ait ibidem, grauissima infamia est medici opes querere. Consimiliter debet predicator informare egrotos in corporibus, ut sicut querunt medicamenta corporalia, et sicut sustinent multa pro sanitate habenda, et a perito medico querunt consilium. Sic debeant etiam et multo magis querere medicinam et medicamentum animarum a Deo qui est summus medicus, Christus enim et uerbum eius est medicamentum corporum et animarum ut Augustinus libro iii. sermonum xxxi. unde ipse ait Mathei primo: non est opus ualentibus medico, sed male habentibus.

Capitulum septimum: De ammonitione lutorum

Consimiliter quando predicator uidet laborantes in theatrica que vii. loco numerata est ab Hugone, que quidem est scientia ludorum dicta a teatro, ubi populus conueniebat ad ludendum, ut ait ibidem debet monere eos ad precauendum ludos indebitos et lasciuos. Est enim ludus peruerse illusionis de quo Genesis xvi.: Quod Sara uidit Ysmahalem ludentem cum Ysaac in quo ludo uidit illusionem que significabat deceptionem ut ait Augustinus super Iohannem omelia xi. et est ludus lasciuie uanitatis, et uoluptatis, Exodi xxxi.: sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere, et tales ludi sunt cauendi, unde Crisostomus, super Mattheum omelia vi.: Quod Deus non dat ludere, sed dyabolus. Si luserimus inquit ante certamen a propria cademus pigricia, et est ludus socialis

honestatis scilicet ad recreationem et leuamen corporis, et sic leguntur philosophi lusisse prout ait Seneca libro De tranquillitate in fine: Quod Socrates cum pueris ludere non erubescerat, et Cato laxabat animum curis publicis fatigatum. Et sequitur: quod animi alacriores meliores quod quieti surgunt. Et ponit exemplum de agris fertilibus quod cito // illos exhauriret nunquam intermissa fecunditas, ita animorum impetus, assiduus labor frangeret, nisi uires recipient paulatim resoluti et emissi uel remissi. Similiter ponit exemplum quod somnus refectio est necessarius, si tamen continuus mors est. Similiter de ludo honesto, et ideo inquit, legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem publice homines congregentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum. Et sequitur ibidem, indulgendum est animo dandumque sibi otium, quod alimenti ac uirium loco fit. Et ibidem Valerius libro x. capitulo ix. de societate. Unde et Hugo ubi supra: Ludos idcirco inter latinas acciones connumerabat, quia temperato motu color naturalis nutritur in corpore, et leticia mentis reparatur, uiri tamen ecclesiastici sobrie et temperate debent uti ludo aliquo, prout ait Ambrosius libro i. De officiis: Quod licet interdum honesta sint ioca ac suauius, tamen ab ecclesiastica abhorrentur regula, non solum prophanos sed etiam omnes iocos declinandos arbitror, nisi forte plerum grauitatis et gratie sermonem esse non indecorem. Unde de beato Iohanne apostolo narrat Cassiodorus libro vii. Collationum: Quod cum molliter perdicem demulceret, uidit eum quidam iuuenis, et miratus est tantum uirum sic facere, cui sanctus Iohannes ait, quid gestas in manu. At ille arcum, qui ait: cur non super circumfers tentum, at ille ne iugi curuatione fortitudo molestetur et depereat sic ait sanctus non te offendat hec parua laxatio, quia nisi remissio ne quadam rigorem quis relaxet, non potest obfecundare siue iugiter fecundare, uiri uero celici quales sunt ecclesiastici religiosi, ludos primo modo dictos caueant, et si aliquo ludo utantur debita sit causa, debitus modus, tempus debitum, et religiose persone, quia ait Seneca epistola xviii.: Quid mihi lusoria ista componis, non est iocunda laus, ad miseros uocatus es, opem te laturum naufragatis, capitis egris, egentibus Pollicratus es, quid ergo agis hic, cum quo ludis tui est succurrere omnes undique manus ad te tendunt perditae uite periture quod aliquod auxilium implorant, et ibi bene de hoc. Vir enim ecclesiasticus et doctor euangelicus qui sunt uocati ad dandum consilium talibus et auxilium, non debent intendere ludis uanis in quibus demones delectantur, unde in somnis dictum fuit illi Romano ut ludi instaurarentur, sicut recitat Augustinus viii. De ciuitate dei capitulo xxvi. De ludo uero aleae, et eius periculo in summa de casibus libro ii. ubi dicitur: Quod illi qui ludunt ad aleam uel taxillos, uel qui ludo intersunt, uel sunt participes uel inspectores peccant, et ibi de peccatis concomitantibus talem ludum, qualia sunt desiderium lucrandi, uoluntas spoliandi, usura, mendacia, ociosa uerba blasphemia ut enim dicitur in Pollicrato libro i. mendacium et periuriorum mater est alea unde et Chylon Lacedemonius iungende societatis causa missus Chorintum duces et seniores populi ludentes inuenit in alea infecto quod ita negotio reuersus est, dicens se nolle gloriam spartorum quorum constrictum bisancio fama clarescebat hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem. Consimiliter Demetrio regi in obprobrium puerilis leuitatis uel uanitatis, tali aurei a rege spartorum dati sunt, eo siquidem munere exonoranda uisa est adolescentia senilis quia in maiestate regia leuia committere minime uerebatur. Econtrario est de magnatibus multis hodie, gloriantur enim si uenaticam nouerint uanitatem, si in alea sunt instructi, si in uanis ludis experti cum tamen dicat Seneca in Prouerbiis: Aleator quanto in arte doctior tanto nequior. Magna est ergo

uesania arte tali insudare, et non solum nobiles intendentes talibus sibi nocent, sed etiam multis aliis quibus dant audaciam, et exemplum talibus uacandi, et etiam liberos suos et heredes exemplo suo ad talia prouocant secundum illud. Si damnosa senem iuuat alea, ludit et heres bullatus, paruoque eadem mouet arma fertillo, quia ut ait Sartiricus citius nos corrumpunt domesticorum exempla, domestica magnis tamen subeunt animos auctoribus. Et ideo preclare fertur dixisse Themistodes magistratus a ludis et a quibuscunque leuioribus esse arcendos, ne respublica ludere uideatur defectumque sui relicta grauitate pronunciet.

Capitulum octauum: De ammonitione habentis curam reipublice

Laborantes in predictis artibus mechanicis, et operibus adiilas pertinentibus, siue in quibuscunque aliis pertinentibus ad rempublicam sunt quasi pedes ipsius, et obsequuntur ei, et eam sustentant, de quibus pedibus custodiendis monendis dirigendis statuendis, debent habere curam magistratus, unde Pollicratus, eadem dicit in omnibus exequenda, que humilioribus id est multitudini competunt siue prosunt. Nam paucitas semper pluribus ledit, et ea causa sunt institui magistratus, ut a subditis iniurie propulsentur, ipsaque respublica quasi illorum opificio calcietur. Est enim quasi discalciata quando iniuriis exponitur quo nihil potest ignominiosius esse gerentibus magistratus. Afflictus nanque populus, quasi principis podagram arguit et conuincit //

Distinctio octaua prime partis

// Et sicut ait Apostolus prima ad Corintheos xii., Omnia membra sunt unum corpus que tamen membra habent diuersa officia et quodlibet indiget officio alterius et tunc est quodlibet membrum perfectum cum potest perficere suum opus proprium. Unumquodque enim est perfectum cum attingit proprie uirtuti, vii. physicorum et iiii. methaphisice. Hoc est singulum horum quod potest facere suum opus, et equiuoce est illud quod non potest suum opus facere, ut serra lignea equiuoce est serra, sic est in corpore reipublice quod sunt diuersa membra proportionabiliter, ut dictum est habentia diuersa officia, quorum quodlibet indiget officio alterius. Et tunc ipsa est in statu debito quando neutrum usurpat officium alterius et quodlibet exercet suum ueraciter. Nec debet quis mirari. De coaptatione membrorum reipublice membris naturalibus cum Dominus ostenderit Nabuchor statuam cuius caput ex auro optimo, pectus et brachia ex argento et cetera. Ad significandum uarium statum regnorum diuersorum secundum sanctos, ibidem. Consimili ratione in uno regno diuerse persone in republica, possunt adaptari diuersis membris in corpore naturali. Unde et in tractatu qui dicitur liber philosophie dicitur quod in ciuitate ymaginaria Socratis caput est ad modum arcis ipsius palladis, brachia tanquam prudentes et fortes uiri, iuxta arcem ad ipsam tuendam locata, uenter et genitalia opifices ciuitatis et mulieres. Toxe uero et crura negociatores huc illucque discurrentes, pedes uero sunt agricolae. Unde et negociatores possunt significari per pedes quia calcant terras et sub nauigatione continentur ars mercandi, secundum Hugonem ubi supra, uel possunt significari per crura. Unde sustentant rempublicam suis mercaturis. Mercature enim multum iuuant rempublicam, ait Hugo ubi supra. Huius studium gerendum gentes conciliat, bella sedat, pacem firmat, et priuata bona ad communem omnium usum

immutat. Et de deorum informatione infra parte secunda. Et in hoc finis partis prime huius collectionis.

Incipit pars secunda

Distinctio prima de colligatione membrorum adinuicem. De colligatione ordinali uel legali, que est dominorum ad seruos et econtra //

Habita descriptione reipublice in comunni et enumeratis uirtutibus que sunt necessarie membris eius siue personis ex quibus respublica constituitur, quia talium personam est multiplex colligatio siue coherentia dirigente summo magistro uidendum est de predicta colligatione siue coherentia, et qualiter ammonendi sunt omnes in re publica, ut teneant ordinem sue coherentie. Et primo de coherentia siue colligatione legali siue ordinali, scilicet post peccatum que est dominorum ad seruos et econuerso. Secundo de colligatione naturali, que est parentum ad filios, et econuerso et fratrum adinuicem seu cognatorum. Tercio de colligatione gratiali siue sacra mentali, que est coniugatorum adinuicem. Quarto de colligatione siue coherentia spirituali, que est Christianorum adinuicem in corpore Christi. Quinto de colligatione ciuili, que est uicinarum adinuicem siue cohabitantium simul in uilla uel ciuitate. Sexto de colligatione amicabile, que est amicaorum adinuicem. Septimo de colligatione sociali. Octauo de comparatione siue de qualitate conuersationis, quam debet homo habere cum aduerariis. Et differunt ille quatuor colligationes. Illa enim que est Christianorum, attenditur quantum ad gratuita, siue quantum ad caritatem. Illa que est ciuilis, quantum ad cohabitationem. Illa que est amicabile, quantum ad ea que sunt amicie et potest esse inter absentes. Illa que est socialis, attenditur quantum ad conuictum uel conuersationem, que fit inter presentes. Existentes enim in republica hiis modis ornate debent se habere, et ammonendi sunt a predicatore ut sic se habeat.

Capitulum primum: De origine seruitutis quod causa seruitutis est peccatum

De prima colligatione quantum ad unam partem, scilicet qualiter se debent habere principes ad seruos, dictum est supra: Tamen intelligere debent quod ratio dominandi orta est ex peccato, ut ait Augustinus xix. De ciuitate dei capitulo xx. Ubi multi de hoc, unde ait condicio seruitutis iure intelligitur imposita peccatori, et prima causa seruitutis peccatum est, proinde nunquam in scripturis legimus seruum antequam hoc uocabulo Noe iustus, peccatum filii uindicaret, Genesis x. Nomen itaque illud, culpa meruit non natura. Non debent ergo principes uel domini nimis eleuari de dominatu, cum non ex naturali conditione // sint domini, sed demerito peccati, unde ibi Augustinus qui imperant seruiunt eis quibus uidentur imperare. Neque dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia sed prouidendi misericordia, hec naturalis ordo prescribit. Ita Deus hominem condidit dominamini inquit piscibus maris et cetera, Genesis primo. Quia scilicet hominem rationalem factum ad ymaginem suam uoluit nisi irrationalibus dominari, non homines homini, sed peccari hominem, unde primi iusti pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt Genesis xlvii, ut sic insinuaret Deus, quid postulat ordo creaturarum, quid exigit demeritum peccatorum, hec Augustinus, post tamen peccatum legitime principantibus secundum legem diuinam et

humanam debent homines obedire, Ephesios vi.: Setui obedite dominis carnalibus, cum timore et tremore in simplicitate cordis sicut Christo. Et Gregorius in Registro xvii. capitulo: Liqueat quod omnes homines natura equales genuit, sed uarietate meritorum ordine alios aliis culpa postponit, ipsa quidem diuersitas que accessit ex uicio diuino iudicio dispensatur, ut quia omnis homo eque stare non ualet, alter regatur ab altero, Dominus ergo siue princeps debet iugiter meditari equalitatem conditionis cum seruis et pondus sue seruitutis ex alia parte, et non imperare ex cupiditate, nec principari ex superbia, sed ex officio consulendi, et misericordia prouidendi, ut dictum est ab Augustino sic cogitabat Iob qui ait 31.: Nunquid non in utero fecit me qui et illum scilicet seruum, unde Gregorius Moralium xxi. ante medium, potentibus uiris magna est uirtus humilitatis, considerata equalitas conditionis, et postmodum humilime considerationis depremendus est timor elationis, Genesis ix.: Terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terre ubi Gregorius homo animalibus irrationabilibus non ceteris hominibus natura prelatus est. Idcirco dicitur ei ut ab animalibus non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est ab equali uelle timeri. Et de hoc Seneca epistola xlvi.: Loquens ad imperatorem, cum seruis familiariter uiuere decet prudentiam tuam, serui sunt imo homines serui imo sunt contuberniales, serui imo sunt humiles amici, serui imo sunt conserui, si cogitareris tantumdem in utroque licere fortune, itaque rideo in istos, qui turpe existimant cum seruo suo cenare. Quare: quia nisi superbissima consuetudo cenanti domino stantium seruorum turbam circumdedit et sequitur: ac infelicibus seruis mouere labia ne ut licet loquantur. Et post eiusdem arrogantie prouerbum pronunciant iacturam totidem esse hostes quot seruos non hemmus illos hostes sed facimus scilicet per crudelitatem unde sequitur interim crudelia et inhumana pretereo quod ne tanquam hominibus quidem sed tanquam iumentis abutimur quod cum ad cenandum discumbimus // alius sputum detergit, alius reliquias temulentorum colligit, alius preciosas aues scindit per pectus et clunes. Infelix qui huic uoluptatis causa docet quam qui necessitate discit. Et post ibi concludit, uis tu cogitare istum quem seruum tuum uocas, ex eisdem seminibus ortum, eodem celo uel cibo frui, eque spirare eque mori. Noli ergo de usu seruorum disputare, in quo superbissimi auarissimi et crudelissimi sumus, hec tamen precepti mei summa est, sic cum infimo uiuas quemadmodum superiorem uelis tecum uiuere, preterea Dominus cogitare debet, quod aliquo tempore forte erit seruus. Unde ibi Seneca: Nescis qua etate, hecuba seruire cepit, qua Cresus, qua Daryus, qua Plato, qua Dyogenes, uiue cum seruo clementer uiue communiter, et in sermone illum admitte, et in consilium et in conuictum. Item cogitare debet Dominus, quod qui est seruus conditione liber est uirtuali libertate scilicet mentis, quia absque peccato. Unde Seneca ubi supra: Seruus est sed fortassis liber animo, seruus est, hoc enim illi non nocebit. Unde quis non sit, alius libidini seruit alius auaricie, alius ambitioni, alius timori, nulla seruitus turpior quam uoluntaria. Cum ergo sit possibile, quod Dominus aliquando sit seruus predictarum passionum, et forte seruus sit Dominus econuerso ipsa cum passionum, non superbe debet efferri super seruum. Ideo concludit Seneca: Colant te serui tui potius quam timeant. Sed ad Rabiem cogunt nos deliciae, ut quicquid non ex uoluntate repondet: iram euocet, regum nobis induimus animos. Et de hoc similiter Seneca libro i. De clementia capitulo x.: Seruis imperare moderate laus est, et in mancipio cogitandum est. Non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi clementia permittit, que parcere etiam captiuis et precio comparatis iubet, quanto iustius iubet hominibus liberis ingenuis honestis non ut mancipiis abuti. Et sequitur: cum in seruum omnia liceant, est aliquid quod in hominem

licere commune ius animantium uetet. Et ponit exemplum de crudelitate Pollionis qui seruum eo quod eum offenderat murenis in uinario proiecit, et illos humano sanguine saginabat homo mille mortibus dignus. Non tamen permittendi sunt serui uiuere sine disciplina, et in lasciuia ymo castigandi sunt et disciplinandi debito modo. Querulum enim genus seruorum est, ait Hieronimus epistola xiii. Ideo sunt disciplinandi, panis enim et disciplina est opus seruo. Ecclesiasticus xxxiii., hec tamen disciplina debet esse moderata, regulata iusticia et ratione. Virga // enim omne murmur compescitur id est moderata disciplina, ait Seneca epistola dicta. Nam equalitatem cum seruo cogitabat beatus Martinus quando uiceuersa armigero seruebat, unde et exemplum caritatis erga inferiores ostendit dominus et magister cum lauit pedes discipulorum, Iohannis xiii. Quando erat in medio, sicut qui ministrat, Luce xii. Non tamen denegandum, quin serui et subditi omnes cum omni affectu humilitate et reuerentia debeant seruire dominis suis, reddentes Cesari que Cesaris sunt, et Deo que Dei sunt, Mathei xvii. et prima Petri secundo. Serui subditi estote in omni timore dominis. Sed ammonendus est dominus uel princeps, ut non tumescat corde ex dominio, nec contemnat seruum iniuste ex suo imperio. Qualiter autem debet esse sicut pater patrie et pius clementia, et iustus disciplina dictum est supra.

Capitulum secundum: De informatione seruorum

Quantum ad aliam partem, scilicet qualiter serui debent se habere ad dominos. Notandum quod ammonendi sunt, quod intelligant peccatum fuisse causam seruitutis et ut dictum est, ut eo ipso habeant peccatum odio, quod induxit seruilem captiuitatem ut precaueant peccatum, ne incidant in turpem seruitutem. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati, Iohannis viii. et ut sint liberi mente, ne tunc nimis doleat de exteriori seruitute secundum quod ammonet apostolus i. Corinthios vii.: Seruus uocatus es, non sit tibi cura. Et sequitur: qui in domino uocatus est seruus liber est domini, de origine autem huius uocabuli seruus, Augustinus De ciuitate dei ubi supra. Origo inquit uocabuli seruorum in Latina lingua inde creditur ducta uel dicta quod hi qui iure belli possent occidi a uictoribus seruabantur, et serui fiebant a seruando appellati.

Capitulum tercium: De fidelitate quantum serui debent habere ad dominos

Sunt autem serui et subditi omnes, siue sint milites siue serui admonendi de perfecta obedientia domino uel principi, et stabili fidelitate, et hoc ex puro corde. Debent enim diligere dominum suum perfecto affectu, et eum magnificare et preconizare salua ueritate affatu ei obedire prompto effectum, et uitam et honorem eius custodire sollicito nisu. Exemplo populi qui noluit quod Dauid iret ad bellum ii. Regum xii. Sic enim faciebant anituque reges suos magnificabant et eis in omnibus obediebant, sicut dicit Virgilius libro i. recitans dictum militis Enee. Qui ait: rex erat Eneas nobis, quo iustior alter, nec pietate fuit nec bello maior // et armis que omnia euidenter patent in fidelitate quam debet principibus. Nota quod quicumque domino suo fidelitatem iurat obligat se ad infra scripta, secundum quod notauit hostiensis in summa sua ti, de feudis. Quid sit fidelitas que in hiis uersibus continentur. Incolumen facile tutumque possibilis honestum. Utile consilium fidus dabis auxiliumque. Que sic exponuntur. Incolumen intendit dicere, ne sit in damnum domino suo, sed omne uenenum, omnem infirmitatem, et mortem et captionem,

et omnem corporis lesionem, proposse suo uitabit. Facile ne scilicet illud quod dominus facere intendit, et de facili facere potest, reddat ei difficile sicut multi faciunt, latenter impedimenta procurando. Tutum quoque, scilicet ne sit domino in damnum de secreto suo reuelande alicui qui posset obesse, uel de munitionibus suis, per quas potest esse tutus ipsas perdendo alteri tradat, sed proposse suo subueniat et defendat. Possibilis id est possibile ne scilicet illud quod dominus facere intendit, et ei est possibile reddat ei impossibile, sicut dictum est supra, honestum ne sit ei in damnum de rebus que ad honestatem pertinent, sicut ne uxorem uel filiam uel sibi affines aut sibi commissos dehonestet. Nec carmen famosum, uel aliud uerbum uel factum, per quod fama domini sugillari aut diminui posset, componat dicat uel faciat, nec audiendo uel dissimulando consentiat, uel ad similia ipsum inducat. Utile ne sit ei in damnum suis possessionibus uel de suis rebus, quin ymo ne in aliquo ipsius utilitatem impediatur sed ipsam fieri bona fide procuret. Consilium non dabit scilicet contra ipsum sed bona fide consulat ei quicquid poterit et sciet ad utilitatem et non contrarium suadebit. Fidus dabis id est tu qui es fidelis uasallus domino tuo, scilicet auxilium de persona scilicet et de rebus. Debet enim corde et opere, uasallus domino subuenire, a malo abstinendo et bonum faciendo. Forma uero iuramenti que hodie ab omnibus seruatur talis est. Ego talis iuro super sancta Dei euangelia, quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem uite mee, ero fidelis tibi tali domino meo contra omnem hominem, excepto imperatore uel rege. Quod uerbum nulla indiget adiectione, sed integram perfectamque continet in se fidelitatem. Sed propter simplices qui non intelligunt, hec adiciuntur et similia iuro inquam, quod nunquam scienter ero in consilio uel in facto quod tu omittas uitam uel membrum aliquod, uel quod tu recipias in personam tuam lesionem aliquam, iniuriam uel contumeliam, uel quod tu amittas aliquem hominem quem nunc habes uel in antea possidebis uel debeas possidere, et si sciueris uel audieris per // aliquem, quod aliquis uelit aliquod istorum contra te facere, pro posse meo ne terminat impedimentum prestabo, et si impedimentum prestare nequiuero, quam cito potero tibi nunciabo, et contra eum prout potero meum auxilium prestabo. Et si contigerit te rem aliquam quam habes uel habebis, iniuste uel casu fortuito amittere, eam recuperare et recuperatam omni tempore retinere iuuabo. Et si sciueris te uelle aliquid iuste defendere, et deinde specialiter uel generaliter fuero requisitus, meum tibi sicut potero prestabo auxilium. Et si aliquid mihi in secreto manifestaueris, illud sine tui licentia, nemini pandam nec quod pandatur faciam. Et si consilium meum super aliquo facto postulaueris, tibi dabo consilium, quod magis mihi uidebitur expedire. Nunquam in persona mea quicquam faciam uel dicam scienter quod pertineat ad tuam iniuriam uel contumeliam. Et nota quod in omnibus predictis in quibus tenetur uasallus domino, tenetur fidei seruo dominus, ut ibidem bene probatur. Prelati uero hoc sacramentum fidelitas prestant quando consecrantur, sicut habetur extra de iure, iure de forma iurandi prelatorum domino pape. Ego talis episcopus, ab hac hora et in antea fidelis ero sancto Petro, sancteque Romane ecclesie, et domino meo pape eius quod successoribus canonice intransibus, non ero in consilio neque facto ut uitam perdat uel perdant aut membrum, aut capiatur uel capiantur mala captione. Consilium quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad eius damnum nulli pandam, pontificum ecclesie Romane, et sanctorum patrum regule, adiutor ero, ad defendendum et retinendum, saluo ordine meo, contra omnes homines uocatus ad synodum ueniam, nisi fuerim impeditus canonica prepeditione uel impeditio, legatum apostolice sedis quem certum esse cognouero ineundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus iuuabo, apostolorum

limina aut per me, aut per nuncium singulis annis uisitabo, nisi eorum absoluet licentia, sic me Deus adiuuet et sancta Dei euangelia. Cum igitur tam clerici quam layci, maioribus suis ad fidelitatem teneantur, licet differenter et secundum minus et maius. Ideo admonendi sunt specialiter de seruanda fidelitate, fidelem enim seruorum et prudentem commendat Dominus et remunerat Mathei uicesimoquinto. Et hoc exemplo antiquorum, sicut militum Cesaris, qui erant deuotissimi, nec ab eo quasi possibiles separari sicut narratur de uita Cesarum. Et sicut narrat Valerius libro tercio capitulo octauo: // De quodam suorum militum, qui cum esset captus et ad Anthonium productus, respondit eidem iugulari in iubebe, quia nec salutis beneficio nec mortis supplicio abduci possum, ut Cesaris miles esse desinam et tuus esse incipiam. Ceterum quo constantius uitam contempsit, eo facilius impetrauit. Anthonius enim uirtuti eius in colomitatem prestitit. Similiter narrat de alio, qui noluit promissione uite separari ab illo. Cum enim a Scipione salus ei daretur, si se futurum Pompei militem affirmasset respondit: tibi quidem gratias ago, sed mihi uti ea conditione uite non est opus, sine tuis enim ullis ymaginibus nobilis est animus. Et hoc est exemplum euidentis quod miles non debet separari a domino, nec uite promissione nec mortis timore, secundum illud apostoli Romanorum viii.: Quis nos separabit a caritate Christi. Item exemplum quod quanto quis est fidelior suo domino legitimo iuste, tantomagis debet commendari ab aduersario. Et de hac fidelitate seruorum ad dominos, Valerius libro viii. capitulo vi. ubi dicitur de fideitate cuiusdam serui Papinionis: quod cum essent aliqui missi ut dominum suum occiderent, seruus commutata ueste cum eo et permutato annulo illum clam emisit, seque in cubiculum ac lectulum recepit et se ut Papinionem occidi passus est, breuis huius facti narratio, sed non parua materia laudationis. Similiter narrat de seruo Ancii qui Ancius cum esset proscriptus, et uideret homines domesticos circa rapinam occupatos, dissimulata fuga penetibus suis nocte perduxit. Illiusque seruus qui fuerat ab eo uinculorum pena coercitus, et inexpiabili nota literarum per summam urbis contumeliam inustus, cum ista uideret scilicet alios lucro intentos, et ipse nil aliud erat quam umbra et ymago suppliciorum maximum emolumentum, iudicauit salutem ipsius a quo hec patiebatur, et ammoto domino suo regnum exstruxit, et quendam senem a se occisum superiecit. Et uenientibus militibus et interrogantibus ubi Ancius esse manum ergo intertans, respondit ibi illum uridatis sibi crudelitatis piaculis et quia uersimilia loquebatur adhibita est neci eius fides. Quo euenit ut Ancius assequeretur statum acquirende incolomitatatis. Magna igitur huius serui ad dominum fidelitatis et caritatis magnitudo. Et ibidem de aliis seruis fidelibus. Et de hac fidelitate seruorum ad dominos. Seneca libro iii. De beneficiis capitulo xiiii. ubi narrat de seruo: qui adaptabat sibi uestem et annulum domini sui, et se obtulit ac prebuit occidendum pro domino qui forte fuit ille, de quo supra Valerius. Ibidem narrat Seneca de seruo qui primum occidit dominum suum, ne occideretur per manus hostium et deinde seipsum transiecit uno ictu, dicens. Tempus est inquit me consulere mihi, iam enim dominum meum manu occidi, ibidem narrat de duobus seruis, qui capta quadam urbe fugierunt ad hostes et hoste et eius exercitu intrantibus urbem. Illi serui precurrerunt ad domum domine sue, et eam adduxerunt, ac querentibus que nam esset, professi sunt crudelissimam ab eis duci scilicet ut torqueretur, que sic euasit, et ambos postea manu misit. Similiter narrat de quodam incluso a Cesare qui petiit a seruo, ut traderet sibi uenenum, et cum ille non posset euadere quin sibi traderet quod petebat medicamentum in noxium dedit ei. Et accessit ad filium, dicens: iube me conseruare donec intelligas an uenenum dedi patri tuo. Ille consopitus euixit, et a Cesare seruatus est, prior tamen seruus

illum seruauerat, unde ex his Seneca respondit ad questionem, qua querebatur an seruus possit prestare beneficium domino suo, scilicet quod sic, ut patet ex predictis. Similiter de fidelitate seruorum erga dominos suos narrat Trogius Pompeius libro iiiii.: Quod Anaxilaus reliquit paruulos suos memorie et tutelam commisit spectare fideli seruo tantus quod fuit amor memorie eius, ut parere seruo quam filios regis deserere mallet. Similiter libro i. narrat: Quod rex Argeus moriens reliquit filium paruulum, et pulsi Macedones ab Illiriis rege suo puero scilicet in cuius posita ante aciem acriter certamen repetierunt, tanquam ideo prius uicti et bellantibus regis sui auxilia defuissent, et similis miseratio infantis tenebat eos et aliis uictis ostendebant regem defuisse Macedonibus non uirtutem, patet ergo ex his mira fidelitas subditorum.

Capitulum quartum: De nequicia et punitione seruorum infidelium

De nequicia uero seruorum, qui dominos suos occiderunt, et lares dominorum ac conuiges inuaserunt, narrat Trogius Pompeius libro xviii., ubi narrat quod unus de seruis illis qui hec fecerant, misertus est domini sui, cum ut alii serui uellent ex se illum regem esse, qui primo solem orientem uidisset. Ille seruus ad dominum suum straconem nomine detulit, et eum informauit, ut cum in campum processisset ceteris in orientem spectantibus, solus ille in occidentem intueretur, et cum dies aduentare cepit fulgore solis summo fastigio ciuitatis ostendit, ubi euidentissimis culminibus urbis oriens splendebat, et quia non seruilis ingenii ratio uisa est, requirentibus actorem de domino confitetur, et tunc intellectum est, quanta dominorum ingenia seruilibus prestarent. Data ergo uenia seni filio quod eius, regem straconem creauerunt, post quem ad filium eius regnum translatum est et ad nepotes. Et quia celebre fuit facinus seruorum toto orbi, ideo Alexander magnus ultor publice seueritatis, omnes qui in prelio superauerunt scilicet quando eos expugnauit, ob memoriam ueteris cedis, crucibus affixit expugnata eorum urbe, genus tantum straconis inuiolatum seruauit regnumque stirpi eius restituit. Detestanda enim fuit temeritas predictorum seruorum, et ideo magna equitate plectenda, et si fide Hiesu Christi priuati erant, fideles dominis suis his modis multo magis fide illius prediti et etiam alligati, debent esse fideles dominis suis, et eos honorare, unde legitur In uitis patrum libro ii. capitulo de humilitate: Quod abbas Olimpius qui seruus fuerat descendebat per singulos annos a Sithi in Alexandriam portans mercedem dominis suis, et mittebat aquam in peluini, et offerebat se lauare pedes eorum. Et cum illi dicerent, noli pater hoc facere et non graues nos respondebat: ego confiteor quod ego seruus uester sum, et gratias ago quia dimisistis me libere seruire Deo. Accipite mercedes uestras, quibus non acquiescentibus, dicebat, credite mihi si non uultis recipere mercedes uestras, remaneo hic, et seruiam uobis, seruauit enim quod ait saluauator. Reddite que sunt Cesaris Cesari, que Dei Deo, Mathei xvii. exemplo igitur istorum seruorum sunt ammonendi subditi et serui, ad omnimodam fidelitatem seruandam dominis suis, et ad tuendam eorum salutem et de hoc Virgilius loquens de apibus, hortatur subditos, unde ait preterea regem ne sit Egiptus et ingens Lidia, nec populi Parthorum aut Medus Hidaspes. Obseruant regem incolumen quem colit mens omnibus una. Et ammisso rumpere fidem, constructa quod mella diripere, ipse etiam crates soluere fauorum, ille apum custos, illum admirantur, et omnes circumdant, strepitu denso, stipant quod frequentes. Et sicut illi serui et subditi sunt laudandi, qui predictis modis fideles sunt dominis suis, sic econuerso illis sunt uitperandi et de testandi qui sunt eis infideles, nec acquirunt uel

curant honorem dominorum suorum, uel utilitatem, uel non tuerentur suam salutem, cum omnia membra se exponant ad tuendam salutem capitis. Ex quo fuerunt tales serui, pagani et barbari. Narrat enim Valerius libro iii.: Quod seruus barbarus hastrubalem eo quod dominum suum occidisset subito aggressus interemit. Cumque comprehensus cruciaretur, leticiam tamen quam ex uindicta ceperat in ore constantissime tenuit. Et merito magis illi sunt uituperandi, qui incurrunt crimen lese maiestatis, et maxime detestandi, cum princeps in terris sit ymago domine maiestatis in celis // et sic crimen proximum sacrilego, quia sicut ille Deum inhonorat, sic iste maiestatis Dei ymaginem, et ideo secundum legem diuinam grauiter mulctantur, Exodi xxii.: Diis non detrahes, et principi populi non maledices. Ecclesiastici x.: In cogitatione tua regi non detrahes. Ex hiis omnibus concludendum est, quod si tales fuerunt serui pagan multo magis serui Dei debent esse fideles, ad quam fidelitatem debet predicator diuinus omnes exhortari.

Distinctio secunda [secunde partis]

Capitulum primum: De colligatione patrum ad filios. Quod patres nutriant filios sub disciplina

Deinde uidendum est de colligatione naturali aliquorum membrorum in republica, sicut parentum et filiorum ac fratrum adinuicem. Et primo sunt ammonendi patres ad erudiendum filios disciplinaliter, ut sicut sunt causa essendi filiis, sic sint causa bene uiuendi, ut enim dicit Philosophus Ethicorum viii.: pater filio causa est essendi, causa nutrimenti, et causa discipline. Ecclesiastici viii.: Filii tibi sunt erudi illos. Et xxx.: pro animabus filiorum colligabit uulnera sua. Sequitur ne des illis potestatem anime sue, Prouerbiorum xiii.: Noli subtrahere a puero disciplinam. Hebreorum xii.: Quis est filius quem non corripit pater. Sic enim filii a malis cohibentur, in bonis moribus informantur, et ad dura sustinenda preparantur, et ut assequantur hereditatem paternam digni efficiuntur. Et ideo nobiles antiqui, filios suos erudiri fecerunt sapientialiter, ut patet de Philippo patre Alexandri, supra parte prima. Item solliciti erant disciplinari eos uirtualiter, cohibendo a malis et informando in bonis. Quia ut ait Augustinus de moribus ecclesie: disciplina in duo diuiditur, in cohercionem et instructionem. Quorum primum timore, secundum amore perficitur. Et ideo narrat Pollicratus libro iii. capitulo iiii.: Quod Octavianus imperator filios et si non genuit adoptauit, et eos ad gradum militarem cursum, et saltum fecit exercitari, usumque natandi, et puncta cesim ferendi et iacendi missilia et lapides manu uel funda docuit. Et qualiter omne bellum sustineri debeat aut inferri. Et si sufficere posset eis clarus sanguis ad gloriam et bona hereditaria ad omnem affluentiam et etiam magis ad copiam quam ad usum, ea tamen diligentia sunt instituti, ac si sua retinere uel aliena acquirere nequaquam possent nisi per uirtutem. Similiter filias legitur in lanificio fecisse instrui, ut si preter spem eas in extremam paupertatem fortuna proiecisset, uitam possent arte deductis facultatibus exhibere. Nam et nendi texendi et acum exercendi et uestes formandi scindendi et componendi, non tantummodo artem sed usum habebant. Nouerat enim prudentissimus et diligens imperator, quod militaris alacritas saltu et cursu comparanda est, et temperanda antequam corpus etate pinguescat, uelocitas enim que exercicio percepta et firmata est strennum sufficit bellatorem, et perfectius imbuuntur que a pueris addiscuntur hec ibi. Ex quibus patet quod filios et filias non sustinuerunt ociosi, nec desidia resoluti, multo minus et milites, quorum professio est

instituta ad laborem militarem. Consimiliter de hac disciplina narrat Tullius libro ii. De tusculanis questionibus: Quod leges ligurgi laboribus erudiunt iuuentutem uenando currendo natando, esuriendo, siciendo, algendo, estuando. Sparti uero pueri ad Aramab uberibus accipiuntur, ut multus de uisceribus sanguis exeat. Et cum ibi essem inquit, non audiebam quod nemo unquam clamauerit uel ingemuerit, et hoc ideo faciebant, quia qui bene instituuntur in tenera etate et educantur, quando prouecti sunt ad bona de facili inclinantur prout ait Seneca libro ii. De ira: educatio maximam diligentiam plurimumque profuturam desiderat, facile enim est ad hoc animos teneros componere, difficulter rescinduntur uicia, que nobiscum creuerunt. Item Seneca libro De prouidentia loquens de lacedemoniis: qui experiuntur indolem filiorum uerberibus admotis et adhortantur illos ut flagellorum ictus fortiter preferant, et laceratos ac semianimos rogant perseueranter uulnera prebere iuuenibus. Et sequitur causa: Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Et solidissima corporis pars quam frequens usus agitauit, et ponit exempla nautis sunt corpora efferendi maria dura, agricolis manus trite, ad excucienda tela militares lacerti ualent, agilia sunt membra cursibus id in quolibet solidissimum est quod exercuit. Similiter exemplificat de populis qui dicuntur Germani, uos perpetua yemps, triste celum, sterile solum, faciunt perferre fortiter labores et inedia, ideo apostolus Ephesios vi.: Educate illos scilicet filios, indisciplina et correctione Dei. Et primo Thimoteum v.: Loquens de uidua ait, si filios educauit. Et de instructione puerorum communiter infra parte v. De seueritate uero patrum incorripiendo et disciplinando filios, narrat multum Valerius libro v. capitulo octauo ubi narrat de Brucco: qui filios uirgibus cesos, et ad palum ligatos securi percussit, quia uolebant reducere dominationem Tarquinii in urbem a se expulsam, patrem exiit ut consulem ageret, orbatus que uiuere magis quam publice uindictae deesse maluit. // Similiter narrat de Cassio qui filium suum propter crimen affectati regni damnauit et uerberibus affectum necari iussit, peculiumque eius de Cereri consecrauit. Similiter narrat de Mantilio Torquato qui filium suum eo quod probatum esse ipsum accepisse pecuniam a sociis, indignum domo sua iudicauit, qui filius ex tristitia suspendit se, cuius exequiis nec pater interfuit. Similiter narrat de Aulo Fulino, qui filium suum amicicie Catheline secutum supplicio mortis affecti, prefatus enim est non se Catheline aduersus patriam sed patrie aduersus Cathelinam se genuisse. Et de quibusdam istorum narrat Augustinus libro v. De ciuitate dei capitulo xviii. Et de hac seueritate patrum in corripiendo filios. Valerius libro ii. capitulo ii. ubi de disciplina militari ut habitum est supra ubi de illa. Et quia seueritas nimia aliquando nocet Valerius libro ii. capitulo ii. De moderatione parentum in filios etiam suspectos de nequicia contra parentes. Ubi narrat de quodam: qui cum sibi a filio parari insidias comparisset, in locum desertum filio perducto tradidit gladium ac iugulum ferri dum obtulit, nec ueneno nec latrone ad peragendum patricidium opus esse affirmans. Quo facto abiecto gladio, ait filius: Tu pater uiue, sed queso ne meus erga te amor eo tibi sit uilior, quod hoc a puericia oritur. Similiter narrat ibi de consimilibus eodem modo capitulo vii. De indulgentia parentum in filios, ubi narrat quod Anthiochus filius Seleuci regis cum incidisset in grauem languorem ex uesano amore nouerce, et esset hoc deprehensum a medicis, pater sibi coniugem concessit referens fortune quod in amorem incidisset pudori imputans, quod dissimulare esset paratus usque ad mortem. Et ibidem narrat de indulgentia aliorum in filios. Seueritas ergo paterna commendanda est in correptione filiorum, dummodo non habeat excessum, indulgentia approbanda dum caueat peccatum, et filiorum dispendium, moderatio laudanda dum teneat ordinatum

modum. Et econuerso negligentia parentum in castigando filios et corripiendo, multum uituperanda et ipsorum peccata eis imputanda aliquo modo, et pena eis aliquando a Deo inflicta pro eorum negligentia sicut fuit de Helii, qui fuit negligens in corripiendo filios suos insolentes. Et ideo a Deo merito est punitus i. Regum iii. Unde narrat Gregorius Dyalogorum iiii. capitulo xvii.: De puero quinquenni qui consueuit Deum blasphemare, quod fuit percussus a Deo in sinu patris et mortuus et hoc iuste tam in penam patris qui non corripuit eum, quam in penam illius mortui, et ne cresceret in malis moribus crescente etate. Et de hoc // narrat Boecius libro De disciplina scolarium de filio Lucrecii sanguineo nomine Senonis discipulo, qui fuit absque disciplina nutritus consumens sua in aleis et meretricibus sicut enumerat, et a pre redemptus creberrime de angustiis crucis, et deinde captus ob parentis penuriam redimi non poterat, qui cum lacrimis uoce querulosa petiit osculum patris et cum pater accessisset nasum illius morsu accustissimo ac acerbissimo secuit, dicens, quare a premis meis erroribus incastigatus euasi ac magistri mei documentis non obediui, sociosque meos contempsi filiis patrem castigatui necesse est indulgere, magistrum quod discipuli mores informare. Quasi ergo diceret patri, quia non castigasti me, sed me permisisti uacare peccatis predictis, merito de te capio uindictam, unde et parentes ne relinquant malum exemplum filiis, ut dictum est supra, quod heres ludit in alea post patrem, debent eis relinquere hereditatem uirtutum sicut terrarum. Et multo amplius, prout ait Tullius libro i. De officiis capitulo xxvii.: Quod optima hereditas a patribus traditur liberis, omni patricinio prestantior, gloria uirtutis rerumque gestarum, cuius dedecori uitandum omne nephas et uicium iudicandum est. Super omnia autem debent cauere patres filiis a peccatis ut enim ait Hieronimus Super ysaie libro ultimo. Aquilarum est maximus amor ad filios, que in locis inaccessibilibus nidos locant, et ne coluber uetus uiolet ametistum inter pullos reperiri dicitur, quo uenenum superatur, ait enim Solinus libro viii. capitulo vi.: Quod Echites est lapis qui inuenitur in nidis aquilarum. Multo ergo magis fideles debent cauere filiis ab antiquo serpente, et docere eos indificare in Petra Christi ubi est firmum habitaculum.

Capitulum secundum: De amore filiorum ad parentes

Quales autem debent esse filii apud patres, scilicet amantes eos uero affectu obedientes eis in affatu honorantes eos in actu sustentantes eos et necessaria ministrantes in effectu si indigeant, sicut sacrascriptura determinat, Exodi xx., honora parentes, ad Ephesios vi.: Filii obedite parentibus uestris hoc enim iustum est. Et sequitur: honora patrem et matrem et Collossenses 3.: filii obedite parentibus, Ecclesiastici iii.: qui honorat patrem suum uita uiuet longiori, et de pietate filiorum erga parentes, Valerius libro v. capitulo viii. bene et multum ibi ait quod diligere patrem uel genitores prima lex nature est, unde narrat ibi de filia que nutriuit matrem suam de lacte mamillarum suarum. Cum enim mater esset in carcere capitali crimine damnata qui perat custodie carceris misericordia motus dabat aditum filie ad matrem preuidendo tamen ne quid sibi inferret existimans futurum quod media consumeretur. // Cunque plures dies interciderent, et quod tam diu sustentaretur admirans, obseruata filia curiosius amaduertit, illam famem matris lactis sui subsidio lenientem, que nouitas spectaculi admirabilis, ad consilium ducta, pene remissionem impetrauit mulieri. Ibidem narratur de alia que patrem suum tali custodie traditum, iam ultime senectutis, uelut infantem pectoris sui alimonia aluit. Et de hoc Solinus libro i. in fine ubi narrat de filia que deprehensa est patrem alere uberibus suis, et ille datus est filie,

et in memoriam tanti preconii reseruatus, et locus consecratus numini. Et de filio Cresi, qui fuit usu loquendi destitutus. Cum tamen unus ex numero persarum concitato impetu in cedem patris illius ferretur, uelut oblitus quod fortuna sibi nascenti denegasset, ne Cresum regem occideret, proclamando mucronem reuocauit. Et qui mutus sibi uixerat, saluti parentis uocalis factus est. Et ibidem bene de laude pietatis, ubi ait: prima et optima rerum natura pietatis est magistra, que nullo uocis misterio, nullo usu literarum indigens, propriis uiribus ac tacitis, caritatem parentum pectoribus infundit filiorum. Unde narrat ibi de genere scitarum cum Dario faciente impetum in eorum regiones cui paulatim cedebant. Interroganti deinde ab eis per legatos, quem finem fugiendi aut quod initium facturi essent pugnandi responderunt, se nec urbes ullas nec agros cultos pro quibus dimicarent habere, ceterum cum ad parentum suorum monumenta uenissent stitutum quemadmodum scite preliari solerent. Quo quidem uno tam pio dicto immanis et barbara gens ob omni seueritatis discrimine redemit. Et ideo concludit autor ibi: quod solida uirtus magis nascitur quam fingatur, que illos uagos palustres et siluestres, ac siluarum latebras corpora sua tegentes in modum ferarum, laniatu peccudum uiuentes, sic Dario respondere decuit. Similiter narrat de Caroliano: qui damnatus a Romanis ad uolseos Romanis infestos confugit quorum adeptus est imperium, Romanis postea infestissimus fuit, nec uoluit eis confederari pro aliquibus, licet missi essent sacerdotes cum infulis, quod uidens mater eius, uxorem illius et filios secum trahens peciit castra in quibus erat, quam ut filius uidit, expugnasti inquit et uicisti iram meam, patriam precibus huiusmodi admonitus tibi, quamuis merito mihi inuisam dono et continuo agrum Romanum armis hostilibus liberauit, noluit enim matri denegare quod petiit, et eius uisio ad pietatem eum emoliuit. Et ibi narrat de pietate multiplici filiorum ad parentes. Querit // autem Seneca libro iii. De beneficiis capitulo xvi.: An liberi possint dare parentibus maiora beneficia quam acceperunt, et prosequens hanc questionem narrat de pietate filiorum erga parentes, et qualiter seruauerunt patres suos in bellis ponens exemplum de Scipione qui patrem suum seruauit in bello, et sic de aliis. Similiter xiiii. capitulo, ponit exemplum de Enea, qui patrem suum grauem senio per media agmina hostium tulit, et per igens, unde ait ibi: Quid non potest pietas. Similiter narrat ibi ponens exemplum quod sicculi iuuenes cum Echna maiore vi. paraginata in urbes et agros effudisset, transcurrerunt iuuenes ad liberandum parentes. Similiter narrat de aliis qui mira fecerunt pro parentibus. Et quid mirum quod homines ratione preediti sint pii in parentes, cum quedam irrationalia miram pietatem exhibeant parentibus, prout ait Ambrosius Exameron omelia v.: ponens exemplum de Ciconiis que propriis pennis nudatos parentes plumarum tegimen fouent collato cibo pascunt, et fultro alarum suarum subleuant ad uolandum exercent, unde ait ibi Ambrosius: Non est graue quod est pietatis plenum, non est onerosum quod soluitur nature debito, non recusant aues patrem, quas patrem pascere, nec scriptura, nec lex, sed natura restringit, ad hoc conuenerunt non precepto sed gratie naturalis officio. Est enim iunctura pietatis apud eas, et tamen plerique hominum talia recusarunt, ut ait ibidem. Ideo Romanorum usu pietas pia auis uocatur, his autem exemplis potest predicator hortari filios ad parentum uenerationem, et ad pietatem eis exhibendam. De pena uero maledictionis matris, narrat Augustinus xxii. De ciuitate dei capitulo ix.: Quod decem fratres, quorum septem erant mares, et tres femine ex maledictione matris puniti sunt tremore membrorum horribili, quorum duo scilicet frater et soror, sanitati restituti fuerunt in ecclesia beati Stephani, ubi ibi narrat: Cauere ergo debent filii ne mereantur maledictionem parentum.

Distinctio tertia [secunde partis]

Capitulum primum: De colligatione fratrum ad inuicem. Quare fratres tenentur se amare

Deinde ammonendi sunt fratres ad mutuam dilectionem ex quo sunt ex eisdem parentibus, et six ex eisdem principiis, et ideo debent se mutuo diligere, quia communicant eandem naturam prout dicitur Ethimoloyarum ix. Et demutua dilectione fratrum. // Valerius libro quinto capitulo ultimo ubi ait: hanc caritatem superne uel fraterne beniuolentie proximus gradus accipit. Et ponit exempla de fratribus se mutuo diligentibus, sicut de Fabiano qui delatum sibi, ducem non sustinuit triumphum summo senatus studio quia frater suus eo prelio ceciderat. Similiter dicit de alio, qui per grauia itinera transgressus die ac nocte, mutato equo, solo comite contentus, transiuit ad liberandum fratrem. Similiter ibidem narrat: Quod cum in castris Pompei, unus miles alium occidisset, iacentemque spoliasset, ut fratrem Germanum esse cognouit, multum ac diu conuicio Deos ob donum impie uictorie insecutus, preciosa ueste opertum se rogo imposuit, ac deinde subiecta face protinus eodem gladio quo fratrem interimerat pectus suum transuerberauit, seque super pectus fratris prostratum communibus flammis cremandum tradidit, licebat enim ignorantie beneficio innocenti uiuere, sed ut sua potius pietate quam aliena uenia uteretur. Comes fraterne neci non defuit, et artissimis uinculis sanguinis pietas satis fecit. Item narrat Augustinus ii. De ciuitate dei capitulo xxvi.: Ideo cauere debent fratres, ne propter bona exteriora et hereditatem terrenam, fiat in eis discidium cordium uel extinctio fraterne caritatis. Unde et saluator, fratribus petentibus ut iudicaret inter eos hereditatem, noluit fieri iudex in hoc quia erat inter eos lis non caritas dilectionis, Luce xii. secundum quod exponit Augustinus libro sermonum primo, xii. sermone: Quod Dominus diuisionem petenti, ait: Quis me constituit iudicem et diuisorem inter uos, cauete ab omni cupiditate, sed ego dico, dic fratri ut tecum teneat unitatem. Et de hoc libro vii. Hystorie ecclesiastice viii. capitulo narratur: Quod cum quoddam stagnum, duobus fratribus hereditarie aduenerat. Et pecunie cupiditas que fere omnium mortalium corda superat, fraternam necessitatem uiolauit, quia enim erat copiosum piscibus, a fratribus conueniebatur tempore captionis, non tam ad capiendas pisces quam ad decipiendas homines. Cedens enim ac bella mouebantur, et humanus sanguis pro piscibus fundebatur, sed Dei prouidentia superuenit Gregorius Cesariens, et uidit prelia et mortes uirorum, et furentes Germanos. Cunque inquireret, pro qua causa accenderentur in excidium sui suorumque, et utraque pars pro honore sui aduentus sileret. Nolite inquit: O filii rationales animas pro mutis animalibus uiolare, fraternam pacem questus cupiditate dissoluere, Dei leges // et nature pariter temerare, et ad horam stagni exicialis accedite. Et ego uos per uirtutem Domini absoluaui ab omni certamine cruenta contentionis. Et cum accessisset tenens uirgam in manu, ad stagnum positus genuibus, palmas tetendit in celum et orauit, ut ille aque essent maledicte, pro quibus fratres furore succensi, obliti erant fraterne pietatis, et ut nunquam in illo loco piscis appareret uel aqua, sed sit campus aratrum patiens et frugum ferax et custos ineternam fraterne concorde perseueret, et ut sanctus orandi finem fecit, sic factum est, et arentem campum Germanis iam concordibus dereliquit, et usque in hodiernum diem frugum ferax dicitur esse solum quod antea fuerat nauium ferax, hec ille. Planum est ergo quod detestanda coram Deo est litigiosa contentio, et discordia inter fratres, ob diuisionem terrene hereditatis, eo quod hoc unum est quod

placet Deo, scilicet concordia fratrum, Ecclesiastici xxv. Unde et de concordia fratrum in conditione hereditatis narrat Trogius Pompeius libro vi.: Quod Xerxes dicebat se primum filium natum patrie regie, frater alius qui arte eum natus erat, et antequam pater esset rex uendicabat priuatum patrimonium, et dicebat illum a iure debere habere regnum quod erat natus a patre de patre regia. Quod certamen ad patrum suum Arifernum detulerunt, qui cognita causa Xersem preposuit, et adeo fraterna contentio sedata fuit, ut nec uictor insoluerit nec uictus indoluit. Et ipso tempore litis munera sibi inuicem remiserunt, et iocunda inter se non solum sedula conuiuia habuerunt, et moderatius inter se regna quam nunc exigua patrimonia diuidebant. Si ergo sic pagani se habuerunt in diuisione hereditatis, merito increpandi sunt Christiani, qui uel fratres suos exhereditant iniuste, uel contra eos pugnant pro hereditate.

Capitulum secundum: Qualiter paterfamilias debet suam familiam regere

Et non solum debet pater ammonere et discipline filios naturales sed filios familie sue. Ipse enim uocatur paterfamilias qui sic dictus est, quia in familia sua omnibus, ait papam. Debet ergo non solum filios disciplinare et moribus informare, sed omnes de familia, quia pro eis est responsurus, prout ait Augustinus ad comitem: Questo mi frater quod omnibus tibi subiectis a maiore usque ad minimum et dulcedinem regni celestis, et amaritudinem gehenne annuncies, et de eorum salute sillicitus et uigil existas, quia pro omnibus tibi subiectis que in domo // tua sunt rationem reddes Deo, annuncia et suade eis ut caueant a superbia, detractioe, ebrietate, fornicatione, ira, luxuria, periurio, et cupiditate, que est radix omnium malorum. Item Augustinus Super iohanem omelia I. Super illo Iohannis xi.: Qui michi ministrat, uos pro modo uestro ministrare Christo, bene uiuendo, elemosinam faciendo, nomen doctrinamque eius quibus poteritis predicando, et unusquisque paterfamilias hoc nomen agnoscat, paternum affectum sue familie se debere pro Cristo, et pro uita eterna suos homines moneat, doceat, corripat impendat beniuolentiam, exerceat disciplinam in domo sua, euangelicum et quodammodo episcopale officium impleat, ministrans Christo, ut in eternam sit cum eo. His ergo modis paterfamilias, et filios naturales et totam familiam exterminet, ut omnes Deo fideliter et simul seruiant, nec inimicum Dei et iusticie in domo permittat, ne diuinam indignationem incurrat, et ulcio superueniat. Sed dicat cum propheta: Ambulans in uia immaculata hic michi ministrabit.

Capitulum tertium: De amore ad consanguineos

Consimiliter sunt ammonendi homines, ut habeant beniuolum affectum ad homines qui sunt sibi colligati naturali colligatione uel affinitate, quia tales dicuntur fratres in scripturis. Quatuor enim modis dicuntur fratres, ut ait papam, scilicet natura, ut Esau et Iacob, gente, ut omnes Iudei, cognatione, ut Abraham et Loth, affectu, et hoc uel speciali quo omnes Christiani dicuntur fratres, uel communi quo omnes homines ex uno patre nati. Ad omnes ergo qui sunt colligati cognatione, amor ordinatus debet extendi. Et si dicat saluator, Luce xviii.: Qui non odit patrem aut matrem et cetera, non potest esse meus discipulus. Non prohibet amorem naturalem parentum et cognatorum, sed carnalem quo impeditur amor diuinus, prout exponit Augustinus episola xxii. Unde et antiqui erant affectuosi sicut Abraham et Loth quem liberauit ab hostibus, Genesis xiiii. Et Laban ad Iacob quando audiuit eum aduenisse, Genesis xxviii. Et ideo coniugium institutum est

fieri inter extraneos inter quos amor et caritas extendatur et dilatetur ubi amor naturalis minus seruet secundum Augustinus xv. De ciuitate dei capitulo xvi. ubi loquitur bene de ista materia: Predictos igitur debet predicator ammonere ut habeant se uicissini sicut debent se habere, et de talibus cum eisdem conferre.

Distinctio quarta [secunde partis]

Capitulum primum: De informatio ne coniugium. Quid sit coniugium //

Consequenter uidendum est qualiter debent informari qui sunt sacramentali colligatione colligati, quales sunt coniuges, et cum matrimonium sit uiri et mulieris coniunctio maritalis inter legitimas personas indiuiduam uite consuetudinem retinens, ut patet in quarto Sententiarum distinctio 27. Siue legitima coniunctio maris et femine unionem Christi et ecclesie representans, ut dicitur de articulis fidei. Siue legitima societas inter uirum et feminam in qua pari consensu semetipsum debet alteri, ait Augustinus De uirginitate beate uirginis. De pertinentibus ergo ad matrimonium tales informari debent, ut sit scilicet legitima contractio inter extraneas ad dilatandum caritatem, prout ait Augustinus iii. De ciuitate dei capitulo xvi.: Quod matrimoniam sit inter homines extraneos ut quibus est utilis atque honesta concordia diuersarum necessitudinum uinculis necterentur, et alterum quis habeat patrem, alium socerum, et ut alia sit soror, alia uxor, et sic de aliis prout ibi determinat bene, ut ergo ait apostolus i. Ad corinthios vii. informans tales.: Qui in matrimonio uirginem suam iungit benefacit, et qui non iungit melius facit, honorabile enim coniugium, thorus immaculatus, Hebreorum vii. Unde saluator interfuit nuptiis, Iohannis ii. Presciens faturos esse hereticos prohibentes nubere prout ait ibi Augustinus omelia iiii. De quibus apostolus i. Thimotheum iiii. Sic ergo tales debent preuidere quod sit apta conditio utriusque, ne sequatur postea continua penitudo. Sicut enim narrat Valerius libro vii. capitulo v.: unice filie pater Themisto debet consulebat, utrumneam pauperi sed ornato moribus an locupletio parum probato collocaret scilicet in coniugio, cui ille. Malo inquit uirum pecunia, quam pecuniam uiro indigentem. Quo idcto monuit ut generum potius diuitiis quam diuitias generi legeret id est eligeret. Quamuis ergo assint opulentie diuitiarum alicui, contrahens tamen cum illo uel illa debet preuidere an persona cum qua contrahit sit pedita uirtutibus, ornata moribus, competens conditione status, quia frequenter solet tedium tristicie sequi matrimonium, et ideo una fuit de legibus ligurii uirginem sine dote nubere, ait Trogius Pompeyus libro v. Et de hoc Valerius ubi supra narrat: Quod Socrates consultus a quodam adulescentulo, utrum uxorem duceret an se omnino abstineret, respondit: utrumque eorum id est quodcunque fecisset, acturum penitentiam. Hinc te inquit sollicitudo, hinc te orbitas, hinc generis interitus, hinc heres alienus accipiet. Si uero ducitur uxor, illic perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affimum graue supercilium, garrula socrus, // lingua succenssoria, alieni matrimonii interitus, liberorum euentus hec ille. Cum magna ergo prouidentia et cautela est contrahendum. Et de hoc Ieronimus Contra iouinianum multum ibi ait. Fertur inquit aureolus Theophrasti liber de nupciis, in quo querit, an uir sapiens ducat uxorem, et cum diffimisset, si pulcra esset, si bene morigerata, si honestis nata parentibus, si ipse sanus et diues, si sit sapiens, debet inire matrimonium, statim intulit, hec raro in nupciis uniuersa concordant. Non ergo uxor est ducenda a sapiente. Primum enim impediret studium philosophie, nec posse quenquam libris et uxori

deseruere, multa esse que matrimonii usibus necessaria sunt, preciose uestes, aurum, gemine sumptus, ancille, suppellex uaria. Deinde per totas noctes garrule questiones, illa ornatior procedit in publicum, illa honoratur ab omnibus, ego in conuentu feminarum misera despicior. Cur aspiciebas uicinam, quid cum ancilla loquebaris de foro ueniens quid attulisti non amicum habere possumus, non sodalem, alterius amorem suum odium suspicatur. Et sequitur: Pauperem alere difficile est, diuitem ferre tormentum adde quod nulla est uxoris electio sed qualiscumque aduenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fetida, quodcunque uicium est post nupcias discimus equus et alia animalia mancipia, uestes et suppellectilia probantur prius et sic emuntur, sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Et postquam quoscunque illa dilexerit uacuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi habere non putabit, ingrati tibi amandi erunt, si tamen domum ei regendam commiseris, seruiendum est, si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi habere non putabit et in odium uertetur et iurgia, et nisi cito consulueris parabit uenenum. Et sub iungitur, uerum quid prodest diligens custodia, cum uxor seruari impudica non possit, pudica non debeat. Infida est custos castitatis necessitas. Et illa uere pudica dicenda est, cui licuit peccare sed noluit, pulchra cito adamatur, feda facillime despicitur, difficile custoditur quod plures amant, molestum est possidere quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur quam forma seruatur. Nichil tutum est in quo totius populi uota suspirant, alius formositate, alius facetiis, alius ingenio, alius liberalitate sollicitabit, aliquo modo expugnatur quod undique incenditur et lacescitur. Et sequitur: Quod si propter dispensationem domus ducantur uxores, multo melius dispensat seruus fidelis obediens auctoritati Domini quam uxor que in eo se existimat dominam, // si aduersus uiri fecerit uoluntatem id est si secundum quod placeat non iubetur. Et post: Liberorum causa ducere uxorem stolidissimum est, quid ad nos pertinet recedentes de mundo, si alius nomine nostro uocetur aut que senectutis auxilia nutrire domi, qui etiam ante te aut prior te forte moriatur aut peruersissimis moribus sit, aut certe cum ad maturam etatem peruenerit tarde ei uidearis mori, heredes autem meliores et certiores sunt amici et propinqui, qui tuo iudicio eliguntur, quamuis uelis nolis habere cogaris, licet certa hereditas sit dum audes bene uti substantia tua, quam tuo labore quesitam haberes, habet in incertos aut iniustos usus relinquere. Et hec omnia extracta sunt de uerbis predicti philosophi, que recitat Ieronimus ubi supra. Nec hec sunt recitata hic ad detractionem coniugii uel disuasionem, sed ad munitiorem illorum qui uolunt contrahere, ut sollicite preuideant qualiter et cum quibus contrahunt. Multe enim molestie nuptiarum. Et sicut ait apostolus i. Corinthios vii.: Virgo cogitat que Dei sunt, que autem nuptia cogitat que mundi sunt. Et in eodem: Tribulationem carnis patiuntur huiusmodi. Et de his molestiis recitat Ieronimus ubi supra. Cicero rogatus ab Hyrcio ut post repudium terencie sororem suam duceret, omnino supersedit, dicens non posse se uxori, et philosophie operam dare Socrates exantipem et Micon, neptem Aristidis, duas habebat uxores, que cum crebro inter se litigarent et ille eas irridere solitus esset, quod propter se fedissimum hominem, Symeis naribus, recalua fronte, pilosis humeris, et pauidis siue reptandis cruribus disceptarent, nouissime uerterunt in eum impetum, et mulctatum fugientem diu sunt persecute. Quodam autem tempore cum infinita conuicia ex superiori loco ingerenti exantipe restitisset, aqua perfusus immunda, nil aliud respondit quam capite deterso, sciebam inquit futurum, ut ista tonitrua ymber sequeretur. Et ibidem Ieronimus: Quod Marcus Katho habuit uxorem humili loco natam, uiolentam uel uinolentam impotentam. Et quod nemo posset credere kathonis superbam, hoc ideo ne

quis putet si pauperem duxerit, satis se concordie prouidisse. Similiter narrat Philippum regem Macedonium introeuentem ex more cubiculum, uxor exclusit irata, qui exclusus tacuit, et iniuriam suam tragico uersu consolatus est Gorgias librum pulcerrimum de concordia Grecorum inter se dissidentibus, recitauit Olimpie. Cui Mellancius inimicus eius, hic nobis inquit de concordia precipit, qui se et uxorem et ancillulam in uno domo concordare non potuit, emulabatur // quidem uxor ancillule, et castissimum uirum quotidianis iurgiis exagitabat. Unde ut cesset inuidia, et quies matrimonii reformaretur uersum est in consuetudinem ditioribus mulieribus ne quam habeant in domo se pulcriorem. Item Ieronimus ubi supra: Cum amici arguerent quendam, quod uxore repudiasset castam, protendisse pedem dicitur, et dixisse, sotular quem cernitis nouus et elegans est, sed nemo scit preter me ubi me premat, quasi diceret, sic est de uxore. Similiter recitat ibidem Ieronimus: Quod Epicurus uoluptatis aisertor, quamuis Methodarus discipulus eius uxores habuit, dixit raro sapienti ineunda coniugia, quia multa incomoda admixta sunt nuptiis. Et sequitur: Graue autem uiro sapienti uenire in dubium, utrum bonam malam ue ducturus sit. Ut enim scribit Erodocus: Mulier cum ueste deponit uerecundiam. Et Tronitus uel comitus, fortunatum putat qui nunquam uxorem duxerit. Hec et alia narrat Ieronimus ubi supra, dicens: Quod Aristoteles Plutarcus et Seneca scripserunt libros de matrimonio de quibus superiora nonnulla sunt.

Capitulum secundum: De informatione uxoris male morigerate

Si uero contigat quod uxor ducta non sit bene morigerata, custodienda est et disciplinanda, et malignandi materia subtrahenda. Unde et Romanis feminis usus uini fuit ignotus, ne scilicet in aliquod dedecus immundicie prolaberentur, quia proximus a libero patre intemperantie gradus ad inconcessam uenerem esse consueuit. Et Valerius libro vi. capitulo iii. narrat: Quod quecumque femina uini usum immoderate appetit, omnibus uirtutibus ianuam claudit, et delictis ianuam aperit. Graue inquit maritale supercilium supplicio Galli qui uxorem dimisit, eo quod eam capite non cooperto foris uersatam cognouerat. Lex inquit te meis tantum preferat oculis, quibus et formam tuam appropas, his decoris instrumenta compara, his esto sponsa, horum te certiori crede noticie, ulterior tibi aspectus superuacua irritatione accersitus in suspitionem et crimen hoc necesse est abscisa sententia sed tamen aliqua ratione mota. Similiter sentit quantiscius repudiando uxorem, quia illam in publico cum quadam libertiua uulgari secreto loquentem uiderat. Similiter sempinus frequenter inuenitur Simpronius uel Serapinus philosophus qui coniugem repudii nota effecit, eo quod ausa fuit ludod se ignorante spectare. Narrat etiam ibidem: Quod Metellius uxorem, eo quod bibisset uinum fuste percussam interemit. Moderato ergo modo et debito disciplinanda est uxor // si contingat quod non sit morigerata, Ecclesiastici xxxii.: Ne des mulieri requam, ueniam prodeundi. Et ibidem: Mulier si primatum habeat, contraria est uiro suo. Item si sit minus morigerata, debet esse eius compassiua supportatio, prout poterit fieri sine peccato. Et de utroque ait Varro in sathira que manipea inscribitur. Vicium coniugis aut tollendum est aut ferendum, qui tollit uicium commodiorem coniugem prestat, qui fert seipsum efficit meliorem. Unde et de Socrate narrat Agellius libro i. Atticarum noctium: Quod Socrates cum eum Alchiades interrogaret, quare exantipem uxorem ad modum morsam et iurgiosam, et que die noctuque muliebribus satagebat uel statebat molestiis domo non abigeret, respondit: cum domi talem perpetior insuesco et exercitor ut deteriolem quoque foris

petulantiam et iniuriam facilius feram. Sic enim fideles debent se supportare adinuicem Gallatas vi.: Alter alterius onera portate. Et Collossenses iii.: supportantes inuicem. Multo magis coniuges debent se supportare. Et ad hoc monet etiam beatus Petrus prima iii. capitulo: Mulieres sint subiecte propriis uiris, sicut Sara obediebat Abrahe, Dominum eum uocans, cuius estis filie beneficientes, et non timentes ullam perturbationem uiri, similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori uasculo muliebri imparcientes honorem tanquam coheredibus gratie uite, ut non impediatur orationes uestre, secundum hoc multo magis coniuges debent se supportare ad inuicem quantum possunt absque peccato cum sint una caro, Genesis iii. et de hoc Ambrosius bene in Exameron omelia v. ubi ponit exemplum bonum de uippera et murena: Quod murena ad coniugalem amplexum uipperam euocat. Et sequitur: Quid sibi uult sermo huiusmodi nisi ferendos esse mores coniugum, licet sit asper, fallax, inconditus, et sic de aliis quid peius ueneno, quod in coniuge murena non refugit ille tua mala portat, et leuitatis femineae facilitatem, tu uirum tuum non potes mulier sustinere. Et post: Vippera absentem uocat, et blando prouocat sibilo, atque ubi aduentare comparem sentit, uenenum euomit reuerentiam marito deferens, tu mulier aduenientem de longinquo maritum contumeliis repellis. Sed et tu uir deponere tumorem cordis, asperitatem oris non es dominus sed maritus, non ancillam sortitus es sed uxorem uipperam uenenum effundit, tu uero potes duriciam mentis deponere, et ibi bene de hoc.

Capitulum tertium: De mutua dilectione coniugum //

Item coniugum debet esse affectuosa caritatiua et mutua dilectio ut sint unum cor, et anima una, sicut sunt una caro, Ephesios v.: Viri diligite uxores uestras sicut Christus ecclesiam. Et de isto coniugali amore Valerius multum libro iiii. capitulo v. ubi narrat: Quod uel grato apprehensis anguibus coniugibus male et femina, et certior factus ab aurspice, quod nisi mare dimisso femina necaretur, ipsi Grathoni celarem obitum instare, si autem econuerso, uxori eius hoc accidere, ille coniugi potius quam sibi parcere auguria secutus mare necari feminam dimitti iubet, sustinuitque in conspectu suo seipsum interitu serpentis occidi itaque corneliam uxorem suam, nescio utrum feliciorum dixerim quod talem uirum habuit, an miseriorum quod talem amiserit. Similiter quod Emphacius uel Caphacius audita morte uxoris, pectus suum gladio percussit. Similiter narrat quod Emphacius cum uxor decessisset funerata ea et rogo imposita, inter officium unguendi et osculandi ferro stricto incubuit, et sicut erat togatus et calciatus, amici eum coniugis corpori iunxerunt, ac deinde subiectis facibus utrumque concremauerunt, quorum sepulchrum tarenti nunc conspicitur. Item ibidem narrat quod Iulia filia Cesaris, cum uidisset Pompey magni coniugis sui uestem cruore conspersam, tarrita metu ne qua esset ei uis illata exanimis concidit, partumque quem in utero conceptum habebat eiicere graui dolore corporis coacta est. Ibidem narrat: Quod Porcia filia magistri kathonis, cum Brucum uirum suum interemptum agnosceret, quia ferrum non dabatur, ardentibus ore carbones haurire non dubitauit, et nouo genere mortis absorpta est. Similiter narrat ibi de quadam regina, que Metriadem coniugem suum effusis caritatis habentibus amauit, propter quem precipuum forme sue decorem, tonsis capillis in uirilem habitum se conuertit, equis et armis se assuefecit, quo facilius eius laboribus et periculis interesset, et illum euictum et a Pompeyo per efferas gentes fugientem, animo pariter et corpore infatigabiliter est secuta, cuius tanta fides asperarum et difficilium rerum Metriadi maximum solacium et

iocundissimum lenimentum fuit, cum domo enim et penetibus uagari se credidit simul exulante uxore. Si ergo tales fuerunt pagani et infideles mutuo se amantes, multo magis fideles et Christiani coniugali amore ordinate debent se diligere.

Capitulum quartum: De mutua fidelitate coniugum //

Similiter coniugum debet esse fidei indefectio, quia coniugii tria principaliter sunt bona, scilicet fides, spes proles, et sacramentum. In fide attenditur ne propter uinculum coniugale cum altero uel altera concumbant, ut ait Hugo libro ii. De sacramentis parte xi. capitulo vi. Quilibet ergo eorum debet tenere fidem alteri firmiter. Vir enim non habet potestatem corporis sui sed mulier, et econuerso i. Corinthios vii.: Et quo ad fidem coniugalem et etiam quo ad fidelitatem amoris ut dictum est. Unde, Valerius de fide uxoris libro vi. capitulo viii. dicit: Quod ulpicia cum a matre sua Iulia diligentissime custodiretur, ne uirum suum proscriptum in Siciliam sequeretur. Nichilominus familiari ueste sumpta, cum duabus ancillis et totidem seruis ad eum clandestina fuga peruenit, nec recusauit seipsam proscribere, ut ei fides sua in coniuge proscripto constaret. Ibidem narrat de alia que uirum suum proscriptum inter cameram et tectum cubiculi aditum una cum conscia ancilla ab imminente exicio non sine magno periculo suo, tutum prestitit uiro refugium, singulari fide id egit, ut cum ceteri proscripti uix euaderent in alienis regionibus, ille in cubiculo et sinu coniugis alitus salutem retineret. Ibidem narrat: Quod Emilia uxor Affricani fuerit tante communitatis et patientie, ut cum sciret uiro unam ex ancillis gratam esse dissimilauerit, ne damnatorem orbis Affricanum feminea impacientia reum ageret. Tantumque a uindicta eius mens fugit, ut post mortem Affricani manumissam ancillam in matrimonium liberto eius daret. Et de hoc narrat Valerius libro iiii. ubi prius capitulo v. de fide uxorum ad uiros: Quod cum Lacedemonii inclusi a Spartanis uel a Sparti capitali seruabantur supplicio. Coniuges illustris sanguinis uelut allocutur perituros uiros intrauerunt carcerem impetrato a custodibus aditu, commutataque ueste per simulationem doloris, uelatis capitibus eos abire passe sunt. Et de hoc narrat Solinus libro x. capitulo vi. de mirabilibus mundi: de quadam gente in qua multe uxores in unius uiri matrimonium iunguntur, et cum maritus decesserit, apud grauissimos iudices iam quoque de meritis agunt causas, et que officio ceteras sententia id est iudicio uicerit iudicantium, hec paline refert premium, ut ascendat rogum coniugis et supremas eius semetipsam det exequias. Cetera uero cum nota uiuunt scilicet repudiationis, hoc idem narrat Tullius libro vi. Tusculanarum questionum, ubi ait: Quod mulieres in India etiam in certamen ad iudicium ueniunt, plures enim uni solent esse, et quamplurimum ille dilexerit, illa leta ut uictrix prosequentibus suis in rogum imponitur // alie uero meste recedunt. Exemplum huius fidei patet in uipperia et murena, secundum Ambrosium supra ubi ait de aliis animalibus: Quod comparem suum bos requirit, et equus similiter diligit comparem suum. Et sequitur: Nolite querere uiri alienum Thorum, nolite insidiari aliene copule, graue est adulterium, duos Deus fecit, Adam et Euam, et uxorem de uiro id est de costa, et iussit ambos esse in uno corpore, et in uno spiritu uiuere. Quid id est cur unum corpus separas quid unum spiritum diuidis nonne adulterium est, et non solum adulterium ymo enorme furtum, quia uir non habet potestatem sui corporis sed mulier, qui ergo aufert corpus ab uxore et prebet alteri, contra legem omnem fur est et latro. Nam et bruta animalia leguntur abhominari commixtionem coniugis cum alio, prout narrat Allexander nequam de naturis rerum de ciconia adultera, que lauabat se post

coitum cum adultero, quod et quidam miles deprehendit, et quadam die preparauit impedimentum ne se sic lauaret, et cum uenisset compar ciconie, odore deprehendit adulterium, et exiuit et adducens multitudinem ciconiarum, ciconiam adulteram deplumauit et dilaniauit, qua dilaniata, altera se ei comes quasi marito associauit. Quod ergo abhominantur irrationalia animalia multum debet esse detestandum hominibus, et maxime fidelibus.

Capitulum quintum: De coniugalis operis religiosa exercitatione

Et non sufficit coniugibus tenere fidem coniugii, dicto modo, sed debet operis coniugalis esse religiosa exercitatio, et in exercendo debita intentio, quia ut dictum est supra, bonum coniugii est spes prolis, et deuote expectetur amanter suscipiatur religiose nutriatur, ait Hugo ubi supra, et ibidem capitulo iii. Institutio coniugii ante peccatum fuit ad officium ut natura multiplicaretur, post peccatum et ad officium et remedium ut natura exciperetur et uicium cohiberetur. Tum ergo quia sic institutum, tum quia magnum sacramentum Christi et ecclesie, tum ad euitandum peccatum, ac cohibendum uicium, religiose temperate ac honeste et recta intentione debent uti coniuges opere coniugali, prout ait Apostolus i. ad Corinthios viii.: Et qui habent uxores sint tanquam non habentes. Ut enim ait Ieronimus Contra iouinianum, Sixtus in sententiis: Adulter est in suam uxorem amator ardentior, in aliena uxore omnis amor turpis, in sua nimius uituperabilis est, sapiens uir in Deo debet amare uxorem, non affectu regnet impetus uoluptatis nec preceps feretur in coitum. Nichil enim fedius quam diligere uxorem sicut adul- // teram, certe qui debent causa reipublice iungi uxoribus et liberos alere, imitentur saltem pecudes, ut postquam uxor uenter intumuerit ne perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant sed maritos, et ibi multum de hoc. Unde narrat de quodam qui exiturus in publicum fastia uxori pectus colligabat, et nec puncto quidem hore penitentia eius carere poterat, potionem nullam nisi alterius labiis tactam uir nec mulier hauriebant, necnon et alia inepta faciebant. Et ideo sequitur, origo amoris honesta sed magnitudo deformis. Nichil enim interest quod ex honesta causa quis insaniet, et ibi bene de hoc. Sic enim usus est Thobias coniugio suo, de quo dicitur Thobie viii. qui ait ad Saram uxorem suam. Surge hodie et cras, et posteras oremus Deum. Et sequitur: fillii sanctorum sumus non possumus ita coniungi sicut gentes que ignorant Deum.

Capitulum sextum: De perpetua coniugum indiuisione

Item inter coniuges debet esse perpetua indiuisio. Unde et sacramentum unum est. De bonis coniugii ait Hugo ubi supra in quo attenditur ne coniugium separetur, et ne dimissus aut dimissa etiam causa prolis alteri copuletur, ait idem. Unde Mathei ix.: Quod Deus coniunxit homo non separet, quod etiam gentiles seruauerunt, prout ait Valerius libro ii, capitulo i.: Quod repudium inter uxorem et uirum a condita urbe usque ad centesimum annum nullum intercessit. Primus autem spurius Carbilius uxorem sterilitatis causa dimisit, qui quanquam intollerabili ratione uideretur motus, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem librorum coniugali federi preponere debuisse arbitrabatur. Quod ergo seruabant gentiles lege naturali et honestate uirtuali, debent seruare fideles lege diuina et celesti et ligamine sacramentali, ymo etiam nobiles matrone et pudice mortuo marito nolebant alteri iungi, et ideo coronabantur et honorabantur

corona pudicitie, ut ait Valerius ubi supra: Quod que in uno uiro contente fuerant corona pudicitie honorabantur. Existimabant enim eum precipue matrone sincera fide incorruptum esse animum, qui post deposite uirginitatis cubile in publicum ergredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam quasi legitime cuiusdam intemperantie signum esse credentes. Unde et pudice matrone mortuis uiris noluerunt cum alio inire matrimonium, prout Valerius libro vi. capitulo i.: // Quod thronicorum coniuges marium uictorem orauerunt, ut ab eo uirginibus uestalibus dona mitterentur affirmantibus eque se atque illas uiriliter concubitus expertas futuras, eaque re non impetrata laqueis se nocte proxima spiritum eripuerunt, quamuis ergo erronee fuerint uel fecerint in suo suspendio, tamen laudande sunt ex maritorum dilectione et castitatis amore. Et de hac infra parte iii. distinctio vi. capitulo de uiduitate: Qualiter autem coniuges anitquitus inter se concordabant, post qualemcumque litigium uel iurgium, Valerius libro ii. ubi supra ait. Quotienscunque inter uirum et uxorem aliquid iurgii intercesserat in sacellum dee hetiplice uel heriplace quod est in pallatio conueniebant et ibi inuicem locuti quid uolebant, contentione animorum deposita concordantes reuertebantur. Dea nomen hoc a placandis uiris fertur assecuta. Predicator ergo euangelicus debet de predictis conferre cum coniugibus et illos alloqui, et si in quibusdam factis predictorum gentilium fuerit excessus et error sicut in propria occisione, debet quod erraneum est dehortari, et quod rectum est suadere.

Quinta distinctio [secunde partis]

Capitulum primum: De fidelium spirituali colligatione. Qualiter debeant sibi inuicem coherere

Consequenter prosequendum est de colligatione siue coherentia gratuita et spirituali qualis est fidelium per gratiam in corpore Christi, ad qua obseruanda sunt ammonendi efficaciter et iugiter, sicut hortatur apostolus ad Ephesios iiii.: Sollicite seruate unitatem spiritus in uinculo pacis, unum corpus et unus spiritus in uinculo pacis. Et hoc merito: Tum quia sunt ex uno patre creante et redimente, et ex una matre ecclesia, et eisdem sacramentis regenerati, et sic ueri fratres Mathei xxi.: Unus est pater uester, uos autem fratres. Tum quia sunt membra unius corporis et eisdem uinculis caritatis connexa, et uno spiritu uiuificata. Multi enim unum corpus sumus in Christo, ad Romanos xii. Tum quia Christi coheredes et eius hereditatis future participes, ad Romanos viii.: Heredes Dei coheredes autem Christi et cetera. Has enim rationes assignat Crisostomus super Iohannis omelia xv. ubi ait: Omnes enim in unum corpus baptizati sumus, ait apostolus, propterea in unum corpus ut non diuellamur uel dissoluamur, sed ea que adinuicem est conuenientia et amicitia, corporis unius consequentiam uel continentiam obseruemus. Quocirca ita procuremus proximos, ut unusquisque nostrum suam carnem non despiciat. // Nullus enim unquam carnem suam odio habuit ait apostolus Ephesios v. sed eam nutrit et fouet. Propterea domum unam hunc mundum dedit nobis Deus, unum nobis lumen accendit, unum tectum celum extendit, unam mensam terram proposuit, dedit et aliam multo maiorem scilicet altare, unum modum generationis spiritualem, unam omnibus patriam que in celis est, de eodem calice omnes bibimus et cetera. Unde ergo inequalitas secundum scilicet hanc uitam respondit ex diuitum auaricia et elatione. Et de hoc similiter Seneca iii. parte epistola lxx. ubi ait: Quod membra magni corporis sumus, et natura nos

cognatos edidit. Ut enim ait Gregorius Super ezechielem libro ii. omelia iii.: Caritas accendit concremat, conflatur, et quasi mutuo ad modum fratrum, et protegere, et nociua ab inuicem expellere. Debemus enim animas ponere pro fratribus, i. Iohannis ii.

Capitulum tertium: Qualiter debent cauere ne dissipentur ab hoste

Debent etiam cauere ne dyabolus dissipet fraternam unionem ut sint terribiles hostibus, Canticum v.: Terribilis ut castrorum acies ordinata. Super quod Gregorius libro i. Super ezechielem omelia viii.: Castrorum tunc est acies hostibus horribilis, quando ita constipata et condensata fuerit, ut in nullo interrupta uideatur. Nam si ita disponitur quod locus uacuuus dimittatur, profecto hostibus terribilis non est. Sed nos contra malignos spiritus acies ponimus, ideo semper per caritatem uniti, et nunquam per discordiam interrupti esse debemus, quia si quelibet in nobis bona fuerint, caritas si defuerit per malum discordie locus aperitur in acie unde ad feriendos nos ualeat hostis intrare, unde ut uehementius commendaretur societatis humane unitas, uinculoque concordie scilicet non solum nature similitudine uerum cognationis affectu omnes nececerentur, uoluit Deus ut ex uno homine diffunderetur genus humanum, ait Augustinus xii. De ciuitate dei capitulo xii. Caritas multos animos unum et multa corda unum facit, ait Augustinus Super iohannem omelia viii.

Capitulum tertium: Quod fideles debent se mutuo supportare

Mutuo ergo fideles debent sibi compati in malis sicut membra unius corporis i. Corinthios xii.: Si patitur unum membrum compatiuntur et cetera. Et similiter se iuuare mutuo, prout exemplificat ibidem, et subsidia indigentibus ministrare, i. Iohannis iii.: Qui habuerit substantiam huius mundi, et uideat fratrem suum necesse habere, et clauerit uiscera ab eo quo, caritas Dei in eo. Et se mutuo supportare sicut lapides in edificio prime Petri secundo. // Ipsi quoque tanquam lapides uiui coedificamini. Lapis enim in edificio alium supportat, ait Gregorius Super ezechielem libro ii. omelia i. Sic et fideles facere debent, ut ait ibidem Ezechielem iiiii., supportantes inuicem in caritate.

Capitulum quartum: Qualiter sancti anti qui pro salute proximorum laborabant

Ideo et sancti antiqui et martires laborauerunt, et se morti exposuerunt pro salute fratrum, et animas posuerunt ut dictum est, et etiam se uendiderunt infidelibus, ut eos conuerterent et ducerent ad deuotionem et unionem caritatis. Sicut narratur de Serapione, qui et Sindonius dicebatur in libro qui dicitur paradisuus patrum: Quod se uendidit paganis precio xx. solidorum, et eis seruiuit donec Cristianos eos fecit. Cunque recederet pecuniam dedis eis, et cum dicerent ut eam pauperibus daret, respondit: uos eam dater quia uestra est, ego alienas peccunias non do pauperibus. Ibidem legitur: Quod alius uendidit se uni de primatibus ciuitatis, quem cognouit Manicheum esse, seruiuitque ei donec eum conuertit. Sic et alii sancti laborauerunt et sustinuerunt pro salute fratris. Sicut Paulus qui ait ii. Corinthios ultimo: Ego libentissime impendam et superimpendar pro animabus uestris ii. Corinthios ultimo: Mirum ergo est, quo se dicunt habere caritatem perfectam, qui nec fratribus mala patientibus compatiuntur, nec proficientibus gaudent, nec egenis subministrant de suis superfluitatibus necessaria, de quibus uerificatur quod ait

apostolus. Habentes quidem SPEM (PAGE 186) caritatis uirtutem autem abnegantes, ii. Thimoteum iii.: De his et pertinentibus ad predicta debet predicator diuinus conferre cum fidelibus et cetera.

Sexta distinctio [secunde partis]

Capitulum primum: De colligatione ciuili de dilectionis unitate quam debent habere ciues, et qualiter

Deinde prosequendum est de colligatione ciuili siue cohabitatione, de ammonitione eorundem ad debitam obseruationem pacifice cohabitationis, et mutue beneficentie, et cauende malificentie, ex quo communicant quasi eandem habitationem, et eisdem legibus reguntur, et eodem dominio gaudent, et eodem ritu uiuunt, et consuetudines easdem communicant, et easdem artes sepe exercent. Admonendi igitur sunt ad dilectionis proximi ueritatem Mathei xxiii.: Diliges proximum tuum sicut teipsum, proximus autem non sanguinis propinquitate sed rationis societate pensandus est, // Augustinus xxiiii. epistola. Et idem De disciplina cristiana capitulo i.: Proximus omnis homo homini est tam conditione nature, quam confessione religionis. Sed ad dilectionem proximi, pertinet innocentia qua nulli nocemus, et beneficentia qua prosumus quibus possumus. Ait Augustinus, De mendatio: Colligati ergo ciuili cohabitatione, quales sunt uicini et proximi, monendi sunt ne uicinis suis noceant, nec iniuriando in personam, nec spoliando in possessionibus suis, rapinam apertam uel occultam faciendo, uel ledendo infamia, de quibus omnibus Leuitici xix. ubi dicitur: Non facias calumniam proximo tuo, nec ui opprimas eum. Et sequitur: Non maledices surdo, nec facies quod iniquum est, Prouerbiorum xxiii.: Nec attingas paruulorum terminos. Sequitur: prorsus eorum fortis est.

Capitulum secundum: Qualiter debent sibiipsis subuenire

Sunt enim admonendi, ut econtrario indigentibus uicinis subueniant, oppresos liberent, desolatos consolentur, et sic de aliis operibus misericordie et beneficentie. Talis erat Iob uicinis suis, Iob xxix.: Eo quod liberasset pauperem uociferantem. Sequitur: cor uidue consolatus sum. Et post: conterabam molas iniqui. Et xxx. capitulo: Flebam quondam super eum qui afflictus erat. Hec sunt officia et opera boni uiri, de quo Augustinus iiii. De ciuitate dei capitulo xv.: Felicitas maior est uicinum habere concordem quam malum subiugare bellantem. Ille enim ciuis siue cohabitator est bonus qui omnibus est innocens, nulli malum faciens, et omnibus uicinis bonum faciens, talis est multum Deo acceptus. Et de tali in exemplum aliis narratur In uitis patrum libro i. post medium ubi dicitur: Quod abbas Paphnucius supplicabat Deo, ut ostenderet sibi cui similis esset in terris, ad quem uox uenit quod esset similis premario illius uici. Quod audiens uenit ad domum illius. At ille: cui moris erat suscipere hospites occurrit ei et introduxit eum in domum suam, a quo inter epistolas quesiuit ille quod erat studium eius, dicens sibi reuelatum esse a Deo quod dignus esset consortio monachorum. At ille minora de se dicens, ait: Nullius boni michi conscius sum, quia tamen uerbum Dei ad te factum est, dico tibi quod xxx. anni sunt ex quo sum continens et uxor mea similiter. Suscepi enim tres filios quorum causa solummodo cognita a me fuit. Sequitur: Hospites suscipere nunquam cessauit, nec alicui

permisi habere ante me in uilla, nullum de domo mea dimisi sine uiatico, pauperem non despexi, que fuerunt Dei necessaria tribui, contra iusticiam // personam non accepi, alieni fructus non intrauerunt domum meam. Litem si uidi non preterii quin pacificarem, nullus deprehendit famulos meos in culpa, greges mei non leserunt alienos, uolentes seminare in agro meo non prohibui, quantum in me fuit non premisi ut petentior infirmum premeret, studui ut neminem contristarem, iudicium si apud me fuit neminem condemnaui. Hec audiens sanctus osculans eum benedixit ei, et ait: bene tibi quia hoc impleuisti, unum deest tibi, ut cuncta dimittens sequaris Dei sapientiam. Et statim secutus est eum pergens ad heremum, et uenientes ad fluuium nullum habentes nauigium, dixit ei sanctus, ut intraret aquam pedibus secum que uix ad latera uenit, et collocauit eum in cellula iuxta monasterium, formam ei uiuendi tradens. Qui priores labores labores prauos repurans, uiriliter se exercuit, et mortuus est cuius animam uidit sanctus inter choros angelorum dicentium, beatus quem elegisti et assumpsisti. Predicator ergo debet hortari uicinos ad predicta opera proponens eis uitam Iob, et uitam istius in exemplo. De tali uicino uerificatur illud Prouerbiorum xxvii.: Melius est uicinus iuxta quam frater procul. Qualiter autem uicinus siue cohabitator debet cauere calummam iniustam, dictum est parte prima ubi de iudicio. Et ibidem dictum est, qualiter cauere debet ab iniusta calumma uel rapina euidenti et aperta.

Capitulum tertium: De cauendis fraudibus in mercaturis

Et non solum sufficit ei cauere ab aperta malicia siue rapina uel spoliatione proximi, nisi caueat ab occulta sophistica et fraudulenta qualis est in mercaturis et contractibus usurariis. Ut enim ait Augustinus xiii. De ciuitate dei capitulo iii.: Omnes uolunt uiliter emere et care uendere. Introduxit enim ibi facetissimam urbanitatem cuiusdam mimi dicentis in theatro se scire quid uellent omnes, et cum die statuto conflueret maior multitudo, silentibus omnibus et suspensis dixisse perhibetur, uiliter uultis emere et care uendere, quod omnes inuenerunt in suis conscienciis. Et quia sic est, multe fraudulentie fiunt in mercaturis, uel occultando defectus et uicia rerum, et ostentando apparentias que non sunt in eis, uel mensuras dimmuendo, mutilia commiscendo, et sic de aliis fallaciis que sunt in talibus, propter quod precipit Dominus, Leuitici xix.: Statera iusta, et equalia uel equa sint pondera, iustus modius, equus sextarius. Et Prouerbiorum xx.: Abhominatio apud Deum pondus et statera // dolosa non est bona, qui talibus fraudulentis uicinos seducunt thesaurizant thesauros iniquitatis, Michee vi.: Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis et mesure minores ire plena, et non solum fraudulentie regnant in talibus, sed mendacia, periuria, falsa testimonia, impia hortamenta. Ex predictis apparet quare est periculosum mercari. Ideo propheta ubi supra: Nunquid iustificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, et habitatores in ea loquebantur mendacium, et lingua fraudulenta in ore eorum. De hoc Tullius multum libro iii. De officiis capitulo xii. Et ibi inquit an uir honestus debeat patefacere uicia rerum in uenditione an celare, et inducit ibi sententias philosophorum contrarias. Aliud inquit uidebatur Dyogeni: Babilonio magno, et graui Stoyco, aliud antipatro eius discipulo homini acutissimo. Antipatro omnia patefacienda uidebatur, cum homo homini consulere debeat, et seruire humane societati, et ea lege natus sit homo, et utilitas cuiuslibet sit utilitas communis. Dyogeni uidebatur contrarium, non oportere uenditorem scilicet uicia dicere, nisi quantum constitutum sit iure ciuili, cetera sine

insidiis agere, qui enim uendit uellet uendere optime. Et uendo meum non plus uel pluris quam ceteri, cui ergo iniuriatur. Iterum superaddit antipater uel antipater quod emptorem pati ruere, et per errorem in fraudem incidere plus est quam uiam non ostendere, quod tamen scilicet uiam monstrare sancitum sit Athenis publicis exercitationibus, et ibi multum de eorum disputatione. Unde Dyogenes: Quid stultius quam uenditorem uicia rei quam uendit narrare et quasi preco predicet, domum pestilentem uendo et cetera. Ad contrarium uero arguit Antipater: Quod nisi sic fecerit iniuste et improbe facit. Unde concludit Tullius: Quod in dubiis causis ex alia parte defendit honestas ex alia utilitas, quasi diceret, scilicet honestum est narrare uicia rei uendende, utile uero non publicare. Unde sequitur: Hoc celandi genus quis non uiderat, certe non experti, non simplices, non ingenui, non iusti, non boni uiri, sed uersuti potius, obscuro, astuti, fallacis, callidi. Et introduxit ibi de quodam qui uoluit emere ortum ad inhabitandum, quod cum intellexisset uenditor, fecit uenire piscatores in nauiculis tempore cene cum ciborum multitudine, quod cum alius admiraretur. Respondit ille: Quod de illo loco erat Syracusis quicquid esset piscium, quod alius audiens carius emit ortulum, et cum postera die nichil tale uideret, admiranti de hoc dixerunt. // Alii quod nec ibi consueuerunt esse piscatores, et ita fuit dolus ibi, quia aliud fuit actum aliud simulatum, dolus autem legibus uindicatur. Per contrarium narrat ibi post de alio, cum postulasset ut sibi fundus uenderetur, et uenditor precium possuisset, dixit se plus uel pluris estimare quam quod uenditor petebat, et addidit centummilia, et de hac materia multum ibi. Ideo concludit captulo xvi.: Quod aliter leges, aliter philosophi colunt astutias. Leges quantum manu id est in iudicio tenere possunt, philosophi quantum ratione et intelligentia. Racio enim postulat ne quid insidiose, ne quid simulatorie, neque fallaciter fiat. Et istud concordat magis legi diuine, ut non decipiat scienter fidelis proximum suum. Et ideo multa pericula concomitantur uenditiones et emptiones, Ecclesiastici xxxvii.: Cum negociatore tracta de contractione, et cum emptore de uenditione scilicet dirigendo eos. Et xxvii.: Inter medium emptionis et uenditionis angustiabitur peccatum. Moneantur ergo a predicatore diuino tales, ut a peccatis caueant in suis officiis.

Capitulum quartum: De non accipiendis usuris a uicinis

Similiter sunt ammonendi uicini a fraudulentia usurarum scilicet ut mutuo accomodent uicinis suis absque usura prout precipitur Exodi xxiii.: Nec usura opprimes eum. Et Leuitici vi.: Pecuniam tuam non dabis ad usuram. Et Deutonomii xxxiii.: Non fenerabis fratri tuo ad usuram. Ezechielem xiii.: Ad usuram non accomodaueris. Idem xxii.: Est autem usura secundum hostiensem quodcunque quod solutionem rei mutuate excedit, ipsius rei usus gracia, pactione interposita, uel hac intentione habita in contractu uel exactio ne habita ex post facto. Luce vi.: Mutuum dantes et nichil inde sperantes. Hoc enim gratuitum est ante Deum, uicino indigenti mutuare ad releuationem sue necessitatis cum non possit gratis dare, ut ait propheta: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Unde narratur libro i. Hystorie tripartite de Spiridone episcopo: Quod eius mos erat ex fructibus alios dare pauperibus, alios mutuare, nec per se dabat, nec per se recipiebat, sed petentibus dicebat ut quantum opus haberent tollerent, et denuo redeuntibus ut reponerent quantum se accepisse nouerant, ad quem accessit aliquis et sic mutuum accepit, et reuersus non reposuit quod acceperat sed afferens secum abscessit estimans episcopum hoc latere, et iterato uenit idem petens mutuum, quem episcopus misit ad horreum ut ac

ciperet, ad quod ueniens totaliter inuenit uacuum. Quod cum narrasset // episcopo, ait ille: mirum est quomodo tibi soli uisum est uacuum et non aliis sed uide ne quod aliis mutuatus es soluisti, ac ille sic captus quod deliquerat episcopo indicauit, et se subiecit uoluntati eius. Ex his patet predicti episcopi caritas in mutando et mutationis apud Deum acceptabilitas et infidelitatis in restituendo detestabilitas. De usure uero incommoditatibus et nocuentis sufficienter narratur in summa de uiciis, et ideo hic obmittendum. Et de usura multum loquitur Ambrosius libro iii. De officiis, ubi ait: Cur ad fraudem conuertis nature industriam, cur affectas inopiam, cur optas pauperibus sterilitatem, fles publicam fertilitatem, exploras quando sterilior prouentus, hanc uocas industriam que est calliditatis uersutia, fraudis astutia, et quod tu remedium uocas cimmmentum est nequicie, latrocinium hoc an fenus appellem, captantur tanque latrocinii tempora in quibus uiscera hominum durus insidiator obrepas, cui condite frugis multiplicatur usura. Quid imprecaris male hominibus lucrum tuum damnum putatum uel publicum est. Ex his pater quam detestanda est usura in Christianis, que quidem fuit prohibita in Iudeis, scilicet ne accomodarent fratribus suis ad usuram, Deutronomii xxi. Et de hoc Augustinus epistola xxvi.: Quid dicam de usuris quas leges et iudices iubent reddere aut crudelior est qui aliquid diuiti subtrahit quam qui trucidat pauperem fenore. Et sequitur: hec atque huiusmodi male possidentur, et uellem quod restituerentur, sed non est quo iudice repetantur. Et de hoc Crisostomus super Matheum omelia v. in fine: Mutuo da, ampliores cape usuras, mutuo da, accepturus scilicet ubi nulla inuidia, nulla accusatio, nec insidiatio neque timor, mutua nullo indigenti scilicet Cristo, et propter te necessitatem habenti esurienti et omnes nutrienti. Hec enim scilicet usure regnum, ille Iehennam preparant, hec sunt philosophie et misericordie, ille auaricie et crudelitatis. Quam ergo habemus occasionem siue excusationem, cum at ampliora possumus suscipere et in tempore oportuno scilicet dando pauperibus, hic uilia et fallacia, si tamen damus. Et sequitur: Nichil usuris turpius, nichil crudelius, alienas hic negociatur miserias, et lucrum suum alterius aduersitatem facit. Et ponit exemplum: Quod talis est quasi in nauem suscipiens, et in naufragio expellens. Et post: Nolite usuram accipere sed a Deo mercedem, et erit magna pro paruis. Et ibi bene de hoc Luce xvi.: Facite uobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in eterna tabernacula // magna ergo dementia a pauperibus uicinis usuram accipere, et contra omnem legem tam naturalem quam scriptam, quam euangelicam, quam etiam contra omnem creature innatam bonitatem, que quidem creatura omnibus se gratis communicat sicut, lux, ignis, aqua, terra, et ad cumulum pene eterne non dare ad usuram spiritualem erogare elemosinas pauperibus pro regno eterno, ymmo quod plus est, dare ad usuram malo animo idem est quod pauperes trucidare ut dictum est. Unde Tullius libro i. De tusculanis questionibus: Cum quereretur a kathone quid expediret in refamiliari, et responderet bene pascere, bene uestire, bene ornare uel arare. Et cum quereretur an fenerari scilicet expediret respondit: quid est hominem occidere quasi diceret, fenerari est occidere scilicet subtractione necessariorum.

Septima distinctio [secunde partis]

Capitulum primum: De colligatione amicabili. Quid sit amicicia, et qualis debet esse.

Deinde uidendum est de colligatione amicabili, qualis est inter amicos, que quidem debet esse amicicia uera et non ficta, de qua ficta dictum est supra parte prima de uiciis

curialium. Et de hoc Ieronimus epistola xlv., per totum. Debet ergo esse uera amicitia non ficta, que scilicet nunc est uera quando est unanimes consensus in rebus honestis, quia ut ait Tullius libro De amicitia. Et idem Augustinus xlv. epistola: Amicitia est diuinarum humanorumque rerum cum beniuolentia et caritate consensus. Unde Tullius ibidem: quod beniuolentia est amicitie fons.

Capitulum secundum: Que exiguntur ad ueram amicitiam

Sunt ergo amici ammonendi ut unanimiter consentianter in honestis et licitis, quamuis aliquis eorum sit superior dignitate uel statu, quia ut ait Tullius ibidem. Maximum est in amicitia superiorem parem esse inferiori scilicet condescendendo. Unde amicus dicitur quasi animi equus, quia equali nobis uoluntati coniungitur, ait Cassiodorus super Psalmo xxxvii. Talis amicus fuit filius Dei, qui cum esse super omnes tamen in medio discipulorum fuit sicut minister, Luce xxiii. Et Iohannis xv.: Iam non dicam uos seruos et cetera. Talis amicitia non potest esse nisi inter amantes se ueraciter, prout ait Augustinus iiii. Confessiones. Non est enim uera amicitia nisi conglutines eam inter coherentes tibi uera caritate, loquitur ad Christum. Unde Tullius ubi supra: Amor ex quo amicitia est nominata, princeps est ad coniungendam amicitiam. Item in amicitia // debet esse mutua compassio, quia ipsa est beniuolentia in compassis non latens, ait Philosophus Ethicorum viii. Unde et ibidem: Consiliarius amicus et cetera. Vere enim non cognoscitur in bonis amicus, nec in malis absconditur inimicus, Ecclesiastici xii. Iob vii.: Qui tollit ab amico misericordiam timorem Dei relinquit. Cum enim in amicitia unus sit ex pluribus ut ait Tullius libro De officiis capitulo xvii. Et hec sit lex amicitie, non minus nec plusquam se diligere, ait ibidem, merito debet esse mutua compassio. Unde Augustinus libro Confessiones: loquens de amico mortuo, et eum plangens ait, dimidium uite mee. Et Seneca epistola centesimaprima obiurgans plangentem filium ait. Quid inquit faceres si amitteres amicum ex quo plangis paruulum qui est incerte spei. Item in amicis debet esse sedula sollicitudo de salute, de honore amici, et utilitate, quia ut ait Tullius ubi supra De amicitia ante finem. Monendi sunt amici sepe et obiurgandi, et hec accipiendo amice et beniuole. Unde et sequitur: Habendum est in amicis nullam pestem esse maiorem quam adulatoriam blanditiis assertionem, et post: Cum omnium rerum simulatio uiciosa est, tollit enim iudicium ueri id est qui adulterat, cum amicitie repugnat maxime. Delet enim ueritatem, sine qua nichil amicitie ualere potest, et ibidem: uirtus conciliat amicitias. Hinc Augustinus ix. Confessiones: Sicut amici adulantes peruertuntur, sic inimici litigantes corriguntur, multo magis amici suo modo litigantes. Item in amicitia debet esse munifica et mutua communicatio, tam cordium siue interiorum conceptionum, quam amicabilium collationum, quam officiorum et ministeriorum quam rerum. Unde Commentator ix. Ethicorum: In principio prouerbiu est de amicis, quam una anima et omnia communia. Cum enim amicus prebeat cor amico suo, ut ait Tullius De amicitia ubi supra: Ea uis amicitie est ut unus quasi amicus fiat ex pluribus. Et Augustinus iiii. Confessiones: Quod amicitia est dulcis propter unitatem ex multis amicis, equitas dictat quod communicet ei omnia sua. Unde Tullius ubi supra: Ex his finibus utendum arbitror, ut cum emendati amicorum amores sint inter eos, sit omnium rerum consiliorum et uoluntatum sine ulla exceptione communitas, cum uerecundia et reuerentia que semper tenenda est in amicitia, ut enim ait ibidem: Prima lex amicitie est, ut ab inimicis honesta petamus, et amicorum causa honesta faciamus. Et idem Tullius De officiis ubi supra: Nec

contra rempublicam nec contra iusiurandum amici causa uir bonus faciet, nec turpia facienda causa amici. Et de hac amicitia Tullius libro De amicitia per totum. Et philosophus Ethicorum, viii. per totum. Valerius // libro iiii. capitulo vi. ubi ait: Contemplemur uinculum amicitie potens et preualidum, nec ulla ex parte sanguinis uiribus inferius, hoc etiam certius et exploratius, quod id nascendi sors fortuitum opus, hec uniusquisque solido iudicio incoacta uoluntas contrahit. Et ponit exempla ibi de amicis quorum unus petiit occidi cum amico occiso. Similiter ponit exemplum de aliis quorum unus subiecit se hosti pro alio. Similiter de duobus, quorum nomina Amon et Phitias, Arbihaman et Pychyas, de quibus ait: ut cum Dyonisius tyrannus unum uellet occidere, dum ille iret ad res suas ordinandas, alius dedit se uadere pro eo, et rediit alter hora assignata, quorum animum tyrannus admiratus, supplicium inuidie remisit. Insuper rogauit eos, ut se reciperent in tertium gradum soliditatis et enumerat ibi uires amicitie scilicet contemptum mortis ingerere, uite dulcedinem extinguere, curdelitatem mansuescere, et sic de aliis. Et de hoc Augustinus x. Confessiones, loquens de amico mortuo. Et nescio inquit an uellem etiam pro illo scilicet mori, sicut de horiste et pliade traditur, si non fingitur: Quod uellent pro inuicem uel simul mori, quia morte peius erat eis non simul uiuere.

Capitulum tertium: De ficta amicitia et propter que dissoluitur

Predicator ergo conferens cum amicis, dissuadeat fictas amicitias que sunt secundum accidens et facilius solubiles. Dissoluto enim eo propter quod amici sunt dissoluitur amicitia prout dicitur Ethicorum viii. In senibus est amicitia propter utile, in iuuenibus propter delectabile, ut ait ibidem, et suadeat ueram amicitiam que non est uera nisi sit conglutinata caritate ut dictum est, ait Ieronimus lxxxviii. epistola. Et concursus sensuum, et unitas uoluntatum, et quasi riuuli amicitie scaturizant, ait ibidem. Et sic idem uelle idem nolle dulcissimum est et honestissimum, ait Seneca epistola xi. Et hec amicitia est preciosissimum genus diuitiarum, ait Boecius ii. De consolatione in fine. Et merito, quia amicus habet omnes suos amicos et omnia sua ac possidet, et sic facit eum diuitem et inexpugnabilem, sicut dicit Crisostomus super Iohannem omelia lxxxviii. dicens: Quod unus scilicet amicus multiplex est. Si enim unanimes fuerint decem uel duo, non unus est quasi unus scilicet tantum sed decies multiplicatus unusquisque eorum, et inuenies ibi in x. unum et in uno x. // et si inimicum habuerint uni inimicatur, et decem inimicitias capit, et si unus pauperatur sibi non est inopia, sed maiori parti id est decem habent libertatem, unusquisque habet xx. pedes, et xx. manus, et xx. oculos. Non enim suis solum oculis uidet sed et his qui aliorum, non suis pedibus sed et aliorum, non suis operatur manibus sed et aliorum, sed et decem animas habet que pro se sollicite sunt. Si uero fuerint facti amici mille te duo milia idem erit. Vides amoris superhabundantiam, qualiter inexpugnabilem facit unum et multiplicem, qualiter unus et ubique potest esse, idem in persona, multiplex in amicitia, idem in Perside et in Roma, et quod natura non potest amor potest. Et sequitur: Si mille habuerit amicos uel duo milia ut dictum est idem erit. Et post: Si decies millesies fuerint, diues nudus consistit sine amicis, sed si inopes fuerint scilicet amici, diuitibus uberiores existunt, et que ipse pro seipso dicere non temptat hec amicus dicet, et quicumque non potest sibiipso largiri per alium poterit et multo ampliora. Et subdit: Non est pati male a tot armigeris custoditum, non enim tales regis corporis custodes tam diligentes ut hi, nam illi necessitate et timore custodiunt hi uero deuotione

et amore, hec ille, et ibi multa elegantia de hac materia. De hac eadem Ambrosius iii. De officiis in fine: Pietatis custos amicitia est et equalitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat equalem inferiori superiori. Inter enim disperes mores non potest esse amicitia, ideo debet conueniri gratia utriusque, nec auctoritas desit superiori, nec humilitas inferiori. Laudanda est ergo uera amicitia et fideliter obseruanda. Quia ut dicit Tullius de amicitia ubi supra. Solem de mundo tollere uidentur hi, qui amicitiam e uita tollunt.

Octaua distinctio [secunde partis]

Capitulum primum: De colligatione sociali in conuictu. Quod homo debet esse socialis

Et non solum sunt ammonendi amici de ueritate amicitie qui sunt colligati, sed etiam socii sunt admonendi qui sunt colligati sociali communione. Ut enim ait Hugo: Socins dicitur uel socco quasi in una caliga siue hospicio manentes uel sequor, et est socius proprie in periculo, collega in officio, comes in itinere, consors in premio, sodalis in mensa uel sede. Quocunque modo sumatur societas, homo debet esse socialis, quia homo est animal non solitarium sed policitum et comunicatiuum, ait // Commentator Ethicorum vii. Et Seneca De beneficio capitulo xiiii.: Quod hominem non unguium uis nec dentium terribilem ceteris fecit nudum et infirmum societas cingit et munit, duas res dedit ei Deus, que illum ceteris obnoxium ualidissimum facerent rationem et societatem. Et sequitur: Societas illi Dominum animalium dedit, societas terris gentium in aliene nature transmisit imperium, et dominari in mari iussit, et multa ibi.

Capitulum secundum: Quod malorum societas est uitanda

Tamen societas malorum uitanda est, Prouerbiorum xxii.: Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum uiro furioso ne forte discas semitas eius, et sumas scandalum anime tue. Unde Gregorius Super ezechielem libro i. omelia ix.: Infirmi debent uitare societatem prauorum, ne mala que frequenter aspiciunt et corrigere non ualent delectentur imitari. Et ponit exemplum, sicut aer malus assiduo afflatu tractus inficit corpus, ita peruersa locutio assidua audita inficit animum, corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, ii. Corinthios xiiii. Unde Seneca epistola vii.: Unum exemplum luxurie, unum exemplum auaricie, multum mali facit. Conuictor delicatus enumerat et emollit, uicinus diues cupiditatem irritat, malignus comes rubiginem suam affricuit. Et sequitur: necesse est ut aut imiteris tales aut odieris, et utrumque duitandum, ne uel similis malis fias, quia multi sunt, ne uel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Et epistola cvii.: Herebit tibi auaricia quamdiu auaro sordido te coniunxeris, herebit tibi tumor quamdiu cum superbis conuersaberis, intendunt libidines adulterorum sodalia. Cum sancto enim inquit Psalmos, sanctus eris, et cum peruerso peruerteris. Et i. Corinthios vii. et x.: Nolo uos socios esse demoniorum id est grifonicorum. Et ii. ad Corinthios vi.: Que societas lucis ad tenebras et cetera. Nolite commisceri cum fornicariis, societas uero est cum bonis ineunda. Unde Seneca ubi supra: Ad meliores transi cum Socrate uiue, cum Zenone, cum Crispo uel Crisippo, cum Possidoni, o, qui tibi tradent diuinorum humanorumque noticiam, hi iubebunt in opere esse, ut non tantum scias eloqui et in oblectatione audientium uerba iactare sed et animum indurare, et aduersus minas te erigere, et ibi bene de hoc. //

Capitulum tertium: Quod bonorum societas est appetenda

Sicut ergo quilibet uitare debet societatem malorum, sic debet appetere bonorum, et in hac societate debet esse caritatiue affectio in quibus diligit alium in ueritate, nec fiat tantum amicus et socius mense, ut dicitur Ecclesiastici vi. Ideo Augustinus iiiii. Confessiones: uocat socium uel amicum dimidium uite sue. Ad Philippenses ii.: Si qua societas spiritus. Item debet esse unanimes consensio. Et alibi: facit esse unius moris in domo. Item debet esse mutua subleuatio et nociui ab utroque repulsio, et adiutorii prompta collatio. De quibus omnibus, Ecclesiastici iii.: Melius est duos esse quam unum habent enim emolumentum sue societas. Si unus ceciderit ab altero subleuetur. Et ideo sequitur: Ve soli et cetera. Item debet utriusque esse ab altero ueneratio mutua, et superioris cum inferiori purificatio ad Romanos xii.: Honore inuicem preuenientes. Unde narrat Valerius libro iiiii. capitulo vi.: Quod cum Allexander cum Episcene sibi gratissimo uenisset ad castra Darii, et mater Darii captiuauit Episcenam, quia forma et statura prestabat Allexandro, more persarum adulta, illum salutauit tanquam Allexandrum, et cum admonita de errore per trepidationem uerba excusationis quereret, respondit Allexander. Nichil est quod hoc sermone confundaris, nam et hic est Allexander, paucis uerbis, ut ait Valerius cum comite suo partitus est. Ideo Ecclesiastici xiii.: Ditori te ne socius fueris id est ei qui dedignatur condescendere, et se parificare socio. Unde Seneca epistola 92.: Penes deos imperium, inter homines consortium, homo est animal sociale primo de animalibus. Item debet esse pia compassio et benefica supportatio, ut ait Seneca epistola x. capitulo vii. Societas nostra similis est formationi lapidum, et domui testudinate, et cum arcibus facte que casura est nisi inuicem obstarent, hoc enim ipso sustinetur. Et consimile exemplum Gregorius ubi supra de amicitia. Et superaddit Gregorius: Quod si ego mores tuos non supporto, et econuerso, nunquam edificium caritatis consurget inter nos ad Gallatos vi. Alter alterius onera portate. Super quod Augustinus bene et multum, 83. questionem 7. ubi ait: Nichil probat amicum quemadmodum oneris amici portatio. Et ponit exemplum de loquacibus pertinacibus et iracundis: Quod unus debet supportare alterius infirmitatem, scilicet quantum potest absque peccato, et exemplificat de ceruis transeuntibus aquam, quorum priores portant // capita aliorum in clunibus suis uicissini i. ad Corinthios i. sicut socii passionum, Apocalypsis i.: Ego pater uester, et socius in tribulatione. Sunt enim socii multi in prosperitate, pauci in aduersitate. Et de hac societate Ambrosius i. De officiis ubi dicitur: Quod ratio societatis diuiditur in duas partes iusticiam et beniuolentiam, siue liberalitatem et benignitatem. Prima excelsior, et secunda gratior, illa censuram tenet, ista bonitatem. Qualis autem debet esse societas scilicet seniorum et adolescentium, alii testimonio, alii solacio sunt, alii magisterio uel ministerio, alii delectatione. Exemplum de Iosue et Moyse, de Abraham et Loth, de Helya et Helyseo, de Paulo et Barnaba. Societatem his modis facit uirtus, que facit animum dignum, ut ueniat in consortium Seneca libro i. De naturalibus questionibus. Non enim potest esse salua societas nisi amore et custodia partium ait Seneca libro ii. De ira. Et Augustinus iii. Confessiones: Ea est societas hominum iusta que Deo seruit, Ecclesiastici xli.: A socio et amico de iniusticia erubescere si ficta est. Qualis autem debeat esse socius describit Bernhardus bene in meditationibus suis ubi ait: Amabilis socius est qui est omnibus officiosus et nulli

onerosus. Officiosus inquam quia ad Deum deuotus, ad proximum benignus, ad mundum sobrius et cetera.

Capitulum quartum: De his que societatem dissoluunt

Hunc dissoluit auaricia ut Ambrosius in Exameron omelia v., ponens exemplum de auibus rapacibus que non sunt sociales. Et ideo Seneca x. capitulo iiii. epistola: Auaricia et luxuria dissociare mortales. Et Tullius libro iii. De officiis capitulo vi.: Quod dissoluitur societas cum quibus queritur proprium commodum. Dissuadeat ergo predicator multorum consortium siue societatem efficaciter suadeat bonorum, et quod bonorum societas sit talis qualis descripta est.

Distinctio nona [secunde partis]

Capitulum primum: De uirtuali conuersatione cum aduersariis. Quod laudabile est bene uiuere inter malos

Et quia non sufficit fidei quod ordinate conuersetur, et uiuat cum his cum quibus est colligatus dictis modis. Sed oportet quod uirtuose uiuat cum his qui aduersantur, propter quod dicitur in laudem Iob: Quod uir erat in terra simplex et rectus. // Super quod Gregorius Moralium i.: Non multum laudabile est esse bonum cum bonis sed bonum cum malis. Et Ezechielem iii. dicitur: frater fui draconum. Unde Gregorius xx. ibidem, et Ezechielem iii.: Cum scorpionibus habitas. Ibi Gregorius libro i. omelia ix. idem. Ideo dicitur iustus Loth aspectu et auditur ii. Petri i. Quia bonus inter malos, Genesis xix. Philippenses ii.: In medio nationis prae et peruerse. Canticum ii.: Sicut lilium inter spinas. Sunt ergo fideles ammonendi, ut licet habitent inter malos iuste tamen uiuant declinando a malis eorum, ad Romanos ultimo: Declinate a malis. Et ut etiam diligant orent et benefaciant eis qui sunt inimici et persequentes, Mathei v.: Diligite inimicos uestros et cetera. Inimicus enim diligendus est ratione nature, odiendus ratione culpe, ait Augustinus Contra faustum xiii. et xix. De ciuitate dei capitulo vi. Perfecto inquit odio oderam illos. Idem Gregorius Pastoralis xxix.

Capitulum secundum: Quod per patientiam et beneficentiam uincuntur inimici

Sic enim debent fideles facere, ut sua beniuolentia, beneficentia, et longanimitatis patientia conuertant aduersarios, et reducant ad uiam iusticie et ueritatis. Propter quod precepit saluator, percutienti maxillam prebe aliam Mathei vi., id est ne uindictae potius quam patientie studeat, contemnat eterna pro temporalibus, cum potius temporalia pro eternis contemnenda sint, tanquam sinistra pro dextris, ut superius ait Augustinus epistola v. Et sequitur: Paratus debet homo esse pius et iustus, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos querit ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malicia se quoque numero addat malorum. Et licet aliquando iustus non sic fecerit in opere prebendo, scilicet maxillam percutienti aliam, tamen precepta patientie in cordis preparatione sunt retinenda ut ait ibidem Augustinus. Romanos xiii.: Noli uinci a malo sed uince in bono malum. Quod exponit beatus Augustinus ubi supra. Per beniuolentiam enim et beneficentiam reducutnur aduersarii ad pacem et concordiam, cum illis qui talia eis

faciunt. Si esurierit inimicus tuus ciba eum, si sitierit potum da illi, hec enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Et de hoc Valerius libro v. capitulo i. ubi loquitur de humanitate et clementia, ponens exemplum: qualiter per beneficentiam reducuntur aduersarii ad amiciciam, ut habitum est supra parte prima ubi de clementia principis ubi ait. Illa dulcedo humanitatis effera barbarorum // ingenia penetrat, et hostium mollit oculos, et inuictos insolentissimosque spiritus flectit. Nec illi difficile et arduum est, inter districtos mucrones placitum iter arripere uincit iram, prosternit odium, hostilemque sanguinem hostilibusque lacrimis miscet. Et de hoc Seneca primo De clementia libro capitulo v. ubi ponit exemplum de illo qui ex consilio uxoris benefecit aduersariis, et sic reduxit eos ad amicicie fidelitatem ut habitum est supra. Similiter de hoc Seneca libro De beneficiis capitulo iii. ubi ait: Quod per continuationem beneficiorum ingrati et aduersarii efficiuntur grati et amici. Ingratus inquit est aduersus unum beneficium, aduersus alterum non erit, duorum oblitus est, per tertium eorum que exciderunt memoriam reducet, ne cessaueris opus tantum perage, et partes boni uiri exequere, alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium preceptis salubribus adiuua. Et ponit exempla: Beneficia enim fere sentiunt, nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget et in amorem sui uertat, leonum ora a magistris impune tractantur. Elephantorum feritates usque in seruire obsequium demeretur cibus, a Deo etiam que extra intellectum et estimationem beneficii posita sunt, assiduitas autem meriti pertinaces euincit. Et sicut beneficia et beniuolentia humanas interdum mitigant iras, et reducunt ad amicicias sic et dulcia uerba Prouerbiorum xv. Responsio mollis frangit iram, et sermo durus suscitatur furorem. Ut enim ait Crisostomus super Mathuem omelia xvi.: Sicut ligna ignis materia sunt, sic quecunque loquitur quis in ira, facta sunt scilicet esca illius. Et ibidem dicit omelia xviii.: Quod ira debet uinci paciendo, ignis est enim. Sed ignis non extinguitur igne sed aqua, Ecclesiastici xxviii.: Certamen festinatum incendit lites. Et sequitur: Si sufflaueris quasi ignis ardebit, et si expueris extinguetur. De patientia autem qua sustinentur aduersa et inimicie, dictum est in breuiloquio de uirtutibus, ut supra parte prima ubi de patientia principis. De his colligationibus membrorum reipublice et de ammonitione eorum, diuinus predicator occasionem sumere test, conferendi cum eisdem.

Tercia pars: De informatione hominum quantum ad ea que omnibus sunt communia

Distinctio prima

Premissis occasionibus informandi sigillatim personas ex quibus consistit respublica quasi ex membris suis et deinde enumeratis colligationibus talium membrorum inter se. In hac tercia parte agitur de informatione predictorum quantum ad illa que sunt communia omnibus et singulis in quocunque fuerint ordine gradu uel officio quorum quedam sunt naturalia quedam contingentia. Et primo de his que spectant ad differentias sexuum, scilicet qualiter ammonendi sunt uiri et mulieres. Secundo de his que pertinent ad differentias etatis, scilicet qualiter ammonendi sunt infantes, adolescentes et senes. Tercio de his que respiciunt differentias conditionis, scilicet qualiter ammonendi sint nobiles et ignobiles. Quarto de his que spectant ad differentias complexionis siue dona naturalia, qualiter ammonendi sunt scilicet prediti donis naturalibus siue ex parte anime siue ex parte corporis, et qualiter ammonendi sunt minus prediti. Quinto de his que

respiciunt qualitatem uite, scilicet qualiter ammonendi sunt peccatores et penitentes. Sexto de his que pertinent ad differentias status, scilicet qualiter admonendi sunt uirgines, uidue et coniugate. Septimo de his qui spectant ad modum uite siue quantum ad possessiones, scilicet qualiter admonendi sunt diuites et pauperes. Octauo de his que spectant ad uarios successus, scilicet qualiter sunt admonendi in aduersitate et prosperitate, sanitate et infirmitate. Et licet sint alie multe differentie de quibus sunt homines admonendi quia beatus Gregorius sufficienter distinguit uarias ammonitiones secundum uarietates statuum et conditionum, ii. Pastoralium capitulo iiii. Et post instruit ibi qualiter sunt ammonendi diuites et pauperes, prelati et subditi et sic de aliis. Ideo de predictis differentiis nil ad presens.

Capitulum primum:

De informatione hominum quantum ad differentias sexus quales debent esse uiri

Primo ergo notandum quod uiri sunt admonendi ut sicut sunt uiri sexu. Ita sint uiri statu et effectu. Vir enim dicitur a uirtute eo quod debet uincere libidines, ait Augustinus libro sermonum iii. sermone. xiiii. Quod ait Apostolus i. Corin. xiii.: Quando factus sum uir euacuauit que erant paruuli. Item ut ait Salustius libro iii., Sic accepi mundiciam mulieribus laborem uiris conuenire. Viri enim est proprie fortitudo et a uiro dicitur uirtus, ait Tullius iii. Tusculan. questionum. Item ait Augustinus iii. de ciuitate Dei capitulo xxiii. // tractans illud Ennii poete: Moribus antiquis res stat Romana uirisque, dicit quod non sunt uiri nisi morigerati, id est habentes mores uirtuosos. Item uir debet principari, Ethicorum viii., sicut ait Apostolus prime ad Corinthios xi. quod uir est caput mulieris. Illi ergo sunt uiri qui uincunt libidines et uirtuosis operibus laborant et uirtuosis amoribus sunt ornati et ordinate regunt uires inferiores et appetitus carnales, de quibus Iob xxiiii. de ciuitatibus fecerunt uiros gemere, super quod Gregorius moralium xxvi. quod uiri sunt qui perfectis gressibus per uiam Dei non fluxe et eneruit sed uiriliter currunt. Et Iob xxvi.: Cucurrerunt uiri, ibi Gregorius moralium xxvii.: Viri perfecte uite homines memorantur, et Iob xxxvi: Accinge sicut uir lumbos tuos. Ibi Gregorius moralium xxxiiii. scriptura sacra: Viros uocare consueuit qui nimirum dominum fortibus et non dissolutis gressibus sequuntur. Illi ergo qui uiri sunt sexu studeant ut sint uiri actu et effectu quia horribile est quod sint uiri sexu, et tamen femine uel effeminati effectu. Viriliter, inquit Psalmista, agite et confortetur cor uestrum. Prouerbiorum viii.: O uiri ad uos clamito, super quod Gregorius moralium xxviii.: Ego non feminis sed uiris loquor quia hi qui fluxa mente sunt, mea uerba percipere nequaquam possunt. Carnalis enim uoluptas et feminea mollicies aut fluxa leuitas et desidiosa ociositas effeminant. Ideo dicitur de domo uoluptatis quod non est uir in domo eius, Prouerbiorum vii. Unde et uoluptas carnalis potest assignari per fontem salmacis, cuius unda ut in fabulis dicitur aspectu decora, gustu dulcis, tactu suauis et omnium sensuum usui gratissima. Sed tanta mollicie ingredientibus eneruat ut uiris effeminatis nobiliorem sexum adimeret nec ante quisquam egreditur quam stupeat et doleat se mutatum esse in feminam. Et de hoc Pollicratus libro quinto capitulo decimo: Et quia multi balneant se in fonte uoluptatis. Ideo multi sunt effeminati. Naum tercio: Ecce populus tuus mulieres in medio tui. Et non solum uerificatur hoc de populo et personis infimis sed etiam de maioribus, Ysaie tercio. Effeminati dominantur eis quia effeminati multa mala faciunt, propter quod dicitur Regum tercio capitulo ix: Effeminati fuerunt in terra feceruntque omnes abhominaciones.

Capitulum secundum: De instructione mulierum quantum ad sobrietatem

// Et non solum uiri sunt ammonendi his modis, sed etiam mulieres communiter ammonende sunt ut uiuant uirtuose secundum statum suum, scilicet ut subiecte sint uiris, sicut docet Apostolus prima Corinthios xiiii.: Ut sint tacite non loquaces, sicut monet Apostolus prima Corinthios ix.: Mulieres in ecclesia taceant. Et ut non sint ociose uel uage, uel curiose loquentes, sicut monet prima Timothei v.: Reprehendens illas qui sunt tales et ex consequenti dissuadens. Item ammonende sunt ut non sint uane et ornantes se ad ostentationem, sicut monet beatus Petrus prima Petri tercio: Mulieres sint subdite uiris suis, sequitur: Quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri aut indumenti uestimentorum cultus. Specialter autem sunt mulieres ammonende quod sint sobrie et moderate in alimentis et in cauendis in ebriatiuis quia ait Valerius libro ii. capitulo i.: Vini usus olim Romanis feminis ignotus fuit, scilicet ne in aliquod dedecus prolaberentur quia proximus a libero patre in temperantie gradus ad inconcessam uenerem esse consueuit. Mulier enim ebriosa ira magna et contumelia et turpitudine eius non tegetur, Eccli. xxvi. Econtrario est de multis, sicut recitat Seneca epistola x. capitulo ix. dicens quod maximus medicorum feminis nec capillos defluere dixit nec pedes laborare uel lauare atque nunc et capillis defluunt et egre pedibus sunt non mutata feminarum natura est sed uita. Nam cum uirorum latina uel legitima equauerint, corporum quoque uirilium in comoda equauerint; non minus peruigilant, non minus potant quinimo uino et oleo et mero uiros prouocant, et sequitur: Beneficium sexus sui, suis uiciis perdiderunt et quia feminam exuerunt, morbis implicate sunt. Quid ergo mirandum? Maximum medicorum in mendatio deprehendi cum tot femine podagre et calue sint. Magna ergo diligentia debent mulieres studeri sobrietati que est conseruatiua pudicicie. Sine enim mero et uino friget Venus, ait Comitus et recitat in eius epistola decimonono. Et Valerius libro tercio capitulo primo: Et debent cauere ab excessu in alimentis eo quod uentrem distentem cibo sequitur uoluptas genitalium. Ait Ieronimus xxi. epistola: Unde et antiquitus mariti precauebant ne uxores biberent uinum uel saltem ne excederent ut tactum est supra. Ut ait Valerius libro sexto capitulo tercio quod Metellius uxorem eo quod uinum bibisset fuste percussam interemit. Quod factum // non accusatore tantum sed reprehensore caruit, unoquoque estimante optimo exemplo, illam uiolate sobrietatis penam rependisse. Et sane quecunque femina uini usum immoderate appetit, omnibus uirtutibus ianuam claudit et delictis aperit. Ut ait ibidem: Et ad hanc sobrietatem ut scilicet sint mulieres perfecte, sobrie et caste debent ab infancia et iuuentute informari exemplo nutricis matris augustini, que erat in choercendis puellis, cum opus esset, sancta uirtute uehemens atque in docendis sobria uehementia. De qua narrat Augustinus ix. confessionum circa medium quod erat decrepita que propter senectam et optimos mores honorabatur et curam filiarum gerebat, scilicet matris augustini et alterius scilicet ancille, que nutrix non permittebat eas preter horas quibus ad mensam parentum moderatissime alebantur, etiam si utreque exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat precauens consuetudinem malam et addens uerbum sanum. Modo, inquit, aquam bibitis quia in potestate uinum non habetis. Cum autem ad maritos ueneritis facte domine, apotecarum et cellariorum, aqua sordebit sed mos potandi permanebit; hac ratione precipiendi et auctoritate imperandi, frenabat auiditatem tenerioris etatis, et ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, ut iam non biberent quod non deceret. Et sicut ibi narrat mater sua, tunc puella ad mensam

parentum bibebat uinum de cuppa eorum. Et illa ad illud modicum more cottidiano addendo in eam consuetudinem prolapsa est ut plenos meri calculos inhianter hauriret, et cum ancilla cum ea litigaret, obiecit hoc crimen, uocans eam meri bibulam quo illa stimulo percussa, respexit feditatem suam confestimque damnauit et exiuit. Ideo clamat ibi Augustinus admirando misericordiam et prouidentiam Dei: Quid egisti Deus? Unde curasti? Nonne protulisti durum et acutum et ex altera anima conuicium tanquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis et uno ictu putredinem illam prescidisti? Et de alterius insania sanasti alterum. Educatio ergo et ordinata nutritio multum ualet ad tenendam perfectam sobrietatem.

Capitulum tercium: Quales debent esse mulieres quo ad castitatem

// Consimiliter sunt ammonendi mulieres de castitate et pudicicia seruanda ex quo eximius honor mulierum uirtuosus decor fame siue opinionis odor. Omnis enim ponderatio non est digna continentis anime, Eccl. xxvi., et sequitur: Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bone species inornatum domus sue. Et ibidem: Gratia super gratiam mulier sancta et puderata. Ut enim dicitur in tractatu de duodecim abusionibus, quintus abusionis gradus est femina sine pudicicia. Sicut enim omnes bonos mores procurat et custodit in uiris prudentia, sic et in feminis honestos actus fouet custodit et nutrit pudicicia. Et sequitur: Nanque impudica uita nec laudem ab hominibus in presenti seculo nec remunerationem a Deo speret in futuro, pudica uero famam bonam inter homines possidet et de spe future beatitudinis gaudet. Et de hac pudicicia multum Valerius libro sexto capitulo primo: Et uirorum et feminarum precipuum fundamentum pudicicia ubi ponit multa exempla de pudicis mulieribus quam sollicite fuerunt diligentes in custodienda pudicicia siue castitate que maluerunt uitam amittere quam pudiciciam ponens, exempla de multis ut de mulieribus que maritis occisis laqueis spiritum sibi eripuerunt de quibus supra ubi de amore coniugali. Et ibidem etiam narrat de Greca femina que cum hostium classe esset excepta ut morte pudiciciam tueretur se in mare abiicit cuius corpus littori appulsum et sepulture mandatum est. Manifestatum est et eius memoria Grecis laudibus celebranda. Ibidem narrat de Lucretia que quia a Torquinio regis superbi filio per uim stuprum pati coacta cum iniuriam suam in concilio necessariorum deplorasset, ferro quod ueste tectum attulerat se interemit. Similiter narrat de quodam qui filiam suam occidit eo quod Apius Claudius potestatis uiribus fretus stuprum eius expeteret. Maluit enim esse pudice filie interemptor quam corrupte pater. Ibidem narrat de alia muliere que pati stuprum coacta imperauit suis ut illum occiderent, interfectique caput abscisum manibus retinens ad coniugem uenit abiectoque ante pedes eius, iniurie et ultionis sue ordinem exposuit, huius femine quid aliud quisquam quam corpus in potestate hostium uenisse dicat. Nam nec animus uinci nec pudicicia eripi potuit. Narrat etiam ibidem de seueritate quorundam in ultione pudicicie, sicut de quodam qui postquam comperisset filie uirginitatem // a quodam perditam, non contentus solum illum affecisse supplicio, sed etiam puellam necauit, ita ne nuptias eius turpis celebraret acerbas exequias duxit. Et ibi de multis talibus mulctatis pena mortis deprehensis in adulterio et stupro. Et consimiliter de talibus narrat Ambrosius libro iii. de uirginitate ubi ait quod Pelagia apud Anthiochiam cum esset xv. annorum cum a predonibus se circumdari uideret absente matre et sociabus ait: Deus de remedio non offenditur et facinus fides alleuiat, fertur ornasse caput non ut ad mortem ire deberet sed ad sponsum.

Et cum hoc uiderent hostes, ceperunt querere matrem et sorores que cum hec uidissent dixerunt. Ecce aqua; quis nos prohibet baptizari? Precamur Deus ne corpora nostra unda respergat et tanquam si chorus ducerent in medium progrediuntur alueum, nec cadauer unda undauit, quin sancta mater licet sensu carens pietatis, tamen adhuc seruabat amplexum et religiosum quem tenebat modum, nec in mari laxabat, tamen pro seruanda corporali pudicitia uel cauenda iniuria, non debet se fidelis interinere. Sicut determinat Augustinus de ciuitate Dei primo capitulo xvi. ubi ait: Pudicitia est uirtus mentis que non potest auferri inuite. Unde et xviii. capitulo loquens de Lucretia supradicta que se interfecit quod egregie ueraciterque quidam declamans ait: Mirabile dictum duo fuerunt et adulterium unus commisit splendide atque uerissime. Ait Augustinus: Intuens enim in duum corporum commixtionem unius nequissimam cupiditatem alterius castissimam uoluntatem, non quid coniunctione membrorum sed quid diuersitate animorum ageretur. Attendens illud ait et ibi bene de hoc: Non ergo fidelis nec infidelis debet se occidere ob talia precauenda sed sustinere uiolentia, non consentiendo uoluntate libidini quia pudicitia est res anime, uirginitas res corporis, et ea integra in anima permanente. Potest ista de corpore uiolenter auferri, ait Augustinus contra Iulianum viii.: Non enim licet priuata potestate hominem occidere uel innocentem cuius occidendi licentiam lex nulla concedit et profecto qui seipsum occidit, homicida est. Ait Augustinus ubi supra de ciuitate Dei capitulo xxi. quod uero sanctus Ambrosius uocat illas mulieres sanctas que se submerserant sane quilibet intelligat quod non ideo sancte quia sic se occiderunt sed alio modo quem nouit Deus quomodo quid uoluit Deus. Ut enim ait Augustinus de ciuitate Dei ubi supra capitulo xxi.: Sampson non aliter excusatur de eo quia seipsum cum hostibus et ruina domus oppresserit, nisi quod Spiritus sanctus latenter hoc iusserit qui per illum miracula faciebat. // An illo modo mulieres predictae inspirate se morti exposuerunt tangit Augustinus capitulo xxv. post de feminis que se in fluuium precipitauerunt tempore persecutionis quarum ecclesia martiria celebrat, sed hoc fecerunt diuinitus iusse, non humanatus decepte, non errantes sed obedientes, ut de Sampson, scilicet inquiri potest, aliud nobis non est phas credere, cum autem Deus iubet seque iubere sine ullis ambagibus intimeat, quis obedientiam crimen uocat? Quis obsequium pietatis accuset? In mulieribus uero gentilibus zelus pudicitie commendandus, excessus uero in factis quia se necauerunt minime immitandus. Quante reuerentie fuit pudicitia apud paganos, narrat Solinus libro sexto capitulo xv. ubi narrat de parte indie: Ubi ueneri se penitus abdicarunt, pecuniam nesciunt. Nemo ibi nascitur, nec tamen deficit ibi hominum multitudo; locus ipse addictus est pudicitie atque plurimi licet undique gentium properent nullus admittitur nisi quem castitas fidei innocentieque meritum consequatur. Nam qui reus est et leuis culpe quamuis summa opera uel summopere adipisci ingressum uelit, diuinitus submouetur. Ita per immensum spacium seculorum, incredibili dicto, eterna gens est cessantibus puerperiis. Hec ille. Pudicitia ergo est honorando quando est perfecta, scilicet in affectu in omni sensu et effectum, et similiter in conuersationis gestu. Ut enim ait Valerius libro quarto capitulo tercio: Cum quidam formam cuiusdam pueri laudasset, alius increpans intemperantiam. Ait non solum manus pecunia, sed oculos a libidinoso aspectu continentes esse debere. Et libro sexto capitulo primo de quodam qui dixit filie ut non solum uirginitate illibatam sed etiam oscula ad uirum sine causa sincera proferret, id est sine admixtione aliquius libidinis. Unde Ieronimus contra Iouinianum dicit quod Diuellus duxit uxorem uirginem tante pudicitie ut illo seculo fieret pro exemplo quo erat impudicitia monstrum, non uicium tantum. Hic enim in iurgio audiuit

quod os fetidum haberet et rediens conquestus est uxori de eo quod non dixerat ibi hoc ut quereret remedia, cui illa respondit quod credebat omnibus uiris sic ora olere. Illa igitur laudanda in utroque et si ignorauit uicium uiri et si patienter tulit. Hec ille. Et in hoc etiam laudanda quod non prebuerat osculum alteri uiro cuius contrarium faciunt multi. //

Capitulum quartum: Quales debent esse mulieres quo ad quietem et taciturnitatem

Et mulieres sic caste sunt ammonende quod sint quiete et tacite, ut ait Crisostomus super Iohannem omelia lxi.: Mulierum est domi fari et sic quiescere, sicut legitur de Sara quod erat in tabernaculo, Genesis xviii., et de beata uirgine quod ad eam ingressus est angelus et ita ipsa erat in loco archano et secreto, Luce i. Mulier enim est scala ad temptandum, ut ait Gregorius moralium iii. Et parui sensus et deceptibilis et magne uoluptatis, ait Auicenna x. philosophie, et fortis ad maliciam, ait Crisostomus ubi supra. Et sicut ait Erodocus, mulier cum ueste deponit uerecundiam, ut supra habitum parte secunda: Quid sit coniugium? Et ideo ne sint occasiones aliis ad peccandum uel ne ipse labantur in peccatum, non debent esse uage uel inquiete uel garrule uel ociose, secundum quod Apostolus reprehendit tales, prime Thimothei ii., dicens ociose discunt domos circuire et cetera. Ideo ut ait Tullius capitulo v. circa feminas maiorum instituta ceciderunt, que modestie, que sobrietati patrocinebantur cum aurum nulla ferat preter quam unico digito quem sponsus obpingnorasset pro nubo anulo et a uino adeo abstineret ut matronam ob refignatos celle uinarie loculos media necarent. Item sub Romulo que uinum attigerat a marito impune trucidata est, oscula autem propinquis offerre necessitas erat non aliis.

Capitulum quintum: Quod mulieres sint in ornamentis temperate

Sunt etiam ammonende quod sint ornamentis competentibus et religiosis indute, prout docet beatus Petrus quarum non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri aut uestimentorum cultus et cetera. Unde de impudice se ornantibus loquitur Ieronimus epistola x. capitulo viii.: Ille oculos Christianos scandalizant potius que purpuris et quibusdam fucis ora oculosque depingunt quarum facies Egiptie nimio candore deformes ydola mentiuntur et sequitur quas nec numerus annorum potest docere quod uetule sint que capillis alienis uerticem struunt et preteritam iuuentutem in rugis annilibus poliunt. Erubescat mulier Christiana, si naturam cogit in decorem, si carnis curam facit in concupiscentiam. Et idem epistola x. capitulo octauo: Quid facit in facie Christiana purpuris et cerusa et sequitur ignis iuuenum fomenta libidinum, impudice mentis indicia, ornatus illi Domini // non est, sed antichristi uelamen. De hoc Crisostomus super Matheum omelia xxx. ubi ait: Adicere aliquid ymagini regie periculum est, Deum offendis, sobrietatem suffodis, zelotipie accendis flamas, zelaris meretricantes. Et de hoc Ambrosius multum in exameron omelia ultima ubi ait: Pictus es, O homo! Et sequitur: Noli delere bonam picturam, noli tollere picturam Dei, et assumere meretricis; illa pictura uicii est, non decoris, fraudis non simplicitatis, fallit, decipit ut neque illi placeas cui placere desideras qui intelligit non tuum sed alienum esse quod vel quo placeas, et tuo displices auctori qui uidet opus suum esse deletum. Et ponit exemplum de artifice qui indignatur cum uidet opus suum adalteratum, sic qui adalterat opus Dei grauamen et graue crimen incurrit. Graue crimen est, ut puto, quod melius se pingat quam Deus. Diligenter ergo ammonende sunt mulieres ut a talibus caueant. Unde narrat dominus

Wilhelmus Parisiensis in tractatu de uniuerso de quadam muliere que cingendis et ornandis crinibus dum uiueret intendebat apparuisse post mortem cuidam, pectinans crines et ornans, cui dixit quod illa pectinatio fuit sibi intolerabilis cruciatus et quod pecten ipse immensitate ponderis eam grauabat et deprimebat intolerabiliter qua apparitione placuit bonitati diuine insinuare: Quam periculosa est studiositas ociosa in predictis ornatibus. De differentiis autem pudicicie uirginalis, uidualis, coniugalis dicitur infra.

Secunda distinctio [tercie partis]: De instructione hominum secundum differentias etatum

Similiter sunt ammonendi homines communiter de ordinato modo uiuendi secundum differentias etatum. Sicut enim uarie sunt etates sic uarie informationes ut enim ait Papam. Prima etas ducitur per septem annos, que dicitur infantia. Secunda usque ad xiiii. que dicitur puericia. Tercia usque ad xxviii., scilicet dolescentia. Quarta usque ad xl. uel l. que dicitur iuuentus uel uirilitas. Quinta usque ad lx. uel lxx. protenditur et dicitur senium siue senectus declinata a iuuentute in senectutem. Sextaque senectus que nullo annorum numero terminatur que etiam senium uel etas decrepita dicitur de his Augustinus bene, Genesis primo, contra Manicheos. Et quia his etatibus sunt quedam propria ut ait Tullius De senectute capitulo v., est enim inquit infirmitas puerorum, ferocitas iuuenum grauitas constantis etatis, senectutis uero maturitas. Ideo ammonende sunt homines secundum differentias etatum. //

Capitulum primum: De informatione infantium

De instructione igitur infantium, qualiter scilicet patres debent esse solliciti dictum est supra, parte prima. Et de hoc Ieronimus omelia l. quod non est parum apud Deum bene educare filios, prout ait Apostolus de uidua si filios educauit et cetera, i. Thimotheum v. Et idem de hoc multum epistola lxxx. que intitulatur de instructione filie. Ubi magister ait: Vir probe etatis et uite, eruditionisque est eligendus, nec puto erubescit uir doctus in nobili uirgine, quod fecit Aristoteles in filio Philippi, ut ipse librorum utilitatem, incia monstraret literarum, ne discat in tenero quod dediscendum est, quod difficile raditur quod rudes animi imbuerunt lanarum conchilia uel contilia colorem quis in pristinum reuocet et testa saporem et odorem, quo primo imbuta est retinet. Exemplum de Allexandro, qui moribus et in cesso leonidis magistri sui et uiciis quibus fuit paruulus infectus, carere non potuit, cum esset dominator orbis. Et post: nutrix non sit temulenta, non lasciua, non garrula, habeat scilicet filia modestam gerulam id est nutrimentum graue. Et ibi bene de hoc. Item Ieronimus epistola lxxxvii. Ubi ait in tenera etate facilius sancte conuersationis usus molestus optime ad instructionem. Primi anni habent in se lentum quid et molle, et quod facile formari queat, et ad arbitrium uolentis trahi. Et ponit exemplum de arbusculis, que in partem quamlibet possunt flecti, et tenera animalia sine labore solent domari. Et sequitur: illud penitus solet inherere sensibus quod prius inciderit. Dum mollis est etas et animus, duci facilius exercenda boni cosuetudo. Et ibi bene de hoc. Consimilia exempla ponit Anshelmus De similitudinibus capitulo liii. ubi ait: Quod mollis cera recipit ymaginem sigilli, et tenet eandem, cum est indurata cera, quod non potest bene formari, sic est de etate infantili, quod informari potest sic et de etate indurata non prius informata. Sunt enim sobrie nutriendi, prout ait Augustinus

duodecimo De ciuitate dei capitulo quindecimo. Si pro uiribus suis alatur infans fiet ut crescendo plus capiat, si modum sue capacitatis excedat deficiet antequam crescat. Et de hoc Seneca libro secundo De ira: Quod uinum negandum est pueris, ait Plato, nec cibis quidem implendi sunt, distendentur enim corpora. // Item sunt instruendi ab inicio fidei documentis, prout ait Hugo De sacramentis libro ii. parte sexta capitulo xii.: Quod patrini sunt fideiussores pro eis, quos in baptismo receperunt, ut eos cum ad legitimam peruenerint etatem, admoneant, fidem rectam, conuersationem bonam custodire ante omnia simbolium et dominicam orationem eos doceant. Et Gregorius vii. Registi: peto ut paruulos dominos quos nutris, precipue moribus insturere cures, enuchos qui eis deputati sunt admone, ut ea illis loqui debeant, que eorum mentes ad caritatem circa se inuicem et erga subiectos in mansuetudinem compugnant. Et sequitur: uerba nutrientium aut lac erunt si bona sunt, aut uenenum si mala. Talia ergo non eis sugant, que postmodum ostendant, quod bona fuerint que ab eis suxerunt. Unde Ieronimus monet, ubi supra quod nutrix non sit garrula. Item sunt pueri summe a peccatis coercendi, quia multa sunt peccata puerorum sicut enumerat beatus Augustinus libro primo Confessiones, ubi ait loquens de se: Tantillus puer et tantus peccator peccabam inquit contra preceptum parentum et magistrorum. Unde narrat de peccato, quod furabatur pira cum sodalibus. Ibidem ait, uidi zelantem paruulum qui nondum loquebatur et intuebatur paruulus pallidus collactaneum suum, et ibi enumerat multa talia. Ideo parentes debent cohibere eos a peccatis quia ut ait Ieronimus epistola lxxxix. usque ad septem annos puerorum peccata parentibus imputantur. Item sunt castigandi, et modo debito uerberandi secundum sententiam Salomonis, Prouerbiorum xxiii.: Noli subtrahere a puero disciplinam. Et Ecclesiastici xxxiii.: curua ceruicem eius in iuuentute. Et vii.: filii tibi sunt erudi eos, et curua illos a puericia. Item sunt ammonendi seu erudiendi debitis artificiis atque conuenientibus suo statui, ut si sint nobiles erudiantur in operibus que sunt nobilium, et si indigeant artificio uiuere erudiantur in artibus sibi debitis, ut possint uiuere communiter et iuste. Unde et de constantino dictum est parte prima, quod sic instituit filias suas in artem texendi et nendi, ut si necesse esset ex illis possent uiuere. Item sunt imbuendi fide et diuinis mandatis et informandi uirtuosis moribus, sicut tactum est. Et sicut fecit Thobias quarto. Ubi ait ad filium: attende tibi ab omni fornicatione. Et sic de aliis.

Capitulum secundum: De informatione puerorum

// Et sicut sunt informandi ab infantia sic in sequenti grada etatis, que dicitur puericia maxime in peccatis cauendis in illa enim etate insurgunt libidines et concupiscentie. Ideo laborandum est ut sobrietate et castitate domentur et labore, prout ait Crisostomus super Matheum omelia xlix. ubi ait: ut terra infructuosa iuuentus, que si negligitur multas producit spinas. Et post immittamus ignem et comburamus perniciosas concupiscentias. Aremus areas nostras ad feminis susceptionem in iuuentute sobrietas fulgeat quia inoppinabile hoc scilicet tranquillitate in fluctuationibus potiri, in camino non comburi, in iuuentute non impudicum esse. Et ponit exemplum de Ioseph. Item tales sunt in laboribus debitis exercendi, qui statui suo competant, et informandi bonis moribus. Et de his utrisque Tullius bene libro primo xxxviii. capitulo: Est adolescentis maiores natu uereri, ex his eligere optimos et probatissimos, quorum consilio et auctoritate uel immitantur uel utantur. Et sequitur maxime hec etas a libidinibus tollenda est, exercenda in labore et patientia animi et corporis ut imbecillibus et ciuilibus offitiis eorum uigeat industria. Et

post caueant in temperantia, meminerint uerecundie quod erit facilius si in huiusmodi rebus maiores natu uelint interesse. Iuuentutis enim etatis insolentia senum constituenda et regenda prudentia est. Et idem Tullius libro ii. Questionum tusculunarum: quod leges ligurgi laboribus erudiunt iuuentutem, uenando currendo esuriendo sitiendo algendo estuando. Sparte uero pueri ad aram uerberibus uel ab uberibus accipiuntur ut multus ex clunibus de uisceribus sanguis exeat, ut habitum est de hoc supra, parte prima. Et de hoc Seneca xxxi. epistola, qui natus in partia uel banonia arcum tendit in Germania. Hastile uibrat in Ytalia equitare cautius hostem percutere. Item Salustius libro primo Loquens de quadam gente: Quod mos illius gentis est equitare, ioculari cursim cum equalibus certare. Unde Tullius primo Rethorice: Quid agis inicio cur perdis adolescentem, recitans uerba Terencii. Demas et inicio fratres fuerunt. Et Demas filium nutriendum tradidit inicioni quem nutriuit et uestiuit lasciuie. Ita quod fuit ebriosus et luxuriosus. Ideo ait Demas ad fratrem: Quid perdis adolescentem. Et uere: sic faciunt multi diuites, qui nutriunt in lasciuia sibi commendatos, et sic eos perdunt. Et sicut dictum est de pueris et infantibus nutriendis. Ita intelligendum est de puellis secundum quod dicitur. Ecclesiastici septimo // filie tibi sunt serua corpus illarum, et ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas scilicet permittendo eas lasciuire. Et de hoc sufficienter Ieronimus epistola supra dicta, scilicet de instructione filie ubi ait: nichil aliud addiscat audire uel loqui, nisi quod pertinet ad timorem Dei. Turpia non intelligat, cantica mundi ignoret, ad hoc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur, procul sit lasciuia puerorum puelle et pudice uel pedisseque a secularibus consortiis arceantur. Et sequitur: Si sollicita et prudens es, ne filia percuciat a uipera, cur non eadem cura prouides ne feriat a malleo terre, ne egrediatur cur dyne ludat nec trahat cantus postquam grandiuscula est, pergat ad templum cum parentibus, nec inter turbas inueniatur. Exemplum assummat a Maria quam Gabriel in cubiculo reperit. Luce primo et Thobie iii. ait Sara: nunquam cum ludentibus miscui me. Exemplum de matre Augustini ubi supra.

Capitulum tertium: De admonitione adolescentum

Similiter sunt admonendi existentes in tercia etatis differentia que dicitur adolesentia, quod caueant a predictis. Et sicut crescit etas corporis. Ita et crescat etas uirtutis sicut ait Ieronimus de continentia uirginali: crescat in te etas cum annis, cum etate iusticia, et fides eo perfectior uideatur, quo senior, et sequitur omne tempus in quo meliorem te non senseris, hoc te estima perdidisse Iob, ab infantia creuit mecum miseratio. Unde Gregorius Moraliu xxi. electis cum foris etas corporis. Intus si dici liceat crescat etas uirtutis, et hoc dictat ratio, ut sicut crescit sensus uiuacitas, sic crescat uirtutum perfectibilitas. Sunt ergo adolescentes informandi et instruendi, magis etiam quam infantes, ut a peccatis caueant, laboribus se exerceant. Honestis se moribus ornent, et mature se gerant, ut enim ait Valerius libro ii. capitulo v.: Ciuitas nostra nobilium iuuenum ingenia reuocando ab insolentia, magnos et utiles ciues fecit, honoribusque debitum auctoritatis pondus adiecit. Et ut ait Anshelmus libro De similitudinibus capitulo xlvi.: In iuene commendanda est oris taciturnitas corporis continentia et uerecundia. Et de tali adolescentia loquitur xxix. Iob: Sicut fui in diebus adolescentie mee. Et Ecclesiastici xi.: Letare iuuenis in adolescentia tua, et in bonum sit cor tuum in diebus iuuentutis tue. Iuueni enim est parcendum, seni cedendum ait Seneca epistola 38. Et maxime sunt admonendi adolescentem // quod sint subiecti obedientes et obsequiosi, quia

dicitur in tractatu De xii. abusionibus: Tercius abusionis gradus est adolescens sine obedientia. Et sequitur: sicut in senibus sobrietas et morum perfectio requiritur sic in adolescentibus obsequium subiectio et obedientia uite debentur. Et post: sicut fructus non inuenitur in arbore in qua premus flos non apparuit, sic et in senectute. Honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia alicuius discipline non laborauit. Et ibi bene de hoc.

Capitulum quartum: De informatione uirorum

Qualiter autem admonendi sunt existentes in hac etate que dicitur uirilitas, dictum est supra de informatione uirorum, eo enim quo sunt uigore uirtuosiores, complexione temperatiores, in colummitate saniores, ad sustinendum terribilia constantiores, eo ipso debent perfectius seruire suo creatori, dicentes cum propheta: Fortitudinem meam ad te custodiam, uiriliter inquit age et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Iob vi.: Que est fortitudo mea ut sustineam. Ubi Gregorius Moralium vii.: fortitudo iustorum est carnem uincere, uoluptatibus propriis contraire, et delectationem uite potentis extinguere. Huius mundi aspera pro eternis premiis amare, prosperitatis blandimenta contemnerem, aduersitatis metum in corde superare, Ysaie iiiii. de hoc: Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, et bene de hoc. Admonendi ergo sunt tales, ut sint uiri actu, sicut et sexu, ut dictum est supra.

Capitulum quintum: De informatione senum a senectute

Consimiliter admonendi sunt senes, prout dicuntur a senectute, que dicitur senior secundum Papiam: Quod sicut etas temporalis corporalis creuit, sic crescat etas uirtutis. Et ut in tali etate sit omnium uoluptatum iuuenilium abdicatio, quia ut ait Tullius De senectute preclarum munus etatis scilicet huius est, quia aufert a nobis quod in adolecentia est uiciosissimum, scilicet uoluptatem. Sic enim Paulus cum factus erat uir, euacuauit ea que erant paruuli prima Corinthios xiii.: Multo magis quando quis factus est senex, debet talia euacuare, propter quod ait Seneca epistola lxxx.: gratias ago senectuti mee quod lectulo me afflixit quicquid debebam nolle non possum. Item sunt admonendi tales, ut circa solitaria studia sit eorum occupatio. Unde Seneca ubi supra: // Ago gratias senectuti quod lectulo me affixit, et sequitur, cum libellis michi plurimis uel plurimum sermo est, ut enim ait Auicenna parte v. de anima post xl. annos intellectus roboratur. Et Tullius De senectute capitulo viii.: Quod memoria industria et ingenium uigent in senibus quod est intelligendum de senibus dicto modo scilicet antequam sint decrepiti. Et idem Seneca, epistola lxvi.: queris quid doceam, respondeo seni esse discendum. Et idem: quid stultius est quam quod diu non didiceris non discere omnis etatis homines scola admittit in hac senescamus tam diu discendum est quam diu nesciat. Et si prouerbio credimus quam diu uiuas nec ulli rei magis, hec equitas conuenit quam huic. Item sunt admonendi quod in eis sit usus uirtutum rectitudo, quia ut dicit Ambrosius in Exameron primo: Senectus in bonis moribus dultior, in consiliis utilior, ad constantia subeunde mortis paratior, ad reprimendas libidines fortior. Et Tullius ubi supra De senectute: quod arma senectutis sunt artes, exercitationesque uirtutum. Unde senes plus agunt consilio auctoritate et sententia illis qui laborant, prout ibi exemplificat Tullius de multis philosophis et eorum consiliis. Item debet in eis bonorum morum esse perfectio, ut

tactum est supra, ab Ambrosius. Et ueritatis aliis predicatio, prout ait Valerius libro i. capitulo vi. De quodam, qui respondit duas res que amarissime uidentur hominibus licentiam sibi prebere ad libere loquendum, scilicet senectus et orbitas, ex quo enim erat senex et cito moriturus, nec habebat prolem pro qua esset sollicitus. Ideo libere dicebat ueritatem, nec timebat.

Capitulum sextum: De informatione senum a senio

Et si senes sic dicti, debent esse tales multo magis senes dicti a senio, quod est decrepita etas, senes dicti quod se nesciant, delirant enim propter nimiam etatem, quia ut ait Seneca epistola sexta: Senectus est fex et edificium putrefactum, ruens undique. Et epistola xxxi.: Quemadmodum senectus sequitur adolescentiam, ita mors senectutem. Et idem, quemadmodum in nauis que sentinam trahit cum una rima et alteri obsistitur ubi pluribus locis laxari ceperit et ceteris succurri non poterit, nauigio deinceps distentis. Ita est de senili corpore tanquam de putrido edificio, omnis iunctura dilabitur, et dum alia excipitur, alia distenditur. Circumspiciendum igitur est, quomodo exeat. Et sequitur // nichil habet quod speret, quem senectus sucit ad mortem, huic uni inter cedi non potest. Alia genera mortis spei mixta sunt, non sic de senectute. Summe ergo debent cauere senes ab excessu in alimentis et potibus, quia ut dicitur in libro naturalium. Senes citius in ebriantur secundum Aristoteles: quia meis corpus siccum, et in membris durioribus naturales meatus obseruantur et ideo exalatio ad cerebrum ascendit. Et sequitur: hinc fit ut sani senes magis iuuenum ebriorum laborent tremore scilicet membrorum, titubantia ligue habundantia loquele, iracundie concitatione. Studium ergo talibus senibus sit, ut moriantur in eis uicia antequam ipsi moriantur prout ait Seneca epistola xviii.: Moriantur inquit in te uicia prius. Unde ait ibidem dimitte uoluptates turpidas. Et ibidem: numera annos tuos, pudebit eadem uelle que uolueras puer eadem parare. Et epistola lxxvii.: Hec enim debent esse opera senis illa nolle que uoluit puer, et bene mori, unde ait ibidem ante senectutem creauit ut bene uiuerem in senectute unde ut bene moriar. Si uero non fuerit talis, est puer moribus scilicet centum annorum, Ysaie vl.: puer centum annorum morietur, sicut exponit Gregorius Moraliu xviii. nichil enim est turpius, quam senex incipiens uiuere ut ait Seneca epistola xviii. Sero est tunc uiuere, cum desinendum est, hoc enim debet esse studium senum abdicare, omnes preteritas uoluptates, recordare iugiter priores culpas et defectiones, recogitare suas penalitates seniles, quia ut ait Gregorius supra euangelium, libro primo omelia prima. In illa etate statura curuatur, ceruix exiccat deponiturque frequentibus suspiriis pectus urgetur, uirtus deficit, loquentis uerba anhelitus intercedit, et si languor desit senibus, ipsa salus egritudo est, ut enim recitat Seneca epistola c., uerba Virgilii. Optima queque dies miseris mortalibus eui. Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus. Et labor et dure rapit in clementia mortis. Et sequitur ibidem, meliora preteruolant, deteriora succedunt. Et ponit exemplum bonum quemadmodum ex anphora quod affluit sincerissimum est et grauissimum et iuridum subdit uel subsistit, sic in etate nostra quod optimum est in principio est, idque exhauriri in aliis patimur, ut nobis fecem reseruemus. Unde et senectus insanabilis morbus est. Ideo senectuti cognomen imposuit, tristem illam uocauit // scilicet Virgilius, et alibi, pallantes habitant morbi, tristisque senectus. Et ideo Boecius De consolatione primo, uenit preparata malis inopinata senectus, et dolor etatem iussit inesse suam. Et sciant senes se non habere annos qui transierunt, et se dicunt habere, prout dicit Bellius cuidam dicenti:

lx. annos habeo, hos inquit dicis lx. quos non habes. Et hoc ideo, quia fluit tempus et auidissimos sui deserit, nec quod futurum est meum est, nec quod fuit, ait Seneca De naturalibus questionibus libro v. in fine. Ex quo ergo non restat nisi ut studeat bene mori, et in senecta uberi, et plenus dierum cum sanctis patribus. Et ut sic moriatur, debet bene uiuere in iuuentute et congregare. Ecclesiastici 15.: que in iuuentute tua non congregasti, quomodo inuenies in senectute tua, sicut enim dies iuuentutis tue, sic et senectus tua. Deutronomii xxiii.: Et debet mori, relinquens bonum exemplum iuuenibus post se, sicut fecit ille bonus senex, de quo secundi Machabeorum v., qui ait: adolescentibus exemplum forte derelinquam. Quam gloriosi uero sunt boni senes, ait Ecclesiasticus xxii.: Quam speciosa inquit ueterana sapientia. Et sequitur corona senum multa sapientia. De sapientia et uirtutibus senum uirtuosorum, Tullius libro De senectute, ubi multa eleganter de instructione senum. Et Valerius libro vi. De senibus uirtuosis, et eorum operibus, et longeuitate, ubi narrat de quodam, qui cum centesimum annum ageret, interrogatus, quapropter diu uiuere uellet. Ait quia nichil inquit habeo quod senectutem meam accuset, non enim est gloriandum seni de senectute etatis, nisi assit senectus sapientie et uirtutis, prout ait Seneca epistola l. non ut diu uiuamus curandum sed ut satis est et longa uita plena sit. Impletur autem, cum animus sibi suum bonum reddit, et ad se potestatem sui transtulit. Quid illum lxxx. anni iuuant per inerciam exacti, non uixit iste sed in uita moratus est. Et sequitur quemadmodum in minoris corporis habitu potest homo esse perfectus, sic et in minori temporis modo, potest esse uita perfecta. Queris quid sit amplissimum uite spacium, usque ad sapientiam uenire et cetera. Et ibi bene de hoc. Et ibidem de aliis senibus uirtuosis. Econtrario secundus gradus abusionis est senex sine religione, prout dicitur in tractatu De duodecim abusionibus, ubi dicitur: quid stollidius fieri potest, si mens ad perfectionem festinare non contendat, quando totius corporis habitus, senectute confectus, ad interitum properat, calligant oculi // auris grauiter audit. Et sic de aliis membris, que omnia ruituram domum corporis cito pronunciant. Et ponit exemplum, sicut in linguis reprobata arbor apparet, que post flores fructus non exhibet sic reprobus est quem flos iuuentutis deserit, et tamen bonorum operum fructus maturos proferre paruipendit. Et subiungit ibidem quod cauende sunt due particule que in ullius carne non ueterascunt, et hominem ad peccatum trahunt, scilicet cor et lingua, quia cor nouas cogitationes machinari non desinit, lingua uero loqui quecumque cor machinari senserit. Caueat ergo senilis etas, ne iste particule iuuenescentes totam armoniam decipiant. Et subditur regula generalis, unicuique etati considerandum est, quid etati eminenti dignum sit, hoc agit quod nec uitam nec etatem conficiat nec ministerium uilescat, predicator ergo cum predictis conferat de his que sunt competencia cuilibet differentie etatis, dissuadendo que sunt nociua uel inhonesta, et contraria suadendo.

Tercia distinctio: De informatione nobilium

Capitulum primum: Quod non gloriantur de sua nobilitate

Debet similiter predicator ammonere homines et conferre cum eis de his que spectant ad differentias conditionis. Sunt enim aliqui nobiles et ingenue conditionis. Sunt alii inferioris et seruilis conditionis. Nobiles ergo ammonendi sunt, ut se non efferant et gloriantur inaniter de illa nobilitate, nec alios contemnent ac uilipendant, omnes enim eque nobiles sunt scilicet respiciendo originem. Sed illa nomina seruus libertus uel

libertinus aut ex ambitione sunt, aut ex iniuria ait Seneca epistola lviii. Iob xxxi.: Nunquid non in utero fecit me, qui et illum, ibi Gregorius Moraliū xxi.: ut habitum est supra, omnes homines natura equales sunt, sed accessit dispensatorio ordine, ut quidam prelati aliis uideantur et cetera. Et ibi bene de hoc. Ratione ergo indifferentie originis non oportet multum gloriari, quid enim superbis terra et cinis, Ecclesiastici x. Item non oportet gloriari ratione inferioritatis illius partis cuius est ista nobilitas. Est enim ex parte carnis et sanguinis, que est infima pars hominis, propter quod et propheta Osee ix. Gloria eorum ab utero et partu. Item nec ratione alienitatis illius nobilitatis ab homi- // ne cuius esse dicitur, sicut loquitur Boecius iii. De consolatione philosophie, capitulo vi.: quam sit inquit in ane et quam inutile nobilitatis nomen quis non uideat, que si ad claritatem refertur, aliena est, uidetur nanque nobilitas quedam de meritis ueniens laus parentum, que si ad claritatem predicatio facit, illi sunt clari necesse est qui predicantur, quia splendidum te si tuam non habeas aliena claritudo non efficit. Item Apuleus De deo socratis in omnibus considerandis noli illa in aliena estimare. Et sequitur: aliena uoco que parentes pepererunt. Et post generosus es parentes lauda, ideo Ieronimus epistola C.xxxii.: Quod non est gloriandum de nobilitate carnis quia nec uirtutes nec uicia parentum imponenda sunt filiis, nisi fuerint imitatores parentum, idem Crisosotomus omelia v.: Quod nobilitas uel bonitas parentum uel cognatorum non ualet, nisi fuerimus nosipsi boni. Et idem omelia ix. ubi ait: quod bonitas parentum non prodest, ponens exemplum, de Esau. Idem super Iohannem omelia 89.: Quod non ualet habere patrem Iob sine operibus. Item non est gloriandum de ipsa uidelicet congnatione, ratione modice uel nullius utilitatis. Quod ait Crisosotomus super Matheum omelia ix. ubi supra: Quod nichil prodest malis bonitas parentum, et nichil obest bonis eorum malicia. Et idem super Iohannem omelia xxxiii.: Quod cognatio carnalis non ualet sine spirituali. Item non est gloriandum de nobilitate carnis. Nec est gloriandum de cognatione ratione potentialis degenerationis ab illa. Nobiles enim dicti, illa nobilitate sepe se degenerant, prout ait Valerius libro tercio capitulo quinto. Ponens exemplum de multis qui a splendore parentum degenerauerunt, dantes seipsos ignaue sordibus et nequitie, ubi ait de quodam tali. Quid est monstro similis. Unde uocat tales nobiles, nobilia portenta imbuta sordibus. Similiter uocat deformes eos, nimio umbras gurgite turpitudinis, hinc et quidem sapiens ait, quod non uiuentes secundum nobilitatem parentum sed sub umbra eorum, similes sunt locis sordidis sole illuminatis. Item non est gloriandum de predicta nobilitate, ratione iudicii durioris, nisi filius sit imitator patris. Quia ut ait Crisosotomus. Ubi supra, omelia uicesimanona: Virtus parentum nichil ualet sed ex hoc magis iudicium summimus, ut enim ait Iuuenalis loquens de tali nobilitate. Omne animi uicium tanto conspectius in se crimen habet, quantomagis qui spectat habet. // Et ibidem incipit eorum uel ipsorum contra detestari parentum claraque facem preferre pudendis, predicta ergo nobilitas, uana infructuosa ponderosa nociua, nisi concomitetur ueera nobilitas, quam uirtus facit, ut ait ibi Iuuenalis quod uirtus nobilem efficit ait Augustinus seu poeta nobilitas ueera est animi, que moribus ornat. Hec appetenda acquirenda et retinenda, ille enim est generosus qui ad uirtutem bene a natura est compositus, ait Seneca epistola xlv.

Capitulum secundum: De ueera nobilitate

Item ille est nobilis qui secundum philosophie documenta uiuit, nobilem enim animum facit philosophia. Unde epistola xlvi.: Quod Platonem philosophia fecit nobilem, non

generositas, ueram autem et spiritualem atque utilem nobilitatem, facit generatio spiritualis, que est secundum Deum, prout ait Crisosotomus super Matheum omelia xlvi.: Quod una est nobilitas sola uoluptatem facere Dei, et hic est modus nobilitatis, nec in filiis magnum sapiamus, nisi uirtutem eorum habeamus, nec in patribus nobilibus, nisi similes illis simus. Et de hoc Ieronimus de coniugio, ubi ait: sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis, summa apud Deum nobilitas est, clarere uirtutibus. Item beatus Bernardus ad Eugenium: Genus apostolorum non est alium de nobile, quam morum ingenuitate, et fidei fortitudine. Monendi sunt igitur nobiles, non ut gloriantur inaniter de carnali nobilitate, sed ut eo ipso diligentius caueant a peccatis, prout ait Tullius libro De officiis capitulo vii. In honoris et potentie ac glorie cupiditatibus, magis cauendum est ne quid peccetur, tamen econtrario est de multis ut ait Gregorius, primo Dialogorum xix. capitulo. Nonnullis solet nobilitas generis perare ignobilitatem mentis, et tales faciunt sibi quasi clipeum uel castra ad peccandum, uel defendendum se in peccatis de sua nobilitate. Contra quod ait prima Petri ii.: quasi liberi et non solum, quasi uelamen habentes malicie libertatem.

Capitulum tercium: De ignobilibus

Econtrario monendi sunt ignobiles, ut studeant esse nobiles uirtutibus, quamuis non sint nobiles nobilitate sanguinis, quia humili loco nati multi clari fuerunt, prout ait Valerius libro iii. capitulo viii. Ponens exempla de talibus, sicut de Tullio hostilio // quem in cunabulis accepit agreste tugurium. Eiusdem adolescentia in pecora pascendo fuit occupata, ualidior etas. Imperium Romanum rexit et duplicauit, senectus in atlissimo maiestatis fastigio fulsit. Et ibidem de aliis talibus. Similiter narrat qualiter humiliter nati, fulserunt nobilitate philosophie. Socrates inquit, non solum hominum consensu, uerum etiam Appollonis oraculo sapientibus, iudicatus phanatrice uel phanaretis matre obsistrice, et sopheristo patre marmorareo uel morario genitus ad clarissimum glorie lumine accessit, et si uirtus per seipsum existimatur magister uite optimus. Et ibidem quam matrem eripides, aut quem patrem Demostenes habuit, ipsorum quoque seculo ignotum fuit, alterius enim matrem cultellos uendidisse, omnium pene doctorum litere loquuntur. Sed quid aut illius tragita, aut huius oratoria uir clarus, natus ergo de humili genere, clarus tamen philosophia, et uirtutibus satis magis est commendabilis nobili nato et alto genere, talibus carente. Unde Iuuenalis ubi supra: malo mater tibi sit Therelides dummodo tu sis eadem similis, uulcanaque arma capellas id est ardentia et uibrantia compescant, quam te Therelidi similem producat Achilles, quasi diceret: Melior est probus natus ex patre humili et uili, quam natus ex patre nobili, et tamen improbus et uiciosus.

Capitulum quartum: Quod non est gloriandum de preeminencia donorum naturalium

Et sicut gloriandum non est de nobilitate parentum siue nobilitate uirtutum, ita sunt ammonendi homines ne gloriantur inaniter de excellentia donorum naturalium nisi regantur et regulentur regulis uirtutum gratuitarum, ymo quando plura acceperit quis dona naturalium siue a parte anime qualia sunt ingenium et memoria, siue a parte corporis qualia sunt sanitas pulchritudo et agilitas, et sic de aliis, tanto debet esse humilior, Mathei xxv.: uni dedit v. talenta, alii duo, alii unum, ubi Gregorius, tanto quisque debet esse

humilior ex munere, quanto se obligatio rem esse conspicit in reddenda ratione, libro i. omelia ix. Et prima ad Corinthios iiii.: Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti quis gloriaris quasi non acceperis. Ideo Ieremie nono: non gloriatur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, cum enim omnia talia communia sint bonis et malis, non debet quis ex talibus ex tolli, sunt enim dona quedam hereditaria id est heredum Domini. // Et quedam filiorum concubinarum, ait Augustinus De patientia. Et Gregorius Moraliū ii.: Quedam sunt dona, sine quibus ad uitam non pertinegitur, alia sine quibus ad uitam peruenitur. Et idem primo Moraliū xl.: Quedam sunt dona que muniunt, quedam que ornant, de talibus ergo nullus extollatur, ne per talia peccata cumulentur. Sunt multi abutentes donis Dei, sicut qui per industriam naturalem siue prudentiam impugnant alios et seducunt, et mala multiplicant. Sapientes inquit sunt, ut faciant mala, bona autem facere nequeunt, Ysaie vi. Et Luce xvi.: prudentiores sunt filii seculi quam filii lucis. Similiter sunt abutentes suo pulchritudine, et alios allicientes ad malum, quales sunt homines pulchri et impudici, uel mulieres, quarum pulchritudo alios allicit, et intoxicat, cum deberent amplius Deum laudare et amare, Prouerbiorum xi.: Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua, sus enim licet habeat circulum aureum in naribus, illi non parceret quin supponeret stercoribus, et foderet immundiciam obuiantem, ita mulier pulchra et fatua, pulchritudinem suam ostentat omni scortatori, et commiscet omni feditati, cum eam deberet occultare, ne inspicientes illaquearet. Exemplo illius adolescentis, de quo narrat Valerius libro x. Qui adolescens excellentis pulchritudinis cum mira specie quam plurimum feminarum illustrium oculos sollicitaret. Ideoque cum uiris ac parentibus earum, se suspectum esse se turet, oris decorem uulneribus diffudit, difformitatemque sanitatis sue fidem, quam formam irritamentum aliene libidinis esse maluit. Et de hoc narrat Ambrosius libro tercio De uirginitate: Iuuenem ueteres fabule ferunt, cum propter amirandum oris pulchritudinem in amorem incenderet feminas, stigmatibus inarasse uultum suum ne qua eum amare posse. Moneat ergo, predicator diuinus homines non gloriari de predictis, nec arroganter se offerre, quia non ex talibus sunt existimandi homines, prout ait Seneca epistola lxxix., ubi omnia bona sua constant in propria uel in proprio. Et ponit exempla, uitem fertilitas commendat, et sapor uinum, uelocitas seruorum ferre sartinam equum et cetera, id cuique rei optimum esse debet, cui nascitur, quo censetur, in homine quidem optima est ratio, hac animalia antecedit, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium bonus eius est cetera illi cum animalibus communia sunt, ut scilicet homo et leones similiter ualent, formosus est et pauo uelox est et equus. Quid ergo in homine proprium et respondet, ratio. Et hec recta et consummata felicitatem hominis implebit. Sed non est ratio perfecta sine diuina // gratia sine gratuita uirtute. Unde ait ibidem Seneca, hec ratio perfecta uirtus uocatur eademque honestum est, id itaque unum bonum est in homine, quod unum hominis est. Et post: bonus autem est homo. Si ratio explicita est recta et ad nature sue utilitatem accommodata, hec uocatur uirtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum, et ibi bene de hoc. Qui autem gloriatur in Domino gloriatur, prima Corinthios xi. Gloria enim nostra est testi, conscientie nostre. Unde et sapientes uirgines habuerunt oleum in uasis suis sed fatue caruerunt, Mathei xxii.

Quarta distinctio: De informatione hominum quantum ad differentias sustentationis

Capitulum primum: De admonitione diuitum

Debet similiter predicator Dei, alloqui homines utiliter et ammonere secundum differentias sue sustentationis uel possessionis. Ammonendo diuites eo modo quo debent ammoneri et cetera. Et similiter pauperes, et quia de hac ammonitione Gregorius ii. Pastoralis capitulo iii., satis instruit. Ideo dicendum breuiter de his ad occasionem dandam. Sunt enim diuites ammendi quo ad diuiciarum congregationem, ut non iniuste congregentur scilicet per rapinas, usuras uel dolosas mercaturas, siue per alios modos quibus iniuste congregantur, propter quod dicuntur mammonem iniquitatis, Mathei vi., unde Ieronimus epistola 97.: Omnes diues iniquus, uel heres iniqui est. Isti sunt etiam ammonendi, ne diuicie ab eis inordinate appetantur uel amentur. Qui enim uolunt diuites fieri incidunt in uarias temptationes, prima Thimotheum vi. Et qui amat diuicias, fructum non capiet ex eis, Ecclesiastici v. Item sunt ammonendi ne impie ab eis retineamur, pauperibus esurientibus et sitientibus non prouidendo. Ecclesiastici v.: Noli anxius esse in diuitiis iniustis. Et prima Iohannis iii.: Qui habuerit substantiam mundi huius et uiderit fratrem suum necessitatem patientem et clausit uiscera sua scilicet ab eo, quomodo caritas Dei est in illo. Item sunt ammonendi ne confidant in diuitiis eo quod caduce sunt et defectibiles, protegere non ualentes nec defendere, in die ultionis, nisi bene erogentur, Prouerbiorum xi.: Qui confidit in diuitiis corruet. Et ibidem: non proderunt diuitie in die ultionis. Item sunt ammonendi ne superbiant de diuitiis nec pauperes contemnant, prima Thimotheum sexto.: Diuitibus huius seculi precipe, non sublime sapere, nec preparare in incerto diuitiarum. Non enim propter diuitias apud Deum sunt electi Iacobi secundo. // Nolite in personarum acceptione habere fidem et sequitur. Si introierit unus in conspectu uestro, uir anulum aureum habens. Item sunt admonendi ut sciant se non posse ex hoc mundo diuicias ferre secum Iob xxii. dicens: Diues cum dormierit nichil secum aufert. Ibi Gregorius Moralium xviii.: Diu cum rebus nostris durare non possumus, quia illas aut moriendo deserimus, aut ille nos uiuentes quasi deserunt pereundo. Et ideo restat, ut diuites ammoneantur de comutando terrenas diuicias pro celestibus, prout ait ibidem Gregorius: Terrena seruando amittimus, et largiendo seruamus patrimonium nostrum retentum amittimus, uel perditur, manet erogatum. Et sequitur: agendum nobis est, ut res absolute perituras, in non pereuntem cogamus transire mercedem. Ideo Luce xvi.: facite uobis amicos de mamona iniquitatis. Prima Thimotheum v.: diuitibus huius seculi precipe. Et sequitur: bene agere diuites fieri in bonis operibus facile tribuere, thesaurizare bonum fundamentum. Pauperes enim sunt laterarii nostri in celum id est efferentes elemosinas que dantur eis quo ad fructum ait Augustinus li. primo sermonum secundum iii. Elemosina enim uiri quasi sacculus cum ipso, Ecclesiastici xxix. Ideo uoluit Dominus quod aliqui essent pauperes, quibus daretur elemosina, ut regnum celorum esse uenale, ait idem xxvi. sermone. Item sunt admonendi diuites, ut precaueant et precogitent futuras penas, que irrogabuntur diuitibus id est amatoribus diuitiarum, et eis abutentibus, Luce vi.: De uobis diuitibus, qui hic habetis consolationes uestras, Iacobi v.: Agite nunc diuites, plorare ululantes in miseriis uestris. Iuste ergo debent diuicie congregari, ordinate amari, pie erogari, et saltem affectu contemni ut dictum est. Sunt enim bone, sed non quod faciant bonum, nisi quibus est bene uti, prout ait Augustinus, De uerbis domini sermone xii.: Quid prodest bonis, plena archa, manis conscientia, bona uis habere, sed bonus non es, nec esse uis bonus. Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis, et te habet malum Dominum. Non enim ex his est homo estimandus uel reputandus, prout ait Seneca bene epistola lxxix.: Cum uoles ueram estimationem hominis uidere et scire

qualis sit, nudum inspicere, ponat id est deponat patrimonium honores et alia fortune mendacia, corpus ipsum exuat, et animum intueri, qualis quantusque est, alieno an suo magis. Et non solum ammonendi sunt diuites de predictis sed etiam ammonendi ad considerandum diuitiarum utilitates, quia lutum sunt // terra sunt Abacuc ii. Ve ei qui multiplicat non sua, usque quo contra se aggrauat densum lutum. Unde apostolus ut stercora arbitratus est, que retro sunt obliuiscens, Philippenses iii. Item ammonendi sunt ad considerandum molestias concomittantes. Spine enim sunt suffocantes uerbum Dei, Luce xii., prout exponit Gregorius omelia xxi. Item sunt ammonendi ad considerandum eorum fallacias propter quod dicit saluator, fallacie diuitiarum. Et uere fallaces, ait Gregorius omelia predicta: quia nobiscum diu permanere non possunt, et quia mentis inopiam non deponunt, diuicie enim sunt unibra, imbecillis fumus qui dissoluitur, flos agri. Ideo non est in eis gloriandum, ostendit Crisostomus super Iohannem. Et Sapientie v.: Quid profuit nobis superbia et diuiciarum iactantia et cetera. Sequitur: Transierunt omnia uelut umbra. Item ammonendi sunt, ut considerent multimoda impedimenta eorum, ligamenta enim sunt muscipule sunt, onera sunt, amantibus eos, Sapientie xiiii.: Creature Dei facte sunt in temptationem anime hominum et in muscipulam pedibus insipientium. Unde Augustinus, in De uerbis domini omelia tricesimatercia: Amor rerum temporalium uiscus est spiritualium penarum concupisti hesisti, amor mundi adulterat animam. Amor castigatorem castigat. Amor fabricatoris uel creatoris castificat, omelia lii. Et quia difficile est habere diuitias et non amare, ideo periculose, sunt possessoribus, propter quod ait saluator Mathei xix.: Si uis perfectus esse, uade et uende omnia et cetera. Et sequitur: facilius est camelum per foramen acus transire, quasi diceret in re, ce. Hec et multa alia considerantes antiqui diuitias contempserunt, tam Domini siue regentes, tam studiosi siue sapientes, quam sancti ac filium Dei sequentes, ut patebit infra parte sexta, ubi et cetera. De religiosorum paupertate, Psalmos: Diuitie si affluent nolite cor apponere. De diuite non considerante predicta, nec prouidente sibi de eternis tabernaculis, bene in tractatu De xii. abusionibus, ubi dicitur: quartus abusionis gradus est diues absque elemosina, qualis est ille, qui superflua sua non distribuit indigentibus, nec thesaurizat in celis. Et ideo dicuntur maledicti auari, Mathei xxv.: Quia qui preteribant eorum habitacula, non dicebant, benedictio Domini sit super uos, talis fuit diues epulo, Luce xvi.

Capitulum secundum: De admonitione pauperum

// Consimiliter pauperes sunt admonendi de his que ad eos spectant. Et cum dicatur paupertas duobus modis scilicet necessitate et uoluntate, et etiam sit pauper, qui uult esse diues, scilicet qui pauper est rebus, non uoluntate, prout ait Augustinus, libro primo Sermonum, xi. sermone. Qualiter sit instruendus pauper uoluntate, dicitur infra parte vi. ubi de uoluntaria paupertate religiosorum. Pauper autem necessitate est instruendus de longamini sufferentia sue paupertatis ut eam sustineat quasi medicamentum et purgamentum suarum imperfectionum et afflictionum, prout ait Gregorius super euangelia omelia vi. Loquens de diuite epulone, et Lazaro paupere, quod quos morum infirmitas uulnerat, medicina paupertatis curat Ysaie xlvi.: elige te in camino paupertatis, super quod Crisostomus super Matheum omelia iiii.: Paupertas est caminus, qui est horribilior igne, sicut ergo eger non debet grauari de medicamento, nec purgandus de purgamento siue purgatorio, sic monendus est pauper, ne grauetur de paupertate, sed eam sustineat sicut medicamentum. Exemplo Thobie iiii. dicentis: pauperem uitam gerimus,

sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Item ammonendus est pauper, non solum de sufferentia paupertatis, sed et de placentia siue acceptione, ut enim ait Seneca epistola ii.: Honesta res leta paupertas, si leta non est, paupertas non est, qui cum paupertate bene conuenit, diues est, qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. Idem Gregorius super Ezechielem libro ii. omelia vi.: Ille pauper est qui eget eo quod non habet nam et qui non habet habere tamen non appetit diues est et idem Seneca epistola predicta non pauperem puto cui quantumcumque superest, tali enim satis est, est enim quasi diues cum nichil habuerit, Prouerbiorum viii. Item est ammonendus pauper de cauenda uera paupertate que est in affectione diuiciarum ut enim ait Gregorius ubi supra. Paupertas quippe inopia mentis est non in qualitate possessionum, nam qui cum paupertate bene conuenit non est pauper. Et maxime est ammonendus ut caueat a uera paupertate qui est in peccato, illa est uera paupertas in qua est defectus uerarum diuiciarum, Apocalypsis iii.: Dicis quia diues sum est nescis, quia miser et miserabilis es et pauper ac nudus, scilicet preuatione diuiciarum spiritualium de quibus Ysaie xxxiii.: Diuicie salutis sapientie et scientia. Timor Domini ipse est thesaurus eius ut enim ait Ieronimus epistola 94.: Pauperem non facit commendabiliorem paupertas si inter sordes peccata non cauet Iob xxxi. et absque operimento pauperum. Unde Gregorius Moralium xxi.: Minus // inops est, qui uestrem non habet, quam qui humilitate caret. Et ideo odibilis est Deo pauper superbus, Ecclesiastici xxxv. Item ammonendus est pauper de acquirendis diuiciis spiritualibus, ut sit in Deo diues, et impleat domum cordis illis, et thezauro celesti, prout ait Augustinus super Psalmos libro primo. Domus est inanis et cor plenum diuitiis et sequitur, pauperes scilicet boni querunt unde cor impleant diuites unde archam, et idem super Iohannem omelia xxv.: felix ille habet aurum in archa, iste Deum in conscientia, compara utrumque, ille habet quod perire potest et unde perit, ille habet Deum qui perire non potest, et ibi habet unde auferri non potest, planum est ergo quod talis est opulentior, et sua opulentia diuturnior. Deus enim est opulentia mentium, ait Augustinus v. De ciuitate dei capitulo xviii. Et felices facit, ait ibidem. Item sunt ammonendi pauperes ut considerent pericula diuitum, ad alleuiationem paupertatis sue, et ut considerent comoda paupertatis, et modica emolumenta que diues habet in diuitiis suis et innumera tormenta, quia ubi sunt multe opes, multi qui comedunt eas, quid prodest possessori nisi quod cernat diuicias oculis suis. Et sequitur: diuicie conseruate in malum Domini sui, pereunt enim in affectione uel afflictione pessima. Item sunt admonendi ut considerent comoda paupertatis, que sunt securitas ab hostibus externis, et conscientie a periculis interioribus. Sociabilis iocunditas, unde v. Confessionum, recitat: Quod transiens per uicum uidit pauperem mendicum, iocantem atque letantem, et ingemuit loquens ad socios omnibus conatibus quibus laboramus, nil uellemus nisi ad securam leticiam peruenire quo nos mendicus ille precessit. Et sequitur: ille letabatur, ego anxius eram, securus ille, ego trepidus. Poeta o iure tuta facultas pauperis. Ideo poete omni re tutior facultas pauperis angustique laris o munera non dum incollecta Domini et cetera. Et alius in precio precium non est. Dat census bonos, dat census amicus, dat census honores pauper ubique iacet. Et alius cantabat uacuum coram latrone uiator. Et ideo secundus philosophus loquens de paupertate ait: paupertas odibile bonum sanitatis mater, curarum remotio, absque sollicitudine semita. Sapientie reparatrix, negocium sine damno, intractabilis substantia possessio sine calumnia, incerta fortuna, sine sollicitudine felicitas. Ista paupertatis comoda, et multa alia considerantes aniqui in paupertate uixerunt, ut patebit infra parte sexta. // Item sunt admonendi pauperes ut considerent filii

Dei paupertatem qui cum esset diues omnium factus est egenus propter nos, ii. Corinthios viii. Et ut considerent paupertatis ab eo commendabilitatem et promissionum pauperibus multitudinem, Mathei quinto. Beati pauperes spiritu. Et Ysaie xlix.: Pauperum suorum miserebitur. Et Psalmos: Animas pauperum saluas faciet. Et licet sint pauperes necessitate sustineant tamen pacienter et uoluntarie et caueant a peccatis. Impleant archam cordis diuiciis spiritualibus ut beatificentur cum Lazaro in regno beatitudinis. Unde de bono paupere narrat Gregorius super euangelium libro i. omelia xv.: Quod fuit quidam seruulus nomine relius pauper meritis, diues paraliticus a primeua etate cui ad seruiendum mater cum fratre aderat. Quicquid autem ex elemosina poterat accipere hec eorum manibus erogauit et sequitur studebat in dolore gratias Deo agere ympnis Dei et laudibus semper uacare. Ad extrema perueniens per egenos hospites ut surgerent et Psalmos, canerent hortatus est et cum moriens psalleret uoces eorum compescuit. Dicens tacete nunquid auditis quante laudes resonant in celo et sic mortuus et magna flagrantia omnes repleti sunt usque post eius sepulturam. Ecce ait ibidem factus Gregorius. Qualiter exiit quia equaminiter flagella tolerauit. Consimiliter narrat in uitis partrum li. secundo ante finem de quodam sene qui uoluit uidere animam iusti, et animam peccatoris a corpore exeuntes et cum uenirent ad ciuitatem in qua solitarius qui estimabatur sanctus moriebatur. Accessituque ad illum uidit angelum tartareum super illum descendentem tridentem gladium habentem quem posuit in corpore et abstraxit animam. Et cum processisset uidit peregrinum in uico morientem non habentem curam ad quem cum accessisset descenderunt Michahel et Gabriel ad eum rogabantque animam ut exiret qua non exeunte ait Gabriel Michaheli sume eam, cui respondit iussi sumus ut sine dolore educamus eam et absque ui et ecce, ut uidebatur ei uenit Dauid cum cythara et psallentes de Ierusalem et ut audiuit psallentes egressa est et recepta est a Michaheli et in celum assumpta. Qui ergo sunt pauperes necessitate uel rebus uoluntarie sustineant paupertatem propter Deum imitando dictos pauperes ut beatificentur in celis. Et de talibus debet predicator diuinus cum pauperibus conferre.

Distinctio quinta: De ammonitione hominum secundum differentias qualitatis uite

Capitulum primum: De admonitione hominum existentium in peccato

Debet similiter predicator admonere homines diuersi mode secundum uariam uite eorum qualitatem. Si sunt in peccato, efficaciter suadeat ut peccata dimittant ne Sathane seruiant et per uiam perdicionis in infernum se precipitent, prout dicitur Eccii. xxi.: Quasi a facie colubri fuge peccatum, et sequitur: Dentes leonis dentes illius interficientes animas hominum, quasi rumpheabis accuta omnis iniquitas. Sicut ergo homo fugeret colubrum intoxicantem et leones deuorantes et rumpheas trucidantes, sic debet fugere peccata. Unde et bestias uocat Augustinus transgressores mandatorum Dei, in tractatu de decore cordis. De peccatis autem et transgressionibus que sunt in peccatis et miseriis concomitantibus et sequentibus in breuiloquio de uiciis et uirtutibus. Dicitur quantum autem gentiles detestati sunt peccata ob suam turpitudinem quia nichil turpe est faciendum bono uiro, etiam si ex omni parte lateat nihil iniuste, nichil libidinese, nichil inconuenienter esse faciendum philosophie persuadet, prout ait Tullius iii. de officiis capitulo x. dicens quandam esse fabulam introductam a Platone de quodam qui dicebatur

giises quem ferunt fabule descendisse in magnum hiatus ubi animaduertit equum eneam esse in cuius latere uidit corpus hominis magnitudinis inusitate, uiditque anulum aureum in digito quem detraxit qui cum uenisset in consilio pastorum. Erat enim ibi regius pastor et cum uertisset palam annuli eius ad palmam; a nullis uidebatur et uidebat omnia idem, autem rursus uidebatur cum ad locum anulum reuocasset. Hac igitur annuli oportunitate, regine stuprum intulit, regem interemit, et alios quos uoluit et sic repente annuli beneficio rex exortus est lidie uel libie. Hunc anulum, ait Tullius, et si habebat sapiens, sibi plus peccare licere non putet quam si non haberet. Honesta enim uiri non occulta querunt hanc eandem fabulam inducit. Ambrosius iii. de officiis ubi ait: Quid necesse est fingere istum equum? Et quia eo tendit utrum sapiens si utatur isto annulo quo possit flagicia celare uelit peccare cum hoc pateat ex rebus gestis quod nolit, sicut fuit de Dauid qui inuenit Saul in spelunca et noluit eum occidere, primo Regum xxxii. Si ergo gentiles detestantur ista peccata, ratione sue turpitudinis qualiter debent fideles ea detestari. Unde Seneca epistola liii.: Nunquid satis cum uiciis litigamus que persequi sine modo sine fine debeamus. Nam illis nec modus, nec lex, nec finis quecunque cor // tuum laniant, etiam si aliter extrahi nequeant, ipsum cor cum illis est euellendum. Et epistola ii. capitulo ii.: Desiderio contra uicia aspere dici contra ambitionem contumeliose, uolo luxuriam obiurgari, libidinem traduci et cetera. Consideret ergo fidelis enormitatem transgressionum que est in peccatis quia peccatum est preuaricatio legis diuine et celestium inobedientia mandatorum, ait Ambrosius libro de paradiso, siue dictum uel factum uel concupitem contra legem eternam, prout ait Augustinus contra Faustum xxi.: Item fidelis considerans peccatum esse mortem anime, priuationem uere uite que Deus est, prout ait Augustinus in sermone: Plangis mortuum, inquit, sed plange impium, plangis a quo discessit anima et non plangis animam a qua discessit Deus. Mors enim spiritualis est anime a Dei cognitione auersio, ait Augustinus de duabus animabus. Mors enim anime est cum deserit eam Deus, ait Augustinus xiii. de ciuitate Dei capitulo primo. Considerans etiam fidelis non solum per peccatum amissione Dei et bonorum spiritualium, sed ignominiosum seruicium sub Sathana per peccatum. Serui enim estis eius cui obedistis, Ro. vi. Considerans etiam horridum peccati fetorem et putredinem quia tolerabilius canis putridus fetet hominibus quam anima peccatrix Deo, prout ait Anselmus in meditationibus suis: Has miseras peccati et multas alias considerans de quibus in breuiloquio de uiciis debet fidelis horrere peccata et detestari, exemplo prophete dicentis: Iniquitatem odio habui. Et de uiciis in generali ac nocuentis eorum ait Hugo libro secundo de sacramentis parte xiii. capitulo primo ubi dicit quod septem sunt peccata criminalia, et sequitur: Superbia aufert homini Deum scilicet per appropriationem, inuidia proximum, ira seipsum, accidia spoliatum flagellat, auaricia flagellatum eiicit, gula eiectum seducit, luxuria seruituti subiicit. Et idem anima rationalis in sanitate sua uas est solidum et integrum quam uicia hoc modo uiciant et corrumpunt, per superbiam inflatur, per inuidiam arescit, per iram crepat, per accidiam frangitur, per auariciam dispergitur, per gulam inficitur, per luxuriam conculcatur et in lutum redigitur. Quid autem sit unumquodque eorum describit dicens: Superbia est amor proprie excellentie. Inuidia est odium felicitatis aliene. Ira est irrationabilis perturbatio mentis. Accidia est ex confusione mentis nata tristitia siue tedium et amaritudo animi immoderata. Auaricia est immoderatus appetitus habendi. Gula est immoderatus appetitus edendi. Luxuria est concupiscentia experiende uoluptatis uel concubitus desiderium supra modum uel contra rationem effluens. // Ab his uiciis oriuntur omnia, ut ait ibidem. Hec enim sunt duces

exercituum uiciorum et acierum, et Iob xxxix. Procul adoratur bellum exhortationem ducum et ullulatus exercitus, Gregorius bene moralium xxxi. De his septem uiciis que sunt duces exercituum uiciorum et de uiciis que nascuntur ex eis, in supra dicto tractatu.

Capitulum secundum: De ammonitione penitentium

Predicator ergo Dei dissuadeat ista uicia et suadeat hominibus ut pugnet contra predictos duces exercitus et quod omnes interficiant etiam cum demonibus, sicut fecit Iosue de Haii et populo eius, Iosue viii., super quod Origenes omelia viii.: Rex Haii significat diabolum, uicia uero scilicet auaricia detractiones et huiusmodi cum populo eius, interficimus autem demones, non propriam eorum substantiam perimentes, sed quia proprium eorum opus quod est facere omnes homines peccare interimus, Gall. iii. Mortificate membra uestra que sunt super terram, fornicationem et immundiciam. Et quia hoc fit per penitentiam suadeat hominibus ad penitentiam, exemplo Iohannis Baptiste qui cepit predicationem a penitentia, Math. iii.: Penitentiam agite; et exemplo saluatoris qui eodem modo predicauit, Math. iii.: Penitentiam agite; et exemplo Petri, Actuum iii.: Penitemini et conuertimini ut delantur peccata uestra. Est enim penitentia instrumentum quo dicti hostes interficiuntur, prout ait Augustinus iii. de ciuitate Dei capitulo v.: Penitentia anima resuscitatur et mors ipsa occiditur, et sequitur: Crucifixio interior hominis, penitentie dolores intelliguntur et continentie quidem salubris cruciatus per quam mortem, mors impietatis perimitur. Est autem penitentia optima res que defectus reuocat ad perfectum, ait Augustinus in pronosticon uel ponosacon. Penitentia uera est penitenda non admittere et admissa deflere, ait idem de ecclesiasticis dogmatibus iii. De laude uere penitentie et quam magne sit efficacie, ponit exempla multa Ieronimus in epistola ad Oceanum de morte Fabiole, loquens de mira humiliare: Penitentie ipsius que credens licere luxuriosissimum uirum alium superinduxit, mortuo uero superinducto. Sicut Ieronimus ibi refert in semetipsam conuersa quo tempore solent uidue negligentes iugo seruitutis excusso, liberius agere, adire uoluntarie uel uoluntarie per plateas uultus circumferre meretricios uel festiuos ipsam saccum induere errorem publice fateri, et tota urbe spectante Romana, ante diem pasce in basilica quadam in ordine staret penitentem, episcopo et prespiteris et omni populo conlacrimanti, sparsis crinibus, ore liuido, squalida manu, sordida colla submittere. Que, inquit, peccata // lamento hec non abluunt, Petrus trinonius negationum trina confessione deleuit Aaron sacrilegium et translationem et auro uituli fraterne correxere preces Dauid sancti et mansuetissimi uiri homicidium et adulterium. Septem dierum emendauit fames; iacebat in terra uolutabatur in cinere et oblitus regie maiestatis. Lumen querebat in tenebris illumque tantum respiciens quem offenderat lacrimabili uoce dicebat: Tibi soli peccauit et malum contra te feci et cetera. Atque ita factum est ut qui merens docuerat uirtutibus suis quomodo stans non caderet, doceret per penitentiam quomodo cadens resurgeret quem tam impium legimus inter reges quam Achab de quo scriptura dicit: Non fuit talis alius ut Achab qui uenundatus est ut faceret malum et contra Deum hic cum propter sanguinem Naboch correptus fuisset ab Helia et audisset uerbum Domini seu iram Domini, occidisti insuper et possedisti. Ecce ego inducam super te malum et demetam uel demeciar posteriora tua. Ipse apperuit cilicio carnem suam, ieiunauitque et dormiuit in sacco et ambulabat dimisso capite. Et tunc factus est sermo Domini ad Heliam dicens: Nonne uidisti humilitatem Achab coram me. Quia ergo humilitatus est mei causa, iam non inducam super eum malum in diebus eius.

O felix penitentia que ad se Dei traxit oculos et furentem sententiam Domini confesso errore mutauit! Hoc idem. Et manasse in Paralipp. et niniue fecisse legitur in prophetis; publicani quoque in euangelio ex quibus primus non solum indulgentiam sed et regnum accipere meruit. Alius iram Dei furentem fregit. Tercius pectus uerberans pugnis, oculos non leuauit in celum et multo iustificacior recessit humili confessione uiciorum, quam phariseus superba iactatione uirtutum. Dicamus ergo illam hostiam esse placabilem et sacrificium Deo spiritus contribulatus. Hec omnia Ieronimus ubi supra. Qualiter autem est penitendum et de partibus penitentiae et de utilitatibus eius in breuiloquio de penitentia.

Sexta distinctio

Capitulum primum: De ammonitione hominum secundum differentias statuum

Similiter debet predicator alloqui homines et cum eis conferre secundum differentias status qui sunt continentie coniugalis, uidualis, uirginalis. Qualiter autem sunt ammonendi coniuges dictum est supra parte i. et de hoc etiam Augustinus de bono coniugali per totum. //

Capitulum secundum: De ammonitione uiduarum

Qualiter sunt ammonende uidue similiter dictum est ibi pro parte quas ammonet Apostolus prima Thi. vi. dicens, Vidua eligatur non minus lx. annorum que fuerit unius uiri uxor, et sequitur: Volo autem iuniores nubere et cetera. Et quamuis licite sint secunde nuptie secundum Apostolum. Tamen antiquitus que uno contente uiro fuerant corona pudicie honorabantur, sicut ait Valerius libro iii. capitulo i. Ut habitum est supra parte prima distinctione iiii. capitulo vi. Tales autem uiduas commendat Ieronimus libro ii. contra Iouinianum, exemplificans ibi de multis que noluerunt secundo nubere, unde Marcia, Kathonis filia, ut ait ibi cum lugeret uirum et matrone quererent ab ea quam diem haberet luctus ultimam, respondit: Quam et uite. Illa enim que sic conquerebat uirum absentem de secundo uiro non cogitabat. Similiter loquitur de alia quam cum propinquus moneret ut alteri nuberet, haberetque etatem integram, faciem bonam nequaquam inquit hoc faciam. Si enim bonum uirum inuenero ut ante nolo nubere timore ne perdam si malum, quid necesse est post bonum pessimum sustinere? Similiter narrat quod Portia minor cum lauderetur apud eam quedam bis maritata respondit: Felix et pudica matrona nunquam preter semel nubit. Similiter quod Marcella maior rogata a matre ut nuberet, respondit se nupsisse ita ualide ut amplius nolit. Similiter Valeria amisso primo uiro suo nulli uoluit nubere et interrogata cur hoc facere, ait sibi maritum secundum non semper uiuere, et ibi multum de hoc. Unde sequitur imitentur nupte Claudias et Cornelias, scilicet mulieres illas de progemebus illis, et cum Apostolum mulieribus bigamiam uel trigamiam uiderint ignoscentem, legant antequam religio nostra fulgeret in mundo unicubas semper habuisse inter matronas decus, per illas muliebris fortune sacra solita fieri. Sacerdotem nullum bigamum, nullum flamem bimaritum. Gerofansios Athenienses usibus castrari et postquam in pontificatum electi uiros desinere esse adie siccate sorbitione scilicet cuiusdam herbe, multum autem ibi hortatur Ieronimus, uiduas ad seruandam uiduitatem, et ne iterato nubant. Et de seruanda uiduitate idem Ieronimus et qualis debet esse uidua epistola xxiiii. que intitulatur de uiduitate seruanda, ubi multum dehortatur secundas

nuptias, enumerans multas illarum molestias unde dicit: Volumus scire quales debent esse uidue legamus euangelium secundum Lucam: Erat, inquit, Anna prophetissa que uixerat cum uiro suo annis vii a uirginitate sua, et hec uidua erat usque ad annos lxxxiiii. que non discedebat de templo ieiuniis et obsecrationibus die ac // nocte. Recorde cur similiter uidue Sareptane que sue et filiorum saluti Helie pretulit famem, iii. Reg. xvii. Legimus Iudith uiduam confectam ieiuniis et lugubri habitu sordebat quomodo lugebat uirum, Iudith viii., ubi dicitur quod erat Iudith uidua annis tribus et mensibus sex et in superioribus sue cubiculum secretum sibi fecit. In quo cum puellis suis clausa morabatur et habens super lumbos cilicium ieiunabatque omnibus diebus uite sue preter sabbata et neomenias et festa domus Israhel, eratque eleganti aspectu nimis cui uir suus reliquerat diuitias multas et familiam copiosam. Et hec erat in hominibus famosissima quia timebat Deum ualde, nec erat qui loqueretur de ea malum. Et ideo dicitur iii. quod post uictoriam de Holoferne, Ioachim summus pontifex cum uniuersis prespiteris suis uenit ut uideret Iudith que cum exisset ad illum benedixerunt eam, omnes dicentes: Tu gloria Israhel, tu leticia Israhel, tu honorificentia populi nostri quia fecisti uiriliter et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris et preter uirum tuum alterum nesciens manus Domini, confortauit te et ideo eris benedicta in eternum. Ecce quod ista clausa manebat in abstinentiis et silentio delicatum corpus macerabat. Audierat enim quod uxores Daud clause erant usque in diem mortis sue, in uiduitate uiuentes, ii. Regum xii. Et ideo Ieronimus ad Eustochium: Nolo habeas consortium matronarum, nolo ad nobilium accedas domus, nolo te frequenter uideri, nolo quod contempnas quod esse uoluisti. Cur facis iniuriam uiro tuo? Ad hominis coniugem Dei sponsa properas? Disce in hac parte sanctam superbiam; scito te illis esse meliorem. Et post: Rarus sit tibi egressus in publicum; matres te querant in cubiculo tuo. Nunquam tibi causa deerit procedendi in publicum sed semper quando necesse est fueris processura, moderatus cibus et nunquam uenter repletus. Et post: Sint tibi quotidiana ieiunia et refectio sacietatem fugiens. Nichil prodest triduo biduoque transmissio, uacuum portare uentrem, si compleatur saturitate ieiunium. Hec ille. Item Ieronimus: Parum castitatis credo sine suis appendentiis. Vidualis autem castitatis tria sunt appendentia. Primum est non euagari sed uel in propria domo manere uel in templo orare, ad exemplum Anne prophetisse de qua supra quia euagatio in uiduis reprehenditur, prima Timothei quinto. Simul ociose discunt circuire domos, non solum ociose sed etiam uirtuose, et curiose loquentes quod non oportet. // Secundum est ciborum asperitas quia, secundum quod dicitur ubi supra, uidua que in delitiis uiuit mortua est. Tercium est uestium humilitas. De beata enim uirgine dicit Ephiaphianus quod uestes proprii coloris amabat et portabat. Viduas delicate ornatas, arguit Ieronimus epistola ad Eustochium, uideas pluresque uiduas antequam nuptas in felicem conscientiam mentitas tantum ueste protegere que erecta ceruice et ludentibus pedibus incedunt. Hee autem lepide et festiue uideri uolunt, et quam uiderint pallentem miseram monacham et monacheam uocant, quarum uestis est tenuis, cibus exquisitus, lectus deliciosus, stricte manice brachiis adherentes, mollis gestus, fractus incessus: hec apud illas totas uiduitas. Hec ille. Venio, inquit ille de uiduitate seruanda, ad uiduam pauperulam in euangelio, mittentem duo minuta in gazophilatio, cuius deuotam oblationem laudauit Ihesus, dicens: Vere dico uobis quia uidua hec pauper plusquam omnes misit, Luce xxi. Et idem: Quid angustiarum habent nuptie, didicisti in ipsis nuptiis? Et quasi coturnicum carnibus usque ad nauseam saturata es. Et sequitur: Quid uis tibi rursum ingerere quod noxium est bruta animalia et uage aues in easdem pedicas et

reticia non incidunt, an forte propter liberos hoc uis, sed ridiculum est sperare pro certo quod multos non habere uideas. Et sequitur: Imitare potius sanctam matrem tuam, cuius ardor in Christum, pallor ex ieiuniis, elimosina in pauperes, obsequium in seruos Dei, humilitas cordis et uestis, et in cunctis sermo moderatus. Et post: Accipe queso occasionem et fac de necessitate uirtutem. Similiter epistola xcv. de hoc multum inter laudes Paule matris Eustochii, exponens illud Apostoli, prime Timothei v.: Volo adolecentulas nubere et cetera: Nullam occasionem dare aduersario. Cur enim indulserit scilicet secundas nuptias subiecit? Nam quedam declinauerunt post sathanani. Unde inquit: Qualia sunt secunda matrimonia que lupanaribus preferuntur? Vidua enim que non potest continere, uel non uult, maritum potius hominem accipiat quam diabolum. Et ibi multum de hoc. Et interserit tibi uersus Virgilio libro quarto: Ille meos prius qui me sibi iunxit amores. Abstulit ille habeat secumque seruet in sepulchro. Item Ieronimus de hoc multum epistola xxvi. ubi loquitur de triplici statu, scilicet coniugium, continentium et uirginum. Et de coronis talium narratque ibi de uiro qui sepelierat xx uxores et de muliere que habuerat xxii maritos, qui fuerunt copulati matrimonio et fuit specatio omnium // Rome quisquam efferet ad sepulcuram, sed uicit maritus, tocius urbis populus continente, confluente uel concurrente coronatus ac palmam tenens et clamans feretrum uxoris multi nubere feretrum precedebat. Ideo Ieronimus alloquens uiduam cui scribebat: Obsecro, inquit, te ut ista testimonia non noueris quibus incontinentibus et miseris subuenitur, sed illa potius lectites quibus pudicitia coronatur. Sufficit tibi quod perdidisti primum uirginitatis gradum, et per illum uenisti ad secundum, id est per officium coniugale ad continentiam uiduitatis. Et ibi multum de hoc. Qualiter autem debet uidua cauere a mala societate et suspicionibus? Ieronimus epistola xcvi. unde ait: Quid facit uidua inter familie multitudinem, inter ministrorum greges? Et sequitur: Caue omnes suspensiones et quicquid de te fingi potest ne fingatur ante deum. Non ambulet iuxta te calamistratus procurator, non histrio factus in feminam, non cantoris diaboli uenenata dulcedo, non iuuenis nitidus, nil artium stenitarum, nil tibi in obsequiis molle iungatur, habeto tecum uiduarum et uirginum choros, habeto tui sexus solatia. Semper in manibus diuina fit lectio et tam crebre orationes ut omnium cogitationum sagitte quibus adolescentia percuti solet; huius clipeo repellantur. Et post: Nesciat uidua digamie indulgentiam. Et Augustinus libro de continencia uiduali: In omnibus spritualibus deliciis quibus fruuntur innupte sancta eorum conuersatio tanta esse debet ne forte cum mala uita non sit per lasciuiam. Mala sit fama per negligentiam. Nobis enim necessaria est bona uita nostra sed aliis fama nostra. Hec Augustinus. Qualiter autem uidua debet esse ornata? Idem Ieronimus epistola xciii. alloquens illam ait: Quid in facie Christiana facit purpurissus et cersa quorum alterum ruborem generat labiorum genarumque, alterum candorem oris et colli, ignis iuuenum fomenta libidinum impudicie mentis indicia? Ut supra habitum est: Quid aliud pollicemur? Aliud ostendimus, lingua personat castitatem et corpus totum perfert immundicia. Qualiter autem debeat esse sobria? Ibidem: Quid, inquit, necesse est nos iactare pudicitiam que sine comitibus et appendentiis suis, continentia et parcitate, fidem sui facere non potest Apostolus: Macerat corpus et adolescentula feruente cibis corpore; secuta est de castitate. Vidua in deliciis uiuens mortua est, prima Timothei quinto: Ardentes diaboli sagitte, ieiuniorum et uigiliarum frigore restringende sunt. Et prima Timothei v. de instructione uiduarum bene ait: Viduas honora que uere uidue sunt // Si qua autem uidua filios aut nepotes habet, discat primo domum suam regere mutuum caritatem uel uicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo. Que autem

uera uidua est et desolata speret in Deum et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die. Nam que uidua in deliciis uiuens est mortua uidua eligatur non minus lx annorum que fuerit unius uiri uxor in operibus bonis testimonium habens, si filios educauerit, si hospitio susceperit, si sanctorum pedes lauerit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum operata est, adolescentiores uiduas deuota. Cum enim luxuriate fuerint simul autem et ociose, discunt circuire domos, non solum autem ociose sed uerbose et curiose loquentes que non oportet. Et Augustinus epistola iiii. multum de perfectione uiduarum ubi ait quod magis aliis debet orare uidua. Et idem iii. confessionum loquens de matre sua: Illa uidua casta et pia et sobria, quales amas tu Deus. Narrat Valerius libro iiii. capitulo iii. de Anthonia femina que amorem mariti egregia fide pensauit, orna et etate florens, cubiculum socrus pro coniugio habuit, in eodemque thoro alterius adolescentie uigor extinctus est. Alterius uiduitatis experientia consenuit; tales uiduas benedixit Dominus, Psalmista, uiduam eius benedicens benedixam. Bernardus et uoces earum exaudit ac protegit et earum lacrimis condescendit. Exodi xxii.: Vidue et pupillo non nocebis, si leseris eos uociferabuntur ad Dominum. Et sequitur: Ego audiam uocem eorum et egredietur furor meus contra te, et Eccles. xxxv.: Nonne lacrimae uidue ad maxillam descendunt et exclamatio eius super deducunt eas. A maxilla enim descendunt, ascendunt in celum et Dominus exauditor non delectabitur in illis. Et non solum in mulieribus gentilibus exemplum seruande uiduitatis inuenitur sed etiam in creaturis irrationalibus, sicut in turture, sicut ait Ambrosius exameron omelia quinta quod turtur ubi coniugis proprii uiri fuerit amissione uiduata, parem sibi usum thalami et nomen habere coniugii eo quod primus amor fefellerit eam; dilecti morte deceptam horrescit quoniam et infidelis ad perpetuitatem fuit et amarus ad gratiam qui plus doloris ex morte quam suauitatis ex amore generauit. Et sequitur: Iterare coniunctiones recusat illi soli suam castitatem reseruat, illi custodit nomen uxoris. Discite, inquit, mulieres quanta sit uiduitatis gratia que etiam in auiibus predicatur. Prima Corinth. vii.: Dico innuptis et uiduis: Bonum est illis si sic permaneant sicut ego quod, si non contineant, nubant. Melius est enim nubere quam uri. // Super quod Ieronimus epistola xcv.: Tolle quod peius est, scilicet uri, et per se bonum non erit, scilicet nubere. Euangelicus ergo predicator his occasionibus ammonet uiduas ut sint tales quales descripserunt sancti prenominati.

Capitulum tertium:

De informatione uirginum et defectu uirginitatis ac pena uiolantium uirginitatem

Virgines autem sunt ammonende eo modo quo Apostolus monet eas prima Corinth. vii. ubi ait de uirginibus: Preceptum Domini non habeo, consilium autem do, i. Corinth. vii. Quia enim status uirginitatis est quasi status celicus, non est in precepto ob suam arduitatem et difficultatem. Propter quod ait Saluator, Mathei xix.: Sunt eunuchi qui se castrauerunt propter regnum celorum. Et sequitur: Qui potest capere, capiat. Ut enim ait Augustinus de bono uirginali: Virginalis integritas et per piam continentiam ab omni concubitu immunis angelica portio est. Est enim in carne corruptibili incorruptionis perpetue meditatio. Et ideo non fuit preceptum de ea quia ultra homines est. Quodammodo imprudentis erat aduersus naturam cogere, alioque modo dicere: Volo uos esse quod angeli sunt. Unde et uirgo maioris est premii, dum id contemnit quod, si id fecerit, non delinquit. Et de laude uirginitatis Augustinus de bono uirginali quasi per

totum. Et Ambrosius libro primo de uirginitate ubi ait: Quis negat hanc uitam fluxisse de celo quam non facile inuenimus in terris, nisi postquam Dominus in huiusmodi terreni corporis membra descendit, sed de Helia Iohanne Baptista, de Maria sorore Moysi, et de uirginibus quas legimus fuisse in templo deputatas. Hec omnia in figura contingebant illis ut essent indicia futurorum, figura in paucis, ueritas in pluribus. Qualis autem debet esse uirgo describit Apostolus ad Corinthios vii.: Quando, ait, uirgo cogitat que Dei sunt ut sit sancta corpore et spiritu. Debet ergo uirgo sanctitate interiori et exteriori esse immaculata; debet esse meditationibus vacans et intenta; debet esse mundanarum cogitationum abdicatiua et expulsiua ut autoritate patet; debet esse sedulitate studiosa ut Deo placeat habens oleum celestis gratie, siue interioris leticie, coram Deo in uase cordis ut sit uirgo sapiens obuians sponso et habens oleum in lampade, Mathei xxv. Et de instructione uirginis qualis debet esse Ieronimus ad Eustochium xliii. epistola per totum ubi describit eminentem uirginitatis prerogatiuam, dicens quod uirginitas non est in precepto quia maioris mercedis est quod non cogitur sed offertur et durissimum // erat contra naturam cogere, angelorumque uitam ab hominibus extorquere, et id quodammodo damnare quod conditum est. Et ibidem: Ut filius Dei ingressus est in mundum noua familiam instituit ut qui ab angelis adorabatur in celis haberet angelos in terris, scilicet uirgines. Item Ambrosius de uirginitate: Supergreditur, inquit, uirginitas conditionem nature per quam homines angelis assimilantur. Angeli sine carne uiuunt; uirginitas in carne triumphat. Item uirgo debet esse fragilitate uel frugalitate siue abstinentia sobria. Unde Ieronimus epistola predicta: Si experto creditur, hoc primum moneo ut sponsa Christi uinum fugiat pro ueneno; hec aduersus adolescentiam prima arma sunt demonum. Et sequitur: Vinum et adolescentia duplex incendium uoluptatis. Quid oleum flamme adicimus, quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? Et sequitur: Moderatus cibus nunquam uenter repletus seu expletus sint tibi quotidiana ieiunia et refectio saturitatem fugiens. Item debet esse uirgo humilitati subiecta et timida uel tremida. Exemplo beate uirginis matris Dei in qua dedicatur beata uirginitas, ut ait Ieronimus epistola predicta. De ipsa enim humilitate ipsa gloriata est, et Deum laudat subticendo de uirginitate, Luce i., quando ait: Magnificat anima mea Dominum. Et sequitur: Quia respexit humilitatem et cetera. Humilitas enim est necessaria cum uirginitate et caritas est custos uirginitatis uere, ait Augustinus de bono uirginali. Et de humilitate beate uirginis quam debet imitari quelibet uirgo Bernhardus supermissus est. Item debet esse uirgo tacita silentio uirtuoso pudore uerecunda, prout ait Ieronimus ad Demetriadem epistola xlvii. ubi ait: Sit autem sermo uirginis prudens, modestus et rarus, nec tam eloquentia preciosus quam pudore. Mirentur omnes tuam te tacente uerecundiam, te loquente prudentiam. Et ibidem: Nunquam detractio ex ore uirginitatis procedat. Et post: Sermo ociosus uitandus est. Et ibi multa bona de instructione uirginis et similiter in sequenti epistola ad eandem. Item debet esse uirgo quieta et honesta societate concomitata, non uaga discurrens per plateas et uicos. Exemplo beate matris Dei quam inuenit angelus in cubiculo et in loco archano, Luce i. Unde Ieronimus ad Eustochium epistola predicata: Rarus sit egressus in publicum, nunquam causa deerit procedendi in publicum sed semper quando necesse fuerit sis processura. Et ibidem: Sint tibi socie quas etas probauit et uita que quotidie in cordibus suis canunt, ubi pascis, ubi cubas in meridie et cetera. Item uirgo debet esse sacris orationibus et uirtuosis laboribus occupata, // secundum quod ait Ieronimus in dicta epistola ad Eustochium diuersas orandi horas habere debemus ut, si forte aliquo opere detendi fuerimus, ipsum nos ad officium tempus admoneat horam

terciam et sextam. Et sic monet uirginem ut sit intenta oracioni uel utili opere. Et idem Ieronimus epistola 89. alloquens matrem de instructione filie: Reddet tibi, inquit, pensum quotidie de scripturarum floribus. Et post: Asuescat ad orationes et psalmos, nocte consurgere, ymnos canere iii., vi. et ix. hora stare in acie quasi bellatricem Christi. Et sequitur: Discat et lanam facere, tenere colum, rotare fusum, stamina pollice ducere. Et de instructione uirginis et eius uirtutibus, moribus ac periculis sufficienter sancti patres predicti in tractatibus et epistolis suis et quamuis instruant uirgines Deo dicatas et consecratas, tamen omnibus uirginibus que sunt sapientes non fatue; uirgines prefate sunt necessarie. Omnes autem uirgines ammonende sunt de diligenti custodia sue uirginitatis, et ne improuide egrediantur cum dina ad uidendas mulieres regionis et corrumpantur et iniuriam patiantur qualem illa passa est, Genesis xxiii. Virginitas enim thesaurus est impreciables, ait Ieronimus ad Metriadem loquens de uirginitate: Diuitie, inquit, tue tuus est thesaurus irrecuperabilis postquam est amissus. Et idem ad Eustochium epistola predicta: Caue, queso, ne quando dicat de te Deus. Virgo Israhel cecidit et non est qui resuscitet eam. Audacter loquor enim cum omnia possit Deus suscitare, non potest uirginem post ruinam. Valet quidem liberare de pena sed non uult coronare corruptam. Si ergo homines solliciti sunt ad custodiendum thesaurum recuperabilem, multo magis debent uirgines esse sollicitae ad custodiendum thesaurum irrecuperabilem. De quo Mathei viii.: Simile est regnum celorum thesauro absconsum. Similiter Gregorius libro i. omelia xii.: Depredari desiderat qui thesaurum in uia publice portat. Ille ergo uirgines que suam ostendunt pulcritudinem et discurrunt publice et uagantur, timere possunt ne depredentur a latrunculis Sathanicis et scortatoribus de quorum quolibet Iob iii. per noctem erit quasi fur. Oculus enim adulteri obseruat caliginem. Sacre autem uirgines sollicitae fuerunt de hac custodia et maluerunt etiam mori quam amittere uirginitatem, et disiderauerunt deformari in corpore ne appeterentur et perderent thesaurum uirginitatis, sicut narrat Ambrosius libro ii. de uirginitate de illa sancta uirgine que fuit Anthiochie cuius pulcritudo appetebatur que fuit ducta ad lupanar. Et intus erat columba foris strepabant accipiteres que fleuit et orauit, dicens: Domine, donasti uirgini feras et leones domare, potes hominum feras mentes // similiter domare, nunc templum tuum inuaditur ne patiaris incestum sacrilegii et uix compleuerat precem. Et ecce miles intrauit quatinente dixit: Ne timeas soror, ueni saluare animam tuam non perdere, nec quasi adulter ingressus sum, si uis martir egrediar, uestimenta mutemus. Tua uestis me faciat uerum militem quia martirem mea uestis faciet te uirginem, sume pallium quod tegat crines, abscondat ora. Solent enim homines erubescere qui intrauerunt quando lupanar exeunt. Mutato igitur habitu euolauit de laqueo et cum alius intrasset, credens quod esset ibi puella, egrediens ait: Puella ingressa fuit modo uidetur uir, et euentum aliis denunciauit et miles pro uirgine damnatus est que hoc audiens fertur cucurrisse ad locum supplicii et certasse de nece. Cunque ille diceret: Ego sum missus occidi, te autem absoluit sententia, ait uirgo. Non ego effugium mortis elegi, sed pudoris predam effugere optauit. Si sanguis expetitur fideiussorem, non desidero; habeo unde soluam. In me lata est sententia que pro me lata est. Fideiussor liber est quando his paratus est soluere pro quo fide iussit, aut igitur ero rea sanguinis tui aut ero martir mei. Sufficiunt membra morti que non in nature obprobrium declinaui non martirium tibi cessi, id est concessi. Vestem non professionem mutauit. Noli eripere beneficium quod dedisti, sicque ambo contenderunt et uicerunt, nec est diuisa corona sed addita. Laudanda est igitur uirgo et de uirginitatis zelo et de martirii desiderio. Idem narrat libro tercio quod sancta Sotheris cum esset uirgo decora facie et

eam persecutor palmis in facie cedi iuberet, illa hec audiens leta uultum obtulit ut ibi fieret martirii sacrificium, ubi fuerat pudoris temptamentum uel temperamentum. Gaudebat enim dispendio pulcritudinis periculum integritatis auferri. Consimiliter legitur in uita beate Brigide quod cum eam adultam nobilis quidam in coniugem peteret, ipsa castitatis desiderio fragrans, a Deo precibus obtinuit ut aliqua sibi data corporis difformitate. Omnium procorum in ea cessaret instantia et tunc oculus eius unus crepuit et liquefactus est quod uidens pater eius eam uelari permisit, oculusque eius sanatus est. Similiter de aliis uirginibus sanctis legitur quod sollicite erant pro sua sacra uirginitate custodienda. // Unde in libro qui dicitur paradisi narratur de quadam puella que cum nollet consentire domino suo grauiter est afflicta, responditque quod non tota simul tantum sed minutatim uel minuatim mitti in picem sustineret antequam consentiret. Ibidem loquitur de alia que inter quoddam sepulcrum sedebat per annos decem donec mortua fuit cuius uultum nemo uidere potuit. Et hoc, inquit, ideo quia cuiusdam animus in me lesus fuerat et ne me uideret, malui in sepulcro recludi quam nocere anime ad similitudinem Dei facere. Similiter narrat ibi de uirgine apud quam latuit beatus Athanasius uel Anastasius per sex annos que cum esset mire pulcritudinis consueuit uitare conspectus hominum ne ex suspitione aliqua macula notaretur, ad quam ueniens sanctus Athanasius dixit: Deus michi nocte dignatus est reuelare apud nullum nisi apud illam uirginem me posse saluari. Illa uero proiectis uanis cogitationibus lauit ei pedes et ministravit ei et postea in ecclesia constanter subito apparuit, dixitque amicis: Apud uos non latui ut possetis iurare nescire ubi essem, in cella uero uirginis latui ubi nulla suspitio poterat esse de me. Ibidem legitur de uirgine Iuliana que origenem metuentem seditiones paganorum et fugientem per biennium suscepit et celauit, sibique necessaria ministravit. Similiter narrat Ieronimus epistola xlii. de uirgine sacra que uideri noluit a beato Martino qui cupiebat eam uidere moribus et castitate precelsam que misit ei exenium ac per fenestram respiciens ait sancto uiro: Ora pro me, pater, quia a uiro nunquam sum uisitata. Gratias egit sanctus Deo eamque benedixit, quam periculosum autem sit sacram uirginitatem impedire uel Deo sacratas uirgines uiolare. Patet ex eo quod narrat Ieronimus epistola xlix. quod pretaxata nobilissima femina iubente uiro qui patruus erat, Eustochii uirginis habitum et cultum ipsius uirginis mutauit, cupiens uincere uirginis propositum, et matris eius scilicet Paule desiderium. Volebat enim quod nuberet et ecce eadem nocte cernit in somnis uenire angelum terribili facie, minantem penas et hec uerba frangentem. Tu ausa es preferre uiri imperium Christo. Tu caput uirginis Dei, sacrilegis manibus ausa est attractare que iam arescent ut sentias excruciatam, quid feceris? Et finito uno mense ad inferna ducaris, si autem in scelere perseueraueris et marito simul orbaberis et filiis que omnia per ordinem expleta sunt, et seram misere penitentiam, uelox signauit interitus. Sic Christus ulciscitur uiolatores templi sui, sic gemmas et preciosissima ornamenta defendit. Hec autem retuli non quod insultare uelim calamitatibus infelicium // sed ut moneam cum quanto metu et cautione seruare debeas quod Domino spondidisti. Hec ibi. Nec mirum si Deus offendatur in uiolatione uirginis Deo consecrate quia sacra uirgo est uxor regis, non militis, quia scilicet sponsa Christi et est archa testamenti intrinsecus et extrinsecus deaurata et custos legis Domini, prout ait Ieronimus alloquens Eustochium ubi supra et ibi adiunxit: Zelotipus est Deus; non uult ab aliis uideri faciem tuam. Item ipse dicit ibi: Una est columba mea; una est perfecta mea; semper te cubilis tui secreta custodiant, semper sponsus ludat tecum, intrinsecus orans ad sponsum: Loquaris legens ille tibi loquitur. Vere ergo si quis uiolauerit templum Dei, disperdet

illum Deus, i. Corinth. iii. Et licet predicta intelligantur de sacris uirginibus Deo sacratis, tamen omnis uirgo debet sollicite seruare uirginitatem suam, etiam si habeat propositum nubendi. Unde secundum legem diuinam, si quis apprehendens uirginem concubuerit cum ea, debet eam ducere in uxorem, Deutronomii uicesimosecundo. Et si uirgo esset et desponsata, si fuisset corrupta in ciuitate et non clamasset debet lapidari, ut dicitur ibi. Ut enim legitur in uita sancti Kinderini uel Kindeni episcopi apud antiquos saxones et pene ad moderna tempora sanximum hucusque durauit ut quelibet uirgo in paternis edibus sponte deflorata, uiua absque retractione ulla sepeliri uel scoriari debuit, uiolator uero super eius sepulcrum suspendi. Et ut ibidem dicitur: Lex fuit in populo barbaro ut si puella in paternis edibus fornicans grauida inueniebatur, de supercilio montis altissimi precipitabatur, corruptor uero capite plectabatur. Si uero ethnici et diuine legis ignari sic fuerunt solliciti ad custodiendam uirginitatem in filiabus suis, quanta sollicitudine debent Christiani zelare pro filiarum uirginitate seruanda? Virgines enim uestales, id est seruientes dee Veste secundum errorem gentilium, si inueniebantur corrupte, uiue excoriabantur, prout narratur in prologo Romanorum ubi narratur de una que cum genuisset infantes, iuxta legem in terram defossa est uiua. Unde et de una tali que cum haberet conscienciam certam sinceritatis sue accepto cribro. Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admonui manus, effice ut hic hauriam in cribro de Tiberi aquam in edem tuam perferam, // et sic factum est prout narrat Valerius libro iiii. capitulo i.: Nec est intelligendum quod hoc fuit merito sue uirginitatis uel obsequiis cum ritus ille esset demonialis sed hoc fuit factum ludificatione demonum ad deceptionem hominum, sicut determinat Augustinus loquens de facto huius uirginis, x. de ciuitate Dei capitulo xvi.: Potuit enim demon permissa sibi potestate retinere aquam in cribro ut amplius deciperet. Narrat etiam Augustinus ibi de alia que nauim in qua simulacrum uehebatur, conatibus hominum atque boum immobilem redditam, zona alligatam ad sue pudicie testimonium mouit et traxit. In omnibus autem predictis predicator ammoneat uirgines esse tales quales descripte sunt ut de eis uerificetur illud prophete: Adducentur regi uirgines post eam et ut habeant oleum, id est nitorem conscientie in lampade cordis cum sapientibus uirginibus et ut deuota uoluntate sint uirgines non timore cogente. Quia ut ait Ambrosius libro i. de uirginitate, non est casta que metu cogitur, nec honesta que mercede conducitur. Ubi narrat de quadam Pictagorea uirgine que cum a tyranno cogeretur prodere secretum, ne quid in se ad extorquendum confessionem uel tormentis liceret, morsu abscidisse linguam fertur, atque in tyranni faciem despuisse ut qui interrogandi finem faciebat, non haberet quid interrogaret, sed uicta est cupiditatibus que tormentis uinci non potuit forti animo sed tumentu utero. De fructu autem uirginitatis et premio Apocalipsis xiiii.: Nemo poterit enim dicere canticum. Et sequitur: Virgines enim sunt et sequuntur agnum quocumque ierit. Super quod Augustinus de bono uirginali: Agnum sequi quocumque ierit est ipsum uirginitate mentis et corporis imitari. Et ibidem: Gaudia uirginum sunt de Christo, in Christo, cum Christo, per Christum, et post Christum. Sequitur: Gaudia uirginum non sunt eadem cum non uirginibus quamuis Christi. Nam sunt aliis alia sed nullis talia, Ysaie lx. Hec dicit dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea et muris meis nomen melius a filiis et filiabus. Unde Augustinus epistola xxviii.: Beatius est in carne imitari uitam angelorum quam ex carne augere numerum mortalium. Hec est uberior fecundiorque felicitas: non uentre grauescere sed mente grandescere, non lactescere pectore, non uisceribus terram sed orationibus celum perturare. Et de hoc fructu uirginitatis et de cautela in malis cauendis narrat Gregorius dialogorum x., loquens de puella nomine

Musa cui apparuit beata uirgo cum puellis in albis uestibus et quesuit ab ea an uellet uiuere in eius obsequio, qua respondente quod sic: dicit ei beata uirgo ut nihil ultra puerile uel leue ageret et a risu et iocis abstineret, et quod // ad eam tricesimo die uentura esset que omnino mutata est, sicque factum est et in ultimis dixit: Exite, ecce domina uenit. Idem ait sue narrat de Tharssilia que habuit duas sorores que cum uenissent ad exitum circumsteterunt circa lectum suum et clamauit: Cedite, Ihesus uenit. Et de his, scilicet de perfectione uirginum et de gloria earum, patet in uitis sanctarum uirginum, scilicet Katherine, Agnetis et aliarum de quibus ecclesia solemnizat.

Septima distinctio: De ammonitione hominum secundum differentias euentus uel fortune

Capitulum primum: De ammonitione existentium in prosperitate

Similiter ammonendi sunt homines existentes in prosperitate ne extollantur et existentes in aduersitate ne terreantur desperando de aduersitate. Illi enim qui prosperantur pro uoluntate non se offerant, nec in ea presumptuose confidant, nec sustinentes aduersa despiciant et mutabilitatem siue labilitatem eius iugiter considerent. Et de eorum ammonitione Gregorius ii. pastoralis capitulo xvii. Unde et prouerbiorum i.: Prosperitas stultorum perdet eos. Augustinus epistola 82.: Mundus est periculosior blandus quam molestus. Iob v.: Vidi stultum firma radice et maledixi pulcritudini eius. Ibi Gregorius moralium vi.: Quasi per amena prata ad carcerem uadit qui per presentis uite prospera ad interitum currit. Iob xviii.: Precipitabit eum consilium suum. Ibi moralium xvi.: Prosperitas gressus obligat ut uix ad bona redire possint. Unde Augustinus epistola v.: Nichil infelicius felicitate peccantium qua penalis nutritur iniquitas et mala uoluntas uelut hostis interior roboratur. Et sequitur: Si Deus pollere permittat iniquos in prosperitate, tunc indignatur grauius, et si hic impunita dimittat, tunc punit inuestius. Ubi inducit illud poete: Luxuriant animi rebus plerumque secundis. De hoc Seneca multum libro de prouidentia ubi ait: Nichil infelicius eo cui nunquam accidit aliquid aduersi quia male iudicauerunt dii de ipso. Et ponit exempla de ipsis qui aduersa sustinuerunt sicut de regulo qui quanto plus tormenta sustinuit, tanto plus glorie obtinuit, et quanto plus glorie habuit, tanto uberius et uirilius aduersa tolerauit. Solatium enim magnis uiris fuit dura pro honestis tolerare. Et de hoc idem Seneca epistola vii.: Munera fortune sunt insidie, et epistola lxxx.: Segetum ubertas nimia sternit, rami onere franguntur // ad maritatem non prouenit nimia fecunditas. Idem illis euenitur quos nimia felicitas corrumpit. De huiusmodi autem mutabilitate Gregorius iii. registrum ante finem bene ubi ait: Dum omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo corrumpat, nec eleuari prosperis, nec frangi debemus aduersis ut humilitati discamus quicquid delinquimus et exaltati aduersitatis memoriam quasi humilitatis anchoram in mente teneamus. Nichil est stabile in hac uita sed ut uiator modo per plana modo per ardua pergat, nec est ira sed gracia per quam discimus ut eius dona tanto seruemus uerius quanto humilius. Artem gubernandi mare tranquillum non ostendit et obsequens uentus nisi aliquid aduersum occurrat sed quia animum probet turbatio naufragii. Non est laudandus rector cui gubernacula fluctus eripuit qui fluctuantia uela deseruit. Ille uero laudandus qui predictis restitit. Et de eius mutabilitate Valerius libro xi. capitulo ultimo ubi narrat de quodam cui omnes conatus placide exhibebantur itinere circumcupite rei factum apprehendebat fata que incipiebantur simul et soluebantur, uelle ac posse in equo positum erat. Annulum enim de

industria in profundum abiicit ne omnis incomodi expers esset, quem tamen continuo recuperavit capto pisce qui eum deuorauerat. Sed hunc cuius felicitas semper plenis uelis prosperum cursum tenuit oportantes Darii regis prefectus in excellentissimo montis uertice cruci affixit ubique putruit. Non ergo confidendum est multum in diuturna prosperitate ex qua aduersitas sepe subsequitur. Et ibidem narrat de aliis qui fuerunt diu prosperitati postea aduersa passi propter quod concludit ibi Valerius: Caduca nimirum et fragilia pluribusque consentanea crepitis sunt. Ista que uires humane atque opes uocantur, affluunt subito, repente dilabuntur. Nullo in loco, nulla in persona stabilibus infixis radicibus consistunt. Sed in certissimo flatu ruine huc atque illuc acta quos in sublime extulerunt improviso recursu destitutos profundo cladum miserabiliter immergunt, itaque neque existimari neque dici debent bona que inflictorum malorum amaritudine desiderium suum deformant. Ibidem etiam narrat de Craso cui pecunie magnitudo locupletis nomen dedit sed eidem postea inopia turpem dedecoris appellationem misit. Siquidem eius bona a creditoribus quia solidum prestare non poterat direpta sunt et amara sugillatione non caruit cunque egens ambularet ab omnibus contemnebatur qui diues ab occurrentibus salutabatur. Ibidem narrat de Casso qui preture uel prefecture splendore triumpho claritatem confulciatus decore maximi pontificis sacerdotio effectus uel functus ut diceretur senatus patronus // qui fuit postea manibus carnificis laniatus ante totius fori Romani conspectum. Similiter narrat de Martio qui multis prosperatus deinde proscriptus et multis aduersis afflictus est, de quo ait ibi Valerius: Quid huiusmodi conditione inconstantius et mutabilius quam si inter miseros posueris miserimus, si inter felices felicissimus reperitur? Et de multis talibus narrat ibidem. Non est igitur gloriandum de mundana prosperitate quia uita secunda quasi mare mortuum, ait Seneca epistola lxx., et ubi eadem die leserunt nauigia absorbentur, ait ibidem. Munera fortune sunt nisi die et uisitata uel uiscata beneficia, ait idem epistola vii., et xlviii.: Nescis qua etate Hecuba seruire ceperit qua Cresus, qua Darii mater qui prius fuerunt prosperati postea aduersis afflicti. Ideo Augustinus de uerbis Domini sermone xiii.: Magne uirtutis est in felicitate luctari ne alliceat, ne corruptione subuertat. Magne, inquit, uirtutis cum ea luctari et non ab ea uinci. Phillipenses iii.: In omnibus iustificatus sum; scio humiliari, scio habundari. Super quod Gregorius super Ezechielem libro ii. omelia vii.: Magna ars est et mire scientie disciplina ac toto cordis nisu discenda scire sustinere aduersa et prospera. Et ille magnus est qui blandientibus rebus secundis non seducitur, ait Bernhardus tercio ad Eugenium ante finem. Et de hac materia Seneca libro de prouidentia quasi per totum ubi ait: Fugite diuitias uel delicias. Fugite eneruatiuam felicitatem qua animi marcescunt. Sequitur: Cum omnia que modum excesserint noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est que in uanas mentes ymaginationes euocat. Et idem: Illos merito dicit quis miseros qui nimia felicitate torpescunt quos uelut in mari lento tranquillitas iners detinet. Et idem epistola xxxvii.: Res inquieta felicitas, ipsa exagitat, mouet cerebrum non uno genere alios in aliud irritat: hos in potentiam, hos in luxus, hos inflat, illos mollit et totos resoluit. Est enim sicut uinum, scilicet quia turbat. Nulli ergo magnificandi uel beatificandi propter mundi prosperitatem dici possunt, ait Valerius libro septimo capitulo secundo recitans dictum Solonis dicentis: Neminem dum adhuc uiuit beatum debere dici, quoadusque fati diem ancipiti fortune subiecerimus. // Et ibidem interroganti quis nam esset, beatus Anaxagoras respondit: Nemo, inquit, ex his quos tu felice estimas sed in numero illo reperies qui a te miser ceditur. Non erat ille diuitiis aut honoribus habundans

sed aut iuris uel rursus exigui, aut non pertinax ambicio se doctrine fidelis cultor tam in incessue quam in fronte beator.

Capitulum secundum: De ammonitione hominum existentium in aduersitate

Ex his patet qualiter sint admonendi sustinentes aduersa, scilicet per oppositum ut non grauentur nimis de aduersitate quam patiuntur quia aduersitas plus prodest sustinentibus patienter quam prosperitas, sicut probat eleganter Boecius ii. de consolatione capitulo ultimo ubi ait: Plus hominibus reor prodesse aduersam naturam uel fortunam quam prosperam. Illa enim uidetur blanda; mentitur hec semper uera cum se instabilem monstrat, illa fallit. Hec instruit. Sequitur: Illam uideas uentosam semper fluentem sui ignaram; hanc sobriam siccatamque et ad exercitationem prudentem; illa deuios a uero bono facit; ista ad uera bona illico retrahit. Et similiter Seneca libro de prouidentia quod aduersitas non est malum quod noceat, scilicet bonis, quia nichil mali potest accidere bono uiro et hoc quia nulla bona sibi auferunt. Non enim miscentur contraria in multis bonis exercentur et a malis, scilicet uoluptatibus et lasciuuis, retrahuntur et gloriam et honorem cumulant, sicut de omnibus ibi exemplificat, ubi ait: Sicut amnes et ymbres et fontes non mutant saporem maris nec remittunt, ita aduersarum rerum impetus fortis uiri non mutat animum sed manet in statu suo, et quicquid euenit in colorem suum trahit et mutat. Est enim omnibus exteris potentior. Et sequitur: Omnia aduersa exercitationes putet. Athletas, inquit, uidemus quibus cura est cum fortissimis conflare, marcet sine aduersario uirtus, tunc apparet quanta sit quantumque polleat. Cum quid possit patientia ostendit, quicquid accidit, homini consulit et in bonum conuertit. Sequitur: Pium animum habet Deus ad uiros bonos. Illos fortiter amat et uult quod operibus bonis et doloribus plenis ac damnis exagitentur ut uirum uel uerum colligant robur. Nam matres nolunt fouere in sinu filios. Languent, inquit, per inerciam saginata, nec fert ullum ictum illesa felicitas, et ibi de hoc per totum. Unde ait: Gaudent magni uiri rebus aduersis, non aliter quam fortes milites belli triumpho, gubernatione in tempestate in acie militem intelligas, calamitas uirtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros qui nimia felicitate torpescunt. Ignis enim aurum probat sed miseria fortes uiros. // Non est arbor solida nec fortis nisi in quam frequens uentus incursat. Ipsa enim uexationem constringitur et radices celsius figit et exemplificat de magnis uiris qui multa sustinuerunt aduersa, sicut Demetrius qui ait: Nihil infelicius eo qui uel cui nihil unquam aduersi inuenit uel euenit. Similiter ponit exemplum de Mussio qui sustinuit ignem, de Fabricio qui paupertatem, de Rutilio qui exilium, de Regulo qui tormenta, de Socrate qui uenenum sustinuit. Item Seneca libro de constantia sapientis quod quemadmodum quorundam lapidum inexpugnabilis duricia est. Nec enim secari adamas nec cedi potest sed omnia incurrentia retundit et quemadmodum lapides flamma consummi non possunt. Et quemadmodum scopuli in altum proiecti mare frangunt nec ulla uestigia se uicue ostendat, sic animus sapientis solidus est et id roboris colligit ut tam tutus sit ab iniuria quam illa que retuli. Et consimilia exempla ponit Cristostomus super Mattheum omelia xxiii.: Nullus, inquit, potest nocere uirtuoso uiro sed multum proficere et ponit exempla: Qui adamantem percutit, ipse est qui percutitur; qui stimulos calcitratur, ipse est qui stimulatur; ligans ignem in uestimenta, flammam non consumunt sed uestimentum, et qui insidiatur, uirtuosis uiris periclitatur. Item Seneca libro iii. de ira ut tela a duro resiliunt et cum dolore cedentis sola feriuntur solida, ita magnum animum nulla iniuria ad sensum sui

adducit. Fragilior eo quod petit et subdit causam ut superior pars mundi et ordinatior ac syderibus propinquior non impellitur in tempestate et omni tumultu caret. Inferiora uero fulmiant eodem modo sublimis animus semper quietus et in statione tranquilla collocatur. Et ideo probat Seneca ubi supra de constantia sapientis quod sapiens nihil potest perdere. Omnia enim reposuit, nihil fortune credidit. Bona sua in solido habet contentus uirtute que fortuitis non indigent. Et ideo concludit quod non potest fieri iniuria sapienti. Quod confirmat etiam exemplis Megeram Demetrius ceperat et cum Scibon uel Scipho philosophus esset interrogatus utrum aliquid perdidisset, Nihil, inquit. Omnia enim mea mecum sunt et tamen patrimonium eius in predam cesserat, filias hostis rapuerat, patria in aliam conditionem peruenerat, et tamen urbe capta non se uictum sed indemnem contestatus est. Habebat enim bona sua secum, dissipata et direpta non dicebat sua sed aduenticia et nutum fortune sequencia. Et ideo non ut propria dilexerat et ibi exemplificat de aliis qui terribilia sustinuerunt nec in eis defecerunt sed amplius profecerunt. Monendi ergo sunt aduersa // sustinentes ut patienter sustineant et ut considerent quod aduersitas uera bona non aufert, et a malis scilicet lasciuuis cohibet et a peccatis purgat, et premia cumulat maxime quando fide eis patienter sustineant, propter Deum sicut scriptura testatur per totum et sic patet per exempla patrum, Iudith viii.: Pater noster Abraham temptatus est. Et sequitur sic Ysaac, sic Iacob, sic Moyses et omnes qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt fideles. Et Thobie xii.: Quia acceptus Deo eras, necesse fuit ut temptatione probaret te. Iob v.: Beatus qui corripitur a Domino, et xx.: Si impius fuero, ue mihi est, et si iustus non levabo caput, saturatus afflictione et miseria. Ecclesiastici xxvii.: In igne probatur aurum et argentum. Idem xxvii.: Vasa figuli probat fornax. Et Hebreorum xii.: Quem diligit Deus, hunc castigat. Et de hoc Augustinus i. de ciuitate Dei capitulo x.: Quod sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, sub eadem tribula, stipula comminuitur et frumenta purgantur. Similiter in prelo oleum ab amurca separatur, ita et eadem uis irruens bonos probat, malos eliquat, damnat, uastat et exterminat. Et de hoc Gregorius in moralibus Iob. xxxv.: Qui dat carmina in nocte, ibi moralium xxxi.: Quod nihil iniuste patimur carmina in nocte est letitia in tribulatione. Augustinus contra Fastum xxii.: Nullus hominum sic iustitia preditus est cui non sit necessaria temptatio tribulationis uel ad perficiendum uirtutem uel ad confirmandam seu approbandam. Et idem epistola xlvi. quod tribulatio est ad humiliationem superbie, ad probationem patientie, ad abolitionem uel ablationem culpe. Fidelis ergo non debet nimis grauari nec desperare de aduersitate uel tribulatione. Cum dicatur de Salvatore, Luce ultimo: Oportuit pati Christum et cetera. Et cum ipse dicat suis electis, Mathei xx.: Potestis bibere calicem quem ego et cetera. Per calicem enim peruenitur ad maiestatem et per amarum poculum confessionis, peruenitur ad gaudium salutis. Ait ibi Gregorius libro secundo omelia quarta: Unde electi ab inicio passi sunt aduersa. Iob tercio: Frater fui draconum. Ibi Gregorius moralium xxviii. in fine: Nullus perfectus est qui inter mala proximorum patiens non fuit. Et exemplificat de Abel et Kaym, de filiis Noe, de filiis Ysaac, de apostolis. Et subiungit quod sicut in tritura grana a paleis premuntur et sicut inter spinas rose redolent sic iusti premuntur a malis, et tamen a malis crescunt et redolent et cetera. // Nec ergo prosperitatibus pollentes beatificandi sunt propter hoc nec aduersa sustinentes miseri reputandi, etiam testimonio demonum, prout ait Valerius libro vii. capitulo i.: Cum enim rex Gyses regno Lydie armis uel aruis et diuitiis abundantissimo inflatus animo, Appollinem phicium sciscitaturum uenisset, sed statuam Appollinis in qua demon dabat responsoria. An aliquis mortalium se esset felicior, ille ex abdita sacrarii

specu, emissa uoce, Aglaum Sophidium uel Sciphidium ei pretulit. Is erat Archadis pauperimus sed etate iam senior terminos sui aggelli nunquam excesserat, paruuli scilicet ruris fructibus contentus. Et sequitur: Insolenter fulgore fortune sue glorianti respondit se magis a probare securitatem rudis tugurii quam tristem curis que sollicitudinibus aulam, paucasque glebas pauoris, expertes scilicet que pinguissima Lidie arua metu referta, et unum aut alterum iugum boum facilis tutele quam exercitus et equitatus et arma uoracibus expensis onerosa. Et huiusmodi necessarium horreolum magis appetendum quam thesauros hominum insidiis et cupiditatibus expositos. Itaque Gyses dum a stipulatione uane opinionis thesauros domini concupiscit habere. Ubi nam solida et sincera esset felicitas didicit. Hec ille. Si ergo demon dat testimonium ueritati quod non in prosperitatibus et affluentis est felicitas, nec in paupertate uel aduersitate miseria fideles, nec illas appetant, nec de his gloriantur inaniter, nec propter istas grauentur uel desperent inordinabiliter. Melius enim est paucum cum timore Domini quam thesauri magni et insatiabiles, Prouerbiorum xv.

Distinctio octaua: De admonitione hominum secundum differentias complexionum

Capitulum primum: De admonitione hominum existentium in sanitate

Similiter ammonendi sunt homines existentes in sanitate ne ipsa sanitate abutantur et ut in fructuosis operibus exerceantur, merita cumulent et premia thesaurizent in celis. Unde et de his Gregorius ii. pastoralis capitulo xxiii. ubi ait: Admonendi sunt incolumes ut salutem corporis exerceant ad salutem mentis ne si accepte incoluntatis gratiam ad usum nequicie inclinent dono deteriores fiant. Et ne oportunitatem salutis pro merende euacuent, Prouerbiorum ii. Ne des alienis honorem tuum et annos tuos crudeli ne forte impleantur extranei uiribus tuis et cetera. Fortitudinem meam ad te custodiam, ait propheta. Et Ecclesiastici xi.: Letare iuuenis in adolescentia tua et in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tue. Et Ecclesiastici xxv.: Que in iuuentute tua non congregasti, quomodo // inuenies in senectute. Similiter sunt admonendi ne sanitatem suam destruant uoluptatibus et lasciuiis gule et ebrietatibus et ne sint homicide sui. Ut enim ait Seneca epistola xcix.: Multos morbos multa fercula faciunt. Et ibidem innumerabiles esse morbos non miraberis, numera cocos, sed antiquitus non fuit ita quia medicina fuit paucarum herbarum scientia ac post inuente sunt mille conditure quibus auiditas excitaretur que desiderantibus alimenta erant, onera plerisque sunt. Inde pallor et neruorum uino inadentium tremor et miserabilior ex cruditatibus quam ex fame inacies, inde tormenta oculorum et aurium et innumerabilium febrium genera ut ibi enumerat bene et sic de aliis. Ecclesiastici xxvii.: Propter crapulam multi perierunt qui autem abstinens est, adiicit uitam. Et ibidem in multis cibis erit infirmitas.

Capitulum secundum:

De admonitione hominum existentium in infirmitate et de huiusmodi utilitate

Econtrario sunt admonendi egroti uel infirmi ut eo ipso se filios Dei sentiant quo eos flagello discipline castigat. Prouerbiorum iii.: Ne fatigeris cum ab eo argueris. Et xxviii. capitulo: Liuor uulneris, absterget mala. Prout exponit Gregorius istas auctoritates ubi supra: Sunt autem monendi de patientie benignitate, de gratiarum actione Saluatori, et de

filiali castigatione, ut dictum est. Ut enim legitur in uitis patrum libro iii. parte vii. de quodam fratre qui dicebat: Si infirmitas molesta fuerit, non contristemur quia non possumus stare ad orandum et psallendum. Hec enim omnia ad destruenda corporis desideria sunt. Et sequitur: Sicut magno et forti medicamine egritudo, scilicet corporis curatur, ita egritudine corporis uicia anime rescinduntur, et hec est magna uirtus quando in infirmitatibus tolerantia fuerit et gratiarum actione mittuntur ad Deum. Si amittimus, oculos non feramus grauiter. Excellentie enim instrumentum amisimus. Si surdi facti sumus, cogitemus auditum uanum amisimus et sic de aliis. Et si infirmitas totum corpus tenet, in interior a diuina caritas crescat. Et huic concordat quod legitur libro iii. hystorie tripartite de sancto Anthonio loquente ad Didimum qui Didimus cum esset paruulus amisit oculos cui Deus pro uisibilibus spirituales condonauit, regulas grammatice et rethorice didicit et alias scientias, nouum et uetus testamentum cognouit et libros etiam edidit, cui fertur Anthonius dixisse: Non te conturbet amissio oculorum sensibilium. Tales enim tibi desunt // quibus musce et pulices carere possunt, sed gaude potius quoniam tales habes quibus angeli cognoscuntur et Deus noster inspicitur. Item Hieronimus epistola lxvi.: Non doleas si non habeas quod fornice et musce et serpentes habent, id est carnis oculos, sed illum te habere letare, de quo Cantorum iii.: Vulnerasti me uno oculorum. Idem Hieronimus epistola lxxvi. ubi repetit dictum Anthonii ad Didimum de quo supra: Et sicut fidelis non debet grauari sed patientur sustinere ammissionem talium oculorum, sic alias infirmitates. Unde sancti reputabant se uisitari a Deo quando infirmabantur, sicut narratur in uitis patrum libro iii. parte viii. de quodam sene qui frequenter egrotabat. Contigit autem uno anno eum non egrotare qui affligebatur et plorabat dicens: Dereliquit me Deus et non uisitauit me scilicet quia non fui infirmus. Similiter et sancti semper uolebant esse in infirmitate ad ipsorum castigationem, sicut narratur in uitis patrum ubi supra parte prima de quodam fratre qui noluit comedere in infirmitate, dicens quod uolebat esse in illa infirmitate per xxx. annos ut amplius mereretur. Infirmi autem gratias agentes Deo sunt honorabiles apud Deum, prout narratur in uitis patrum ubi supra parte prima de abbate qui dixit tres ordines esse honorabiles in conspectu Dei: Primus quando homo infirmatur et adiiciuntur ei temptationes quas cum gratiarum actione suscipit, secundo quando aliquis omnia opera sua facit munda coram Deo nihil habens humanum, tercio quando aliquis sedet in subiectione patris spiritalis et omnibus propriis renunciat uoluptatibus. Et parte x.: Dixit senex quod si sint tres simul ex quibus unus bene quiescat, alius infirmetur et gratias agat. Tercius ministrat ei sincera uoluntate. Hii tres simul sunt uelut unius operis sint. Egroti ergo sic sustinentes immissam egritudinem et gratias agentes sunt honorabiles apud Deum. Unde in uitis patrum ubi supra parte vi. dicitur quod Deus misit angelum ad ministrandum seruo infirmo non habenti qui ministraret ei. Merito debent egri suas sustinere infirmitates ad predictas utilitates. Sunt etiam admonendi ut preparent corda sua Domino ad inhabitandum et transeundum cum eo in regnum suum. Luce xii.: Beatus seruus quem cum uenerit et cetera. Ubi Gregorius: Venit Dominus cum ad iudicium properat, pulsat cum per egritudinis molestias mortem esse uicinam denunciat cui confestim apperimus, si hunc cum amore suscipimus. Et sic infirmi corpore sunt admonendi quod infirmur mente per ueram humilitatem de qua Psalmista: Pluuiam uoluntariam segregabis Deus, id est gloriam celestem, et infirmata est, scilicet deficiendo in se per humilitatem, et desperando uiribus propriis ut // amplius confirmet Deus. Virtus enim in infirmitate perficitur et cetera, ii. Corinth. xii. Et sequitur: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis

sed mentis et corporis modo predicto ut inhabitet in me uirtus Christi. Licet ergo aliis uariis modis possint homines admoneri quia tantum de illis Gregorius secundo pastoralium sufficienter tractat. Hec ad presens sufficiant.

Pars Quarta

Distinctio prima

Capitulum primum: De re publica ecclesiastica de clericis in communi

Premissis igitur uariis auctoritatibus narrationibus et exemplis, ex quibus euangelicus predicator potest habere occasionem instruendi homines illiteratos oferendi cum eis edificatorie secundum diuersitatem dignitatum graduum siue statuum, et ministeriorum. Siue quantum ad conditiones eorum absolutas et proprias siue distinctas ut in prima parte. Siue quantum ad communes conditiones in singulis ut in tertia parte. In hac parte lumino magistro dirigente colligantur auctoritates narrationes, et exempla quibus predicator apostolicus amplius utiliter potest habere occasionem informandi homines literatos et ecclesiasticos, et utiliter conferendi cum eis.

Capitulum primum

Et quia ex talibus personis consistit respublica ecclesiastica, cuius caput est summus pontifex, prout ait Hugo ii. De sacramentis parte ii. capitulo iii.: Quod spiritualis potestas caput habet summum pontificem, ipsi summo pontifici possunt adaptari que dicta sunt super parte prima. De capite reipublice ciuilibus scilicet principe et ei excellentius et perfectius, quo ipse summus pontifex caput est omnium, et ea que dicta sunt se oculis et auribus corde manibus et pedibus possunt adaptari membris reipublice ecclesiastice. Et eo similiter perfectius quo potestas sublimior est, et perfectior. Prout ait Hugo ubi subra: Spiritualis potestas terrenam potestatem, et instituere habet ut sit, et iudicare habet si bona non fuerit, et tanto dignior quam terrena, quanto spiritus quam corpus, et prior tempore et maior dignitat, // ut ait ibidem. Sed quia perscrutator maiestatis, opprimetur gloria, Prouerbum xxv. Tamquam inscius et inexpertus, non presummo describere qualis sit summus pontifex, et suum prelati post eum. Quales autem esse debent, describit Bernardus in libris suis ad Eugenium. Et licet sit unum caput ecclesie, scilicet summus pontifex, quia tamen quilibet episcopus Dyocesanus est ad modum capitis in sua dyocesi. Qualis debet esse episcopus, et quales clerici sub eo constituti ex quibus respublica ecclesiastica constituitur. Nunc uidendum est quales debent esse clerici et deinde quales episcopi, qui ex illis eliguntur. Potest ergo episcopus coaptari capiti archidiaconi, qui imperant subsdiaconis et leuitis, ad quorum curam pertinet parrochiarum ordinatio. Prout ait Hugo iii. De sacramentis parte iii. capitulo xvi. ubi de officiis archidiaconi bene possunt adaptari auribus et oculis. Iudices constituti in re ecclesiastica publica, et oratores possunt adaptari ori. Canonici uero quorum est eligere episcopum, et qui sunt eius consiliarii possunt adaptari cordi. Officiales et decani ecclesiam protegentes possunt adaptari manibus. Sacerdotes uero parrochiales et persone ecclesiastice residentes in ecclesiis pedibus congrue adaptantur. Et hiis omnibus congruunt que dicta sunt superius parte prima. De membris reipublice ciuilibus, et modo perfectiori et spiritualiori, quia ipsi

sunt spiritualiores et perfectiores, sed ibi inceptum est a capite ratione dignitatis. Et quia de genere nobiliori consuevit esse princeps quod populus et ex successione ut sepe debetur ei principatus, et sic processum est descendendo a capite ad alia membra usque ad pedes tanquam a digniori. Hic autem econuerso a membris ad caput quia qui prius est clericus et ecclesiasticus postea eligitur episcopus. Supponendo igitur supradicta que communia sunt. Primo de admonitione clericorum secundum singulos gradus ordinum. Secundo de admonitione omnium et de hiis que sunt necessaria omnibus ecclesiasticis communiter. Tercio de admonitione sacerdotis specialiter, et qualis debet esse episcopus. Quarto de electione episcopi et de pertinentibus ad hoc. Quinto qualis debet esse episcopus, et de officiis eius. Admonendi ergo sunt clerici ut intelligant statum suum et nominis interpretationem, prout ait Hieronimus xxxiiii. Epistola: Clericus qui seruit ecclesie, interpretetur uocabulum suum, et nominis diffinitione prolata nitatur esse quod dicitur. Dicitur enim cleros Grece sors Latine propter tria quia de sorte sunt Domini, uel quia Dominus ipse est sort id est pars clericorum, quia ipse est pars Domini, uel Domini partem habet. Et sequitur: Talem se debet exhibere ut possideat Dominum, et ipse possideatur a Domino. Et ibi bene // de hoc. Et idem Decretorum distinctio 22. Cleros etiam: Magna ergo dinitas clerigorum quod sunt de forte Domini, et mirifica possessio quia possident Dominum. Et in huius dignitatis signum clerici habent coronam, prout ait Hugo supra parte iii. Capitulo iiii.: quod primum signaculum clerici est corona, qua signatur ad potestatem sortis misterii diuini, cui seruire est regnare. Corona quippe regale decus significat. Secundum illud i. Petri ii. Regale sacerdotium. Et propter hoc coma capitis clerico in modum tondetur corone, ut per hoc detur intelligi, quod ad regiam potestatem assumitur. Etiam ut reuelata facie gloriam Domini contemplet, prout ait Hugo ibi supra. Unde et prohibentur nutrire comam et monentur ut habeant religiosa uestimenta distinctio 23. Clerici comati: Moneantur ergo clerici ut sint a mundanis cogitationibus sequestrati, et diuinis misteriis mancipati, nobili uita et regia perdit, et uenusta grauitate maturi et diuinorum secretorum iugiter contemplatiui. Unde et Hieronimus Epistola dicta: Negociatorem clericum, et ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Nemo militans Deo implicet se negociis secularibus ii. Ad Thimoteum ii. Et ideo fertur beatus Hieronimus prout dicitur in Policrato libro viii. capitulo xii.: tres a mensa clericos exclusisse quia ipsos in compositos uidit, turpe ducens honesto et graui uiro in eo aliquid in compositum inueniri. In honestum ergo et turpe clericis deserere in capite signaculum regum et suo nomine profiteri se esse contemplatorem diuinorum archanorum.

Capitulum secundum: De clericis in communi et quales esse debent

Caueant ergo clerici et aduertant se deferre signum regum et suo nomine profiteri diuinum misterium, et sua tonsura testificari se esse contemplatores diuinorum secretorum ne scilicet seruiant peccatis, et concultentur a Sathana, et absorbeantur a secularibus negociis et causis, et de talibus uerificetur illud Romanorum iiii. qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora. Tonsure autem ecclesiastice usus a Nazareis ortus esse putatur, qui prius crine seruato denique ob uite continentiam caput radebat, et capillos in igne sacrificii ponebantur. Numeri vi. ut ait Hugo ubi supra capitulo ii.: ut hoc signo uicia in corde eorum et opera pullulantia precidenda doceant, ut ait idem. Magna ergo diligentia debent clerici statum suum custodire mon predicto.

Multum indecens est si corona regia sit corona superbie. De qua Ysaie iiii.: Ve corone superbie, uel si sit corona arrogantie quam confringet Dominus, uel sit corona uel coma iactantie, cum clerici prohibeantur nutrire comam, ut dictum est, prima Corinthios vii. // Vir comam nutriat, ignominia est illi, uel si circumponantur ornamenta lasciuie uel luxurie, que deferre prohibet apostolus etiam mulieribus i. Petri iii.: Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri in magno honore seruare capita sua debent, in quibus eminet regale decus, ut dictum est.

Capitulum tertium: De instructione et institutione eorum in primu gradu scilicet hostiariorum et cetera

Eorum autem sunt septem gradus, siue promotiones graduum in quibus per spiritualem potestatem altius super ad sacra tractanda ascendit clericus siue uir ecclesiasticus ut ait Hugo ubi supra. Et primus gradus est hostiariorum quorum officium est clauis ecclesie deferre, et eam claudere et aperire horis competentibus sicut templum Dei, et que intus sunt custodire fideles intus recipere, excommunicatos eiicere quo officio dignatus est Dominus uti, quando uedentes et ementes de templo eiecit, Matthei xxi. et Iohannis x. Hoc ergo officium excellens est dignitate. Ideo exercendum cum diligentia et sollicitudine.

Capitulum quartum: De gradu lectorum

Secundus gradus est lectorum, qui uerbum Dei annunciant, et ideo debent esse scientia instructi, ut intelligant sensum eorum que legunt, uim ac centuum in pronuntiatione agnoscant, distincte legant ne confusione pronuntiationum intellectum auditoribus tollant, considerent quid sit indicatiue legentum, quid interrogatiue pronuntiantum. Et uox lectoris auribus et corde considerari debet non oculis ne motu uel gustu indisciplinatus, spectatores magis quam auditores de seipso faciat, cum hii ordinantur de uita ipsorum et fide et ingenio. Episcopus ad populum uerbum facit, et uidente populo ab ipso codex traditur et dicitur eis. Accipite et estote uerbi Dei relatores, et habent potestatem recitandi prophetas et apostolicas lectiones, ut ait Hugo ubi supra capitulo vi. de hiis omnibus. Istud ergo officium est exvellens dignitate, non enim magne est dignitatis habere potestatem recitandi uictorias et laudes regis coram magnatibus eius, multo maioris est dignitatis recitare uictorias regis eterni laudes, et si recitatores laudum et uictoriarum regi terreni, recitant cum sollicitudine et diligentia, multo magis debent isti facere, hoc officio dignatus est uti Dominus, quando in medio seniorum librum Ysaie prophete legit dicens. Spiritus Domini super me, Luce iiii. Ex quo datur intelligi ait Hugo: Quia gratia spirituali clarere debent, qui uerbum Dei annunciant. //

Capitulum quintum: De exorcistis

Tercius gradus est exorcistarum qui habent spirituale imperium super spiritus immundos, ut eiiciant eos de corporibus, librum accipiunt de manu episcopi cum ordinantur de quibus apostolus i. Corinthios xii. Numquid omnes donum habent sanationis, hoc officio Dominus uti dignatus est quando retigit manu aurem et linguam surdi et muti dicens, effecta quod est aperire, Marci xii. Similiter hoc officium exercuit, quando de Magdalena

septem demonia eiecit, Iohannis xiiii. Istud ergo officium excellit potestate magna, et ideo cauendum est talibus ne immundus spiritus habitet in cordibus ipsorum, quorum est expellere eum de corporibus hominum.

Capitulum sextum: De acolitis

Quartus gradus siue ordo est acolitorum qui Latine cero ferarii, dicuntur, quia accensos cereos deferunt, dum legitur euangelium, et offertur sacrificium, et ideo non ut tenebras aeris illuminent, sed ad hoc ut sicut uisibile lumen manibus gestant, ita et opera lucis proximis ostendant, et errantibus in tenebris ducatum prebeant, hoc officium Dominus habere testatur, quando ait Iohannis viii.: Ego sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris, ut dicit Hugo ubi supra capitulo viii.

Capitulum septimum: De subdyaconis

Quintus gradus siue ordo est subdyaconorum, quorum officium est oblationes ponere in altari, pallas et substratoria lauare et sacra uasa tractare, et episcopo et prespitero circa altare ministare, quibus dicitur Ysaie li. Mundamini qui fertis uasa Domini, quo officio dignatus est Dominus uti, quando Lintheo se precinxit et lauit pedes discipulorum, Iohannis xiii. Magna ergo dignitas huius officii. Si enim est excellens dignitas preparare Lintheamina regia et substrare lectum preparare et sibi in mensa ministrare. Multo maior dignitas est palla et substratoria sacra lauare et tractare et preparare sub corpore Domini et ante ipsum in altari ministrare et cetera. Et ideo magna necessitas est talibus, ut sint mundi puri et sancti, propter quid placuit patribus, quod quia tales misteria sacra tractant legem continentie obseruent, ait Hugo supra capitulo ii.

Capitulum octauum: De dyaconis

Sextus ordo est dyaconorum et merito sextus propter senarii numeri perfectionem, horum officium est ministrare in omnibus que aguntur in sacramentis, inferre et disponere oblationes in altari componere mensam Domini atque uestire, crucem Domini ferre, euangelium predicare ad orandum populum hortari et ad flectendum genua, et pacem Domini annunciare, hoc officio Dominus usus est quando propriis manibus sacramenta confecta dispensauit, et discipulos ad orationem inuitauit, Matthei xxvi. Vigilate et orate, hii debent esse pleni septiformi spiritu, prout dicitur in figura actuum, vii. quod elegerunt septem uiros boni testimonii plenos spiritus sancto et sapientia quos constituerunt super hoc opus et cetera. Hii debent esse ab omnibus sordibus mundi et uirtutibus perditis, prout ait apostolus i. Thimoteum ii.: Dyaconos inquit similiter pudicos, non bilingues non uinolentos non turpe lucrum sectantes et cetera. Hii debent esse constantes et firmi. Ideo ait Dominus ad Moysen, quod leuite seruirent in tabernaculo a uiginti annis et supra. Quomodo hec etas robusta est ad onera protanda. Unde et super sinistrum humerum stola imponitur, et successores apostolorum decreuerunt ut in matrice ecclesia septem dyaconi circa aram assisterent, tamquam septem colonne altaris, in quo significatur quod sint fulgentes spiritu septiformi. Hii sunt septem candelabra aurea, Apocalipsis i. et vii.: angeli tuba canentes, Apocalipsis vii. Hiis imponitur orarium id est stola super sinistrum humerum, ut agnoscant se accepisse, iugum Domini ad tolerandum sinistra et aduersa, et

accipiunt textum euangeliorum de manu episcopi, prout dicit Hugo ubi supra capitulo x. Eminens est ergo hoc officium dignitate. Ideo magna necessitas dyaconis habende sanctimonie.

Capitulum nonum: De ammonitione eorum in septimo grado scilicet prespiterorum

Septimus ordo prespiterorum qui senio res interpretantur, et hii successores et uicarii sunt, lxxii. discipulorum, sicut episcopi successores apostolorum, horum officium est sacramentum corporis dominici in altari conficere, orationes dicere, benedicere dona Dei, hoc officio Dominus usus est, quando post cenam panem et uinum in corpus et sanguinem suum mutauit, Matthei xxvii. Hoc ipsum excellent officium implens exhibuit quando ipse sacerdos et hostia in ara crucis seipsum obtulit. Similiter horum officium est sacramenta dispensare, uerbum in ecclesia facere baptizare et cathecizare: Delinquentes ad penitentiam uocare, et eos per orationum suarum medicamentum fouere. Ut ait Hugo ubi supra capitulo undecimo: Quam ergo excellens est, officium sacerdotale dignitate et quam excellentes debent esse sacerdotes sanctitate, patet ex dictis, quales autem esse debent describit apostolus primo ad Thimum primo, ubi ait Constitues per ciuitates prespiteros et sequitur, si quis sine crimine est, et post: Episcopum oportet esse sine crimine non iracundum, et sic de aliis, ubi sub nomine episcopi prespiteri intelliguntur // ait Hugo ubi supra. Ideo apostolus ad Thimoteum: doctrinam tradens de ordine episcopi et dyaconi, et tacet de prespiteris, relinquit eos intelgendos sub nomine episcoporum, et asserit tales esse presbiteros quales episcopos. Unde et quando presbiteri ordinantur, episcopus ponens manus super capita, inuocat spiritum sanctum super eos, et manus inunguntur ut cognoscant se accipere gratiam consecrandi, et opera misericordie exercendi. Et super utrumque humerum stolam accipiunt, ut intelligant se esse, ministros per arma iustitie a dextris et a sinistris, ut eos nec aduersa frangant, nec prospera extollant, ait Hugo ubi supra, et de hiis gradibus Decretorum distinctio 25.: Ex dictis patet quales debent esse et ecclesiastici. Omnes enim in quocumque gradu sint uel ordine, debent esse sanctitate immaculati et puri, ex quo sunt ministri saluatoris et creatoris. Istis enim specialiter dicitur Leuitici xxi.: Sancti erunt Deo suo. Et sequitur: Qui habuerit maculam nec offerat panes suos Deo nec accedat ad ministerium eius, si cecus fuerit uel claudus, quod exponit Gregorius ii. Pastoralium capitulo xi: Cecus est qui superne contemplationis lumen ignorat, claudus qui uiam uite tenere non ualet, et sic de aliis, prout ibi exponit bene. Ysaie li.: Mundamini qui furtis uasa Domini. Item ex predictis patet, quod debent esse ornamentis decori uirtutum. Et si omnes fideles debent abiicere opera tenebrarum, et induere arma lucis, prout ait apostolus Romanorum xiii. Multo amplius ministri Dei, seruientes ei in uicinis suis templo, in cuius figura induti mundis et pulchris uestibus ministrabant in templo legali sacerdotes. Sacerdotes tui induantur iusticia, et sancti et cetera, ait propheta. Omnes enim fideles dicuntur sacerdotes, ait Augustinus De ciuitate dei capitulo xi. Multo magis ergo ministri eius dicuntur sacerdotes.

Distinctio secunda [quarte partis]

Capitulum primum: De perfectione predictorum quales debent esse. Quod debent esse scientia predicti

Item ex dictis patet quod clerici debent esse scientia preediti celesti, quia prout ait Hugo ubi supra capitulo i. Clericus quippe secretorum Dei non debet esse ignarus, quia nuntius Dei est ad populum. Unde lectores qui sunt quasi in infimo ordine debent habere sensum eorum que legunt, ut habitum est supra, ne dicatur eis illud Ysaie lvi.: O speculatores eius ceci sunt omnes.

Capitulum secundum: Quod debent esse moribus maturi

// Item debent esse morum grauitate maturi, absque leuitate mundiali, ex quo sunt ministri et laudatores Dei. In populo graui laudabo te ait propheta. Unde Ambrosius libro ii. de seipso loquens: Meministis quendam amicum, cum sedulis uideretur se commendare officiis, hoc solo tamen in clerum a me non receptum, quod gestus eius dedeceret plurimum. Et ibidem narrat de alio, alterum autem cum in clero recepissem meministis me dicere ne unquam preisset quia uelut quoddam insolens scilicet incessus uerbere oculos meos feriret, nec fefelli sententia, uterque enim ab ecclesia recessit, leuitas enim secularis et gestus hystrionicus et uestitus curiosus, amplius inhonerant clericum quam honerant, de quibus Hieronimus ad eustochium Epistola lxxxiiii: Sunt aliqui de nostro ordine homines qui ideo ad prespiteratum et dyaconatum ambiunt, ut mulieres licentius uideant, omnibus hiis cura de uestibus si bene oleant, si pes laxa pelle non polleat, crines calamistri uestigio rotantur digiti annulum radiant et ne plantas humidior uia deturpet uix imprimunt sua uestigia. Et sequitur: Cum tales uideris, sponso potius quam clericos reputa. Et de informatione clericorum quales esse debent. Hieronimus sufficient Epistola xxxiiii. ad nepocianum de uita clericorum ubi instruit clericos dehortando, que sint eis disconuenientia et horando que sunt eis propria et utilia, et specialiter eos monet ut sint frugalitate sobrii. Unde ait nunquam uino redoleas, ne audias illud philosophi, hoc non est osculum, porrigere sed poculum propinare, loquens de uinolento qui porrexerat sibi osculum uinolentos enim sacerdotes apostolus damnat, Thimoteum i. Et uetus lex prohibet Leuitici vii. et ibidem: Conuiuia tibi sint cauenda secularium,

Capitulum tertium: Quod debent esse castitate puri

Item monet eos, ut sint castitate puri, et a mulierum consortio segregati. Unde ait hospitium suum aut raro aut numquam mulierum pedes terant. Et sequitur: Nec sub eodem tecto manseris nec in pertertia castitate confidas, quia nec Dauide sanctior, nec Salomone sapientior esse potes, qui tamen lapsi sunt per mulieres. Et idem Epistola ad oceanum de uita clericorum prima inquit temptamenta sunt clericorum, frequens feminarum accessus, istius modi sexus reprehensibiles exhibet clericos, quid tibi cum feminis qui cum Domino in altare fabularis. Et ibidem faminarum cum clericis nullo pacto coniuncta permittitur conuersatio // Ianua dyaboli uia iniquitatis, Scorpionis percussio nocuumque genus est femina cum proximat. Stipula incendit ignem, flammigero igne percutit femina conscientiam, pariter humanitatis habitantis exuritque fundamenta mentium, ego iudico si cum uiris femine habitant, non deerit uiscarium dyaboli, ex hiis aucupatum est ab inicio peccatum, ferreas mentes domat libido. Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut uestimenta eius non ardeant, Prouerbum vi.: Mihi inquit crede, non potest toto corde cum Domino habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Unde Thamat a fratre corrupta est, primi Regum xiii. Et Tecla post

passionis temptationem Anthiochie cum Paulo pergere pariter prohibetur hec Hieronimus. Unde miro modo antiqui patres fugiebant consortia mulierum et cohabitationem, sicut recitat Gregorius in Registro, quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consensit dicens, qui cum sorore mea sunt, sorores mee non sunt, nam dyabolus temptat iugiter per mulieres sanctos uiros. Iob v. Dixit ei uxor sua, dicit Gregorius Moralium ii. Quod cor mulieris tenuit hostis quasi scalam, qua ad cor uiri ascendere possit, huius exemplum patet Dyalogorum iii. capitulo vii. De Andrea episcopo, in cuius domo habitabat sanctimonialis, quem impugnauit dyabolus multis annis temptando de illa, qui tandem dedit unam alapam super humerum mulieris. Quod fuit reuelatum in consilio demonum coram Iudeo, qui reuelationem sibi indicauit ut peniteret, ut patet ibidem. Et de hoc in uitis patrum libro iii. parte v. ubi dicitur: Quod demones ascenderant mulieres iuueni monacho de nocte quas cum uidisset, quesiiuit que erant ille cui senex respondit, quod erant monachi de seculo. Et similiter parte prima ait senex, eamus in solitudinem ubi non est mulier. Et ibidem orauit Arsemus ut Deus deleteret de corde suo memoriam mulieris que eum rogauerat ut oraret pro ea. Et parte v. dicitur: quod senex noluit uidere mulieres, qui requisitus quare, respondit quomodo cogitationes sunt sicut pictores picture inquietantes ex commemoratione rerum uisarum. Et parte x. ait senex: Non habeas noticiam cum muliere. Et ibidem de alio qui noluit matrem suam alloqui, nisi cum oculis clausis. Et ibidem monachus noluit tangere carnem matris, quia calor mulieris ignis est. Et Dyalogorum iiii. ait prespiter moriens: illi, que fuit sua uxor. Recede mulier igniculus uiuit, tolle paleam. Si ergo sancti patres afflicti et extenuati ieiuniis, sic abhorrebant consortia mulierum, quantomagis clerici iuuenes bullientes ardoribus libidinis et uoluptatis, quia ut ait Hieronimus epistola xcvi. Non // etherei ignes, non uulcana tellus, non iustus et Olympus tantis ardoribus estuant, ut iuueniles medulle uino plene ac dapibus inflamante. Si enim prefectus edixit ne quis minus quinquaginta annis natus, hospicio matris familias uteretur. Et si mulieres communes expellebantur de castris militum, ut habitum est supra parte prima. Quam tomagis debet prelatus ecclesiasticus sollicitus esse ne fiat suspiciosa cohabitatio clericorum et mulierum. Et de hoc Decretum distinctio 32. quod mulieres non debent habitare cum clericis interdixit. Nec debent frequenter re domos mulierum uel uirginum, aut cohabitare, distinctio 22. uel 81. Clericos solus. Et contra concubmarios, distinctio 33. et 34.

Capitulum quartum: Quod debent esse liberi ab auaricia

Item monet beatus Hieronimus in predictis epistolis clericos de auaricia cauenda, et de largitate munifica. Unde xxxiiii. epistola.: Obsecro itaque et repetens iterum moneo ne officium clericat genus antiqua militie putes id est ne lucra seculi in Christi militia queras, ne plus habeas quam quando clericus esse cepisti. Et sequitur procuratores atque dispensatores domorum alienarum, quomodo possunt esse clerici qui proprias iubentur contemnere facultates ab inuito rapere quicquam furtum est, ecclesiam fundare, sacrilegium est, accepisse pauperibus erogandum et esurientibus plurimis apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere omnium predonum crudelitatem superat et post iste est optimus dispensator, qui nihil sibi reseruat. Et de hoc Decretum distinctio 44.: Hospitalitatem, de qua dicitur infra ubi de episcopo.

Capitulum quintum: Quod debent esse separati a negociis secularibus

Item Hieronimus in dictis epistolis, quod clerici sint a negociis secularibus et conuersionibus sequestrati, diuinis usibus et ministeriis mancipati. Unde ait epistola predicta quod clericus est sors Domini et possessio, ut habitum est. Unde ait ibi: negociatorem clericum quasi quandam pestem fuge. Et sequitur: conuiuia secularium tibi uitanda. Et post facilius contemnitur clericus, qui sepe uocatus ad conuiuium non recusat. Et de hoc distinctio 88. quod clerici non debent secularia negocia super se recipere, nec sint negociatores causa, decreuit et cetera. // Et quia de honestate et uita clericorum sufficienter tractat Hieronimus predictis epistolis. Et similiter in libro Decretalium in principio et post. Et in libro Decretorum distinctio 33. et post.: Hec in communi sufficienter de clericorum siue ecclesiasticorum conditionibus sacerdotes.

Capitulum sextum: Quales esse debeant

Consequenter uidentum est qualiter ammonendi sunt sacerdotes specialiter. Qui quanto eminentior sunt dignitate ordinis tantomagis debent esse eminentiores excellentia uirtutis. Sacerdos enim dicitur a sacrificando, prout ait Ysidorum libro vii. capitulo xv. Et Gregorius Pastoralium capitulo xvi.: Sacerdotes uocantur quia ut sacrum ducatum prebeant presunt. Et Bernardus ad Eugenium libro iiii.: Sacerdotes autem ceteris honestiores sint, unde apud gentiles sacerdotes siue flamines erant in magno honore, et in magna uite austeritate, prout ait Plato in Tymeo libro i. quod apud Athenienses predicti sacerdotiis seperatim a cetero populo conuiuiebant, ne aliqua constagione eorum castitas pollueretur. Et Seneca libro i. Declamationum: quod a sacerdotio repellebantur apud gentiles captiue prostitute et homicide. Hec enim non poterant petere sacerdotium quia sacerdos debet esse casta cum castis, et pura cum puris, loquitur enim de uirginibus ministrantibus in sacris. Ipsi de ueste uel alteri demonio. Unde ait indignam sacerdotium dicerem si transiret per lupanar id est indignam te sacerdotio dicerem si transisses per lupanar. Et de hoc Hieronimus Contra iouinianum Cremona inquit Stoicus uir eloquentissimus de uita antiquorum sacerdotum narrans ait: quod omnibus postpositis negociis semper in templo fuerint et rerum naturas causasque ac siderum rationes contemplati sunt. Numquam se mulieribus miscuerunt numquam cognatos liberos propinquos quidem uiderunt ex eo tempore quo ceperunt diuino cultui seruire. Carnibus et uino se super abstinerunt propter tenuitatem sensus et uertiginem capitis quam ex paruo cibo patiebantur maxime propter appetitus libidinis qui ex hiis cibis nascuntur, pane raro uescebantur, ne onerarent stomachum. Et si quando comederent Tusum Ysopum sumebant in cibo, ut escam grauiorem illius calore decoquerent, oleum tantum in oleribus nouerunt uerum et ipsum uel parum propter nauseam et asperitatem gustus leniendam, quid loquar inquit de uolatilibus cum oua quoque et lac pro carnibus uitarent, quorum alterum carnes liquidas alterum, sanguinem esse dicebant, colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum, quas balas uocant contextum erat, scabellum acliue et ex una parte obliquum pro puluillo capiti supponebant. Biduique triduique mediam sustinentes humores capitis qui nascuntur ex ocio et ex // mansione unius loci nimia uictus castigatione siccabant. Hec ibi. Et sequitur. Euripides in creta Iouis prespiteros, non solum a carnibus sed a coctis cibis abstinuisse refert. Ibidem recitat Hieronimus uerba Iosephi libro ii. et xviii. De phariseis saduceis et effeis, quorum nouissimos miris effert preconiiis, quod uxoribus et uino super abstinerunt et quotidianum ieiunium uerterent in

naturam. Ibidem narrat quod eantes et asclepides aiunt etate qua Pugnalion regnabat in oriente esum carni non fuisse. Et ibidem Eubolis narrat apud Persas tria genera magistrorum fuisse, quorum primos qui erant doctissimi et eloquentissimi, excepta farina et olere, ait nihil sumere. Ibidem ait apud Eleusiam, uolucris et piscibus et quibusdam pomis abstinere solenne scilicet fuit. Similiter ibidem ait quod Berdesanes apud indos geminos gignosophistas diuidit quorum unum appellat Braginannos, alterum Samoneos qui tante sunt continentie ut uel pomis arborum uel punico cortice uel farine alantur cibo, et cum rex ad deos uenerit adorare eos solitus sit pacemque sue prouincie in illorum precibus arbitrari. Si ergo flames gentiles siue sacerdotes in supersticiosi cultibus suis et artibus Sathane seruietes, a lasciuiis se abstinent et a negociis secularibus abstrahunt, castimoniis carnis se macerant, et a consorciiis humanis se separant, ut quietius possint in suis ratibus ministrare, quales esse debent sacerdotes Dei altissimi, ut digne seruiant ei quibus commissus est populus redemptus sanguine suo, et qui sunt mediatores inter Deum et populum suum et quibus promissus est summus honor in regno Dei si bene seruiant. Duplici enim honore digni sunt qui bene presunt prespiteri i. Thimoteum v. Preterea flames gentiles et si essent prae uite antequam essent flames postea tamen consueuerunt corrigere uitam suam secundum modum eorum, prout narrat Valerius libro vi. capitulo ix. Valerius Flactus inquit: luxu perditam uitam inchoauit. Ceterum a litimo pontifice flammefactus, quo facilius a uiciis recederet ad curam sacrorum et cerimoniarum conuerso animo usus duce frugalitatis religione, quantum prius fuit exemplum luxurie, tantum postea modestia et sanctitatio spectamine fulsit. Unde Hieronimus Epistola xc. i. x. alibi lxxxvi. ait: quod sacerdotes gentiles erant unius uxoris uiri, et quod uirgines ueste et appollinis, in perpetua sacerdotii uirginitate marcescebat sed heu hodie econuerso in multis qui perfectioris uite sunt, antequam sint sacerdotes quam postea.

Capitulum septimum: Quod debent esse circa ecclesiam sibi commissam solliciti

// Quales autem debent esse ecclesiastici siue clerici respectu ecclesie, sufficienter dicit Bernhardus super cantica omelia lxxviii. ubi ait: Loquens de ecclesiasticis. Quod sunt boni uigiles, quod dormientibus nobis ipsi peruigilant, quod sunt rationem pro animabus nostris reddituri, boni inque custodes, qui uigilantes animo atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, elidunt tendicula, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur, hi sunt fratrum amatores et populi Christiani, qui multum orant pro populo et uniuersa sancta ciuitate. Et sequitur: ciuitas est scilicet sancta ecclesia, propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oues propter mansuetudinem. Et post ciuitas est, uigilate ad concordiam, sponsa est, studete ornatui, oues sunt intendite pascue. Et sequitur: custodia ut sit sufficiens, tripharia erit a ui tyrannorum, a fraude hereticorum, a morsibus et temptationibus demoniorum, ornatus sponse sit in omnibus operibus moribus et ordinibus, pastus sit in scripturis, sed distinctio est, ut mandata imponantur duris, olera dispensationis infirmis, consiliorum solida fortiaque, que ex intimis sapientie proponantur sanis, et perfectis. Debent ergo sacerdotes esse et ecclesiastici, uigiles custodes, pugiles, milites, Ysaie lxiii.: Super muros tuos Hierusalem, postui custodes die et nocte perpetuo non tacebunt. Item debent sicut sponsi eam diligere, ornare sacris ammonitionibus secundare gignendo filios Dei, Ysaie lxii. Gaudebit sponsus super sponsam. Et debent eam pascere pascuis celestibus, sicut boni pastores Ezechielis xxxviii: Suscitabo

pastorem unum qui pascat eas, et ibidem de non pascentibus, ue pastoribus qui pascebant semetipsos Iohannis x.: bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis et cetera. Sed econuerso est de multis qui non se tales exhibent ecclesie sibi commisse, prout ait Bernardus super cantica omelia lxxv, dicens: pauci sunt admodum qui non querunt que sua sunt ex omnibus caris eius diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, qui manus dederunt mammonae, unde uero hanc illis exuberare estimatis rerum affluentiam, uestium splendorem mensarum luxuriam, congeriem uasorum aureorum et argenteorum, nisi de bonis sponse. Inde est quod illa pauper inops et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis propter hoc, non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare, non custodire, sed perdere, non defendere, sed exponere, non instituere sed prostituere, non est pascere gregem sed mactare et deuorare, dicente Domino, ue illis qui deuorant // plebem meam, sicut escam panis, multis aliis modis se habent ecclesiastici ad ecclesiam sponsam suam, siue superiores prelati, siue inferiores, dum cura animarum fit eis commissa, sunt enim sicut agri cultores et edificatores siue architectores, prima Corinthios ix. Dei agri cultores estis, Dei edificatio. Et sequitur: ut sapiens architectus uel architector fundamentum posui. Item ecclesiastici se habent ad ecclesiam sicut milites eius et sicut uinearum plantatores i. Corinthios ix. Quis militat unquam suis stipendiis, quis plantat uineam et de fructibus eius non edit, et sic multis modis aliis se habent, prout dicitur infra. Predicator ergo diuinus de hiis conferat cum clericis et ecclesiasticis. Et ut quilibet uiuat secundum status sui dignitatem, et hortetur quemlibet ut exerceat suam debitam operationem secundum gradum sui misterii, ne de aliquibus uerificetur illud Bernardi ad Eugenium libro iii. Quid sibi uult inquit: quod clerici aliud esse, aliud uideri uolunt, iniquum id est minusque sincerum, nempe habitu milites, questu clericos actu neutrum exhibent, nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici euangelizant, cuius ergo ordinis sunt, cum enim utriusque esse cupiunt, utrumque deserunt, et unus quisque in ordine suo resurget in quo isti, an non qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt.

Distinctio tertia [quarte partis]: De instructione episcoporum

Et quia ex clericis eliguntur episcopi prout ait Hieronimus epistola xliii. dicens quod Alexandria a Marco euangelista usque ad Heraclium et Dyonisium episcopos a prespiteris super unum esse electum et in excellentiori gradu collocatum episcopum nominabant. Quomodo si exercitus imperatorem facit, aut diaconi eligant de se quem industrium nouerunt, et archidiaconum uocent, quid enim facit excepta ordinatione episcopus quod prespiter non facit. Et sequitur: prespiter et episcopus aliud etatis aliud dignitatis est nomen, et de Hugo ut supra capitulo xiii.: Sacri canones diffiniunt nullum in episcopum eligendum, nisi qui prius in sacris ordinibus religiose fuerit conuersatus, primo ergo sunt omnes ecclesiastici et cetera, admonendi de ambitione dignitatis et prelationis cauenda, secundo de elatione canonice et legitime facienda, tercio de dignitate ecclesiastica uel prelatione humiliter et cum timore suscipienda, quarto de ipsa dignitate iuste et prouide gubernanda et uirtutibus et officiis ipsorum regentium.

Capitulum primum: Auctoritas ecclesiastica non est ambienda

// Prelatio enim siue dignitas potestatis, non est inordinate ambienda nec cupide appetenda, nec presumptuose assumenda, ut habitum est supra parte prima propter multas

causas ut dictum est ibi, et maxime prelatio ecclesiastica non est ambiciose ambienda, tum quia minus est homini debita quam prelatio terrena, illa enim debetur aliquando homini iure successionis legitime non sic autem de prelatione ecclesiastica prout ait apostolus Hebre v. Nemo summat sibi honorem, sed qui uocatur a Deo tanquam Aaron. Ideo dicitur uiro ecclesiastico quod est sacerdos secundum ordinem Melchisedech de cuius successione non legitur. Item non est libidinose ambienda, quia nimium periculosa, ne anime commisse pereant, et multum laboriosa recte ministrantibus primo Thimoteum v. Si quis episcopatu in desiderat bonum opus desiderat super quod Hieronimus epistola xliii. Opus inquit non dignitatem, laborem non delicias, opus per quod humilitate decrescat, non fastigio intumescat. Sed quia hoc rarum est et difficile sic appetere opus et laborem absque aliis ideo periculosum est ualde appetere prelationes ecclesiasticas. Item appetens prelationem sibi conferri, eo ipso non est uerus prelatus uel uerus episcopus prout ait Augustinus De ciuitate dei libro ix. Capitulo ix. Exponens illud ad Thimotheum qui episcopatum desiderat et cetera. Scopus intencio, scopim latine super intendere possumus dicere, ut intelligat se non esse episcopum, qui preesse dilexerit, non prodesse, ille autem prodesse potest, qui ualeat peccatum exterminare mores corrigere, et scit et uult, propter quod Ecclesiastici x. dicitur. Noli querere fieri iudex, nisi ualeas uirtute irrumpere iniquitates. Item non est petenda in ordinate prelatio maxime ecclesiastica ratione equalitatis nature hominum, propter quam quis non debet appetere dominari uel preesse alteri Iob xxxi. Nunquid non in utero fecit me qui et illum Moralium xxxiii. ante medium Dicit beatus Gregorius sancti uiri cum presunt, non in se potestatem ordinis sed equalitatem conditionis attendunt, non preesse gaudent hominibus, sed prodesse, sciunt enim quod antiqui patres non tam reges hominum quam pastores pecorum fuisse memorantur Genesis ix. Terror uester ac tremor sit super cuncta animalia terre, non dicit super homines. Et sequitur contra naturam superbire est ab equali uelle timeri. Item non est appetenda prelatio propter potestatis lubricitatem et precipicii timorem, unde Seneca lxxxviii. epistola. Relinque ambitum timida res est uana uentuosa nullum habet terminum et sequitur non in prerupto illic tantum stabis sed // in lubrico. Et post quecumque uidentur eminentia in rebus humanis, quamuis pusilla sint et in comparatione humiliora existent, per difficiles tamen et arduos tramites adeuntur, confragosa in fastigium dignitatum uia est. Hec ille: Sicut ergo difficile est in uia ardua et lubrica ambulare, quin homo titubet aut cadat, sic difficile est uiuere in dignitate, maxime ambienti eam, quin cadat, quia ut Gregorius ait ubi supra. Sepe transitoria potestas, animum per abrupta elationis rapit, et quia ex eo quisque extollitur quo se super alios uidit, illum oportet qui supra se est semper aspiciat, ut ex consideratione ueri Domini decrescat tumor false dominationis. Difficile enim est in ardup ambulare et non cadere, nisi homo solidetur pondere timoris Domini. Ideo Gregorius ubi supra, manu humilime considerationis, deprimendus est tumor elationis, Iob xxx.: Eleuasti me ualde, scio quia morti trades me. Ubi Gregorius Moralium ii. ante finem, ad hoc solum fugitiue felicitatis aura subleuat, ut repente deterius in infimis sternat. Unde ait Dauid humiliatus neque ambulauit in magnis neque in mirabilibus super me, dyabolus enim peccauit, quia elegit plus preesse quam subesse, ut ait Augustinus xiii. De ciuitate dei capitulo xi. Item non est appetenda ambiciose prelatio, propter deiectionem deprimentis seruitutis, et propter uarietatem multimodam sollicitudinis, Iob xxxvi. Ecce gygantes gemunt sub aquis ibi Gregorius Moralium ultimo ante medium, quanto quiss hic altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur eisque ipsis populis mente et cogitatione supponitur quibus superponitur

dignitate. Et sequitur: homo in sublime eleuatus tantos super se sustinet quantos suppositos regit. Ideo gygantes id est prelati gemunt sub aquis id est populis, ut ibidem ait et post ipsa occupatio secularium dignitatum tanto facilioribus uel infelicioribus uiciis premitur, quanto maioribus curis grauatur, humanus nanque animus uidere et euitare peccata utinam ualeat uel quietus. Unde et uir sanctus uidit desideratas rerum celsitudines, absque peccatis ministrari non posse, ut enim ait Anshelmus De similitudinibus capitulo xi. Sic est de ambitiosis sicut de pueris uenantibus papiliones, quod idum sequuntur illos cadunt in foueas.

Capitulum secundum: De exemplis sanctorum in fugiundo, ecclesiasticam dignitatem

Propter has igitur causas et alias de quibus supra parte prima, uir ecclesiasticus non debet esse ambiciosus ad habendam prelationem ecclesiasticam, exemplis sanctorum patrum scilicet sancti Ambrosii. Qui cum esse electus et diuino oraculo uoce sonante Ambrosium episcopum, et cum omnes in eum consensissent, egressus ab ecclesia tribunal conscendit, et contra suam consuetudinem tormenta personis adhiberi iussit, nihilominus populus clamat peccatum tuum super nos. Ille uero reuertens domum, philosophiam profiteri uoluit, et mulieres publicas publice domum ingredi iussit, ut illis uisis populi intentio reuocaretur, et cum adhuc non acquiesceret populus, noctis silentio fugam iniiit, et cum crederet se pergere, mane inuentus ad portas ciuitatis, nihilominus fugam petiit qui proditus est ab euncio, prout dicitur in uita sua. Similiter legitur de beato Gregorio, qui cum esse electus ab omnibus in pontificem, et fugeret ad saltus ne confirmaretur, iudicio columne fulgide super se descendens cognoscitur, prout dicitur in uita sua. Similiter legitur de beato Marco, quod pollicem sibi abscidit ne dignus sacerdotio haberetur. In libro quoque qui dicitur paradisi, narratur de sancto Ammonio, qui cum fuisset in episcopum postulatus et ad benedictionem duceretur, et uideret se non posse euadere, ferro sinistram aurem radicitus cunctis uidentibus secuit dicens, uel nunc probabitur non posse quod cupitis adimpleri, quia nullus aure prescisus debet ordinari. Cui Dorotheus episcopum a Iudeis lex ista seruatur, ego autem si dederint mihi naribus truncatum aliquem sed moribus probum, non dubito ipsum facere episcopum, ut ergo uim inferre temptarent, iratus respondit. Si me ultra cogetis et linguam meam propter quam mihi molesti estis abscindam et tunc dimiserunt eum. Consimile narratur libro iii. Hystorie tripartite quod cum mortuo episcopo apud Gerapoli Hylario, Nyamonem uel Nulamonem monachum elegerunt ciues, et cum ille crebro refugeret Theophilus suadebat ei, ne sacerdotium refutaret, tunc ille promisit dicens, cras quod Domino placeat implebitur, altero uero die uenientes ad cellam eius cogebant eum quibus ille, prius inquit oremus quod cum Theophilus laudasset et simul orarent repente Nylamon terminum uite cum oratione illa suscepit. Si igitur sancti prefati diuinis Rarismatibus plenis uirtutibus et moribus honestis prediti uita est impii zelo diuini honoris et animarum salutis feruida, sic refutauerunt prelationes ecclesiasticas ob multitudinem periculorum suorum et alidum qua temeritate predictis donis carentes, per Phas et Nephas assequi predictas prelationes nituntur. // Unde Gregorius primo Pastoralium capitulo ix.: Qui uirtutibus pollens ad regimen coactus ueniat, uirtutibus uacans nec coactus accedat. Et de hoc bene Bernardus in epistola ad Senonensem archiepiscopem multi inquit non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si in esse scirent onera grauari metuerent, nec cum tanto periculo quarumlibet dignitatum affectarent infulas. Et sequitur: Scholares puri et impuberes

adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad ecclesiasticas dignitates, et de subferula transferuntur ad principandum prespiteris, letiores uel feliciores dicerem quod uirgas euaserint quam quod meruerint principatum. Sed ue terre cuius rex puer est. Ecclesiastici x.: O infinita ambitio et insatiabilis auaricia in querendo ascendere de gradu in gradum, usque ad papatum uel in congregando ecclesias, simul crudelis ambicio et incredibilis. Se ue qui coniungitis domum ad domum et cetera. Et ibi multa de hoc.

Capitulum tercium: De incommodis ambitionis et de improbitate

Item ad Eugenium libro iii.: O ambitio ambientium crux quomodo omnes torques, omnibus places, nil acerbius cruciat, nil molestium inquietat, nil tam apud miseros mortales celebrius negociis eius, an non limina apostolorum plus iam ambicio terit quam deuotio an non uocibus eius uestrum tota die resultat palacium. An non questibus eius tota legum canonumque disciplina infundatur. An non spoliis eius omnis Ytalica inhyat inexplebili auiditate rapacitas, huic concordat Seneca epistola xlvi. ubi ait: Quod cupiditas omnis ingrata, et nemo eorum qui in republica uersantur quos uincat sed a quibus uincatur aspicit, et illis non tam iocundum est multos plus se uidere, quam graue aliquem ante se, habet hoc uicium omnis ambicio seu omnis cupiditas, quia incipit super a fine scilicet quod appetit quod maius est. Et ponit exemplum bonum epistola lxxv. uidistis inquit canem missa a Domino ad se frustra panis aut carnis aperto ore captantem quicquid autem accipit protinus deuorat integrum, et semper ad spem futuri inhyat idem euenit nobis, quicquid expectantibus proiicit fortuna, id sine ulla uoluptate dimittimus, ad rapinam statim alterius erecti et attoniti, hoc autem non euenit sapienti, quia plenus est, hec ille: Vere ergo ambicio instabilis et inexplebilis. Ideo recte ait Bernardus: crux ambientium, et quo plura assequitur, plura ambit prout ait Seneca libro ii. De beneficiis capitulo xix. Nunquam inquit improbe spei quod datur satis est, et maiora cupimus quo maiora ueniunt, multoque // concitator est auaricia in magnarum opum congestu collocata, ut flamme in fine acrior uis est quo de maiori incendio euenit, eque ambicio non patitur quicquam in ea mensura bonorum conuiescere, quod quondam fuit impudens uotum, nemo agit pro tribunatu gratias sed queritur quod non est ad preturam usque perductus, nec hec grata est si deest consulatus, nec hoc quidem faciat si minus est quod ultra se cupiditas porrigit, et facultatem suam non intelligit, quia non unde uenit respicit sed quo tendat. Hec ille: Ex quo ergo gentiles despiciebant honores et refutabant, prout ait Valerius libro iiii. de Fabio Maximo qui pene tantum in recusandis honoribus gessit quantum egerat in merendis, et maxime sapientes debent se ab ambitione talium cohibere, et eoipso non sunt assumendi sed repellendi, quo deprehenduntur esse ambiciosi, prout ait Gregorius libro ix. Registrorum. Et de hoc in Policrato libro vii. capitulo xxvii., multi ubi ait: dum ambicio mualesat calcata equitate procedit iniusticia. Et sequitur: Est uidere quam plurimos accupes in potestatem honorum procos adherere potentibus, se reipublice muniiw immiscere temptantes uiam qua se possint alare uel aduerso in altum tollere. Et hoc uel ratione expensarum uel nobilitatis uel ratione obsequiorum uel ratione munerum uel ratione yppocriticalium simulationum uel ratione fictarum dissimulationum, allegando se esse indignos ad officia dignitatum. Unde ait ibi quod cum quidam ambiciosus monachus ad abbaciam quam preemerat uocaretur, et ille modestiam simulans ut auidius peteretur, onus refugeret, recusaret honorem, se palam tante rei indignum profiteretur, plane inquit princeps indignus es, quia eam clam mihi

data tanta pecunia emisti, summamque expressit sed per me non stat quo minus pactio impleatur, liberum me haberi iustum est, et tu domum redeas. Et qui dignus est destitute presulatur et preficiatur ecclesie, sed aliter accidit nunc de multis qui preficiuntur inonis dictis. Ibidem narrat quod uacante ecclesia auolana campame, ad cancellarium regis accesserunt tres uiri, abbas quidam archidiaconus et prepositus regis, causam agens fratris sui clerici, singuli offerentes pecuniam predicto episcopatu, emptio et uenditio undique perfecta est, de solutione implenda cantus est dies prefixus electionis sollemniter celebrande, cunque ad diem conuenissent archiepiscopi et episcopi, prefatus cancellarius competitorum causas exposuit, et quid cum quolibet egisset, dicens se exinde de episcoporum sententia processurum damnatis ergo compeditoribus Symomacis, pauper monachus et totius rei ignarus canonice electus approbatus est introductus, et illi coacti sunt soluere id in // quo se obligauerunt usque ad nouissimum quadrantem. Utinam ita ageretur cum procis nostris qui omnes sedes olefaciunt attentius quidem et curiosius quam odoratus aut sagacitas canum, ut formellas leporum aut ferarum latebras deprehendat, ut ait ibidem: apparet ergo stultitia eorum, maxime qui carent sapientia uirtute et industria gubernandi, qui ambiunt esse gubernatores nauis que est ecclesia, in hoc mari magno irruentibus tot uentis temptationum et conquassantibus ut fluctibus tribulationum ne submergantur in diluuiio peccatorum, quia maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium mundauerunt, Osee iii. Unde Tullius libro i. De officiis capitulo xxiii.: Ait secundum Platonem similiter eos facere qui inter se contenderent ut potius rempublicam amministrarent, ac si naute certarent quis eorum potissime gubernaret. Cesset ergo ambicio omnis ab ecclesiasticis.

Capitulum quartum: Quod electio sit rite facienda

Non enim sunt assumendi ad ecclesiasticam prelationem ob improbam ambicionem, sed sunt eligendi canonica electione, ut habitum est supra. Ideo quod electio rite facienda est non ob aliquam comoditatem temporalem eligentium uel emolimenti spe, nec ob humanam intercessionem uel suasionem aut cominationem, nec ob inordinatam affectionem ad personam eligibilem siue carnalem cognationem. Sed sunt eligendi ob diuini honoris cumulationem, ob ecclesie Dei utilitatem, ob profectus siue utilitatis animarum spem, et ob uirtutum ac morum, ipsius eligendi perfectionem. De qua electione Decretum distinctio 23.: Qui episcopus rodinatur et cetera, de sollemnitate uero eius distinctio 62.: Episcopus dum fuerit. Et quia ibi multum de hiis electionibus ideo breuiter hic: Ab anno enim quinquagenario custodes uasorum fuerunt de tribu leui, Numeri viii., super quod Gregorius bene Moralium xxiii. ubi ait: per uasa fideles figurantur, quorum curam suscipere non presumant nisi qui bella temptationum subegerint. Unde Dominus ait ad Moysem, Leuitici viii.: Congrega omnem cetum ad hostium tabernaculi in electione Aaron et filiorum eius, ut sciant omnes quod qui prestancior est ex omni populo et doctior et sanctior et uirtutibus eminentior, ille eligatur ad sacerdotium, ut dicit Origenes in glossa. Et ideo illi qui eligunt aliis inonis quam predictis, timeant Dei iudicium, et sibi imputari damnum siue perditionem animarum et ruinam ecclesie Dei, que destruitur in institutione mali prelati. Unde narrat // Gregorius Dyalogorum iii. capitulo ix. de Paschasio qui respondit: quod loco penali deputatus nulla alia causa fuit nisi quod in partem Laurentii contra Symachum consensit id est eligendo illum ad ordinam pontificatus, ut enim ait Gregorius libro i. Registri: Necesses est ut omnes culpae et

negligentias sibi imputet, qui ministerium uirtutis infirmo commisit. Et loquitur de ministerio electo, si ille est defectuosus et negligens, clupe et negligentie illi imputande sunt, nisi non esset absurdum quod ipse se modis aliquibus ingessisset prece erit precibus uel suasionibus importunis. Cum secundum apostolum, nemo sibi sumat honorem sed qui uocatur a Deo tanquam Aaron.

Capitulum [quintum]: Qua intentione debet consentire electioni et que debet cogitare

Electus ad prelationem ecclesiasticam rite modo supra dicto consentiat, non ex ambiciosa cupiditate, non dominandi libidine, non ex presumtuosa temeritate, non ex cordis inani iocunditate. Sed intentione obediendi uoluntati diuine, et appetibilitate ministrandi Deo, et desiderio acquirendi lucrum animarum et affectu proficiendi in ecclesia Dei, hoc cum humilitate, timore atque tremore, prout ait Augustinus ix. De ciuitate dei capitulo xix. Non est inquit in actione amandus in hac uita honor, sed opus quod per eundem honorem fit, uel potentiam si recte atque utiliter fit id est ut ualeat ad utilitatem subditorum que secundum Deum est, ut ait apostolus: Qui episcopatum desiderat, bonum desiderat et cetera. Et sequitur: Episcopatus nomen est operis non honoris ut habitum est supra. Et Gregorius i. Pastoralium capitulo viii.: Quod qui preesse concupiscunt ad usum sue libidinis instrumentum apostolici sermonis accipiunt, quo ait qui episcopatum et cetera. Quia apostolus opus laudans, desiderium in pauorem uertit, cum ait, oportet enim episcopatum irre prehensibilem esse, unius uxoris uirum sobrium et pudicum prudentem ordinatum seu ornatum, hospitem doctorem non uiolentum, non percussorem sed modestum, non litigiosum turpis lucri incupidum, sed donauit sue bene prepositum, filios habentem subditos cum omni castitati, et sic de aliis uirtutibus quas ibi enumerat. Et sequitur: Illo tempore quo quisquis plebibus pererat, primus ad martirium ducebatur, tunc enim fuit laudabile episcopatum querere quando per hunc modum quemque dubium non erat ad supplicium preuenire seu preuenire. Cum humilitate ergo et pauore suscipiendum est onus prelationis. Unde Augustinus De ciuitate dei // ubi supra: locus superior sine quo populus regi non potest, et si ita teneatur et amministretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem ocium sanctum querit caritas ueritatis, et negocium iustum suscipit necessitas caritatis, quam sarcinam si nullus imponit precipiende atque intuende uacandum est ueritati, si autem imponitur suscipienda est propter caritatis necessitatem, sed nec sic ueritatis dilectio deserenda est, ut subtrahatur illa suauitas, et opprimat ista necessitas. Hec ille. Et de hoc Gregorius libro vii. Registri, ubi ait sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita est fugientibus offerendus, ne quis sumat sibi honorem et cetera. Et libro ix.: sicut qui inuitatus rennuit, quesitus refugit, sacris altaribus est admittendus, sic qui ultro ambit uel importune se ingerit est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius ad profunda descendat. Et sequitur: Eligendus uideat quod imitetur, discat quod doceat informet quod teneat, nam casum appetit qui ad summa fastigia postpositis gradibus per abrupta querit ascensum. Qui ergo onus suscipit ob utilitatem proximorum, et Dei honorem suscipiat, si ad hoc Ydoneus est et utilis, scilicet ut pascat gregem Dei pascius diumarum predicationum, prout ibidem Gregorius ait libro vii. Si is qui ualet Dei oues rennuit pascere, ostendit se pastorem summum minime diligere, si unigenitus patris pro explenda utilitate, communi de secreto patris descendit ad publicum martirium, quid nos dicturi sumus, si secretum nostrum

preponamus utilitati proximorum. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui predicet occupationis onus libenti necesse est humor animo subire, ut patet exemplis duorum prophetarum, ait enim Isaie vi.: Ecce ego mitto me, ait quoque Ieremias primo. Nescio loqui: Quod enim unus humiliter petiit siue appetiit. Alius laudabiliter expauit, unus enim uoluit proximis prodesse per uitam actiuam. Alius inherere amori conditoris per contemplatiuam. Et ibi bene de hoc, super que idem i. Pastoralium capitulo vii.: Nullus ergo se extollat ex tali electione sed magis se humiliet, prout ait Bernardus, bene in epistola ad archiepiscopum Senonensem. Noli altum sapere, in alto enim positus non altum sapere difficile est et omnino inusitatum, sed quanto inusitatus tanto gloriosius. Et sequitur: Non ergo felicem quia preest, si non prodest infelicem putato, debet enim cogitare et onera que assumit et pericula quibus se immiscet, et damna animarum pro quibus se obligat et fastidia occupationum que incurrit, prout ait Augustinus epistola lxxvii: peto ut cogites nihil in hac uita esse, et hoc tempore felicius et letius et omnibus acceptabilius // episcopi aut prespiteri aut dyaconi officio. Si tamen perfunctorie aut adulatorie res agitur, nihil tamen apud Deum miserius tristius et damnabilius, scilicet si illo modo agatur et post. Nihil difficilius laborosius et periculosius talium officio, sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo imperator noster iubet, scilicet Iesus Christus. Et post de se loquens ait: quid existimen si sacerdos locus gubernaculorum traderetur illi, qui remum tenere non nouerat. Si ergo sic humilitate onus prelationis assumere. Et ideo beatus Gregorius considerans pericula prelationis, planxit multum de assumptione sua ad tale onus, sic ut ipse recitat i. Registri ubi ait: Cor meum dereliquit me. Nolite uocare me Noemi, filios enim perdiidi id est opera per terrenas curas, prius eram super altitudines terre sed post curarum fluctibus et tempestatibus depressus. Et ponit exemplum. Symia leo uocari potest, sed fieri nunquam potest quasi diceret uocari possum papa uel summus pontifex, sed non fieri talis qualis debet esse papa secundum meum iudicium. Mira ergo humilitas sanctorum antiquorum uel in fugiendis talibus prelationibus uel in suscipiendis cum timore et tremore et humilitate, cogente caritate et plangenda temeritas modernorum in ambiendis talibus prelationibus uel temerarie suscipiendis.

Capitulum sextum: Qualis debet esse episcopus post consecrationem

Qualis autem debet esse episcopus postquam est electus et consecratus, determinat apostolis sufficienter. Timotei ii. ubi ait: oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium et prudentem et cetera, ut supra quas uirtutes explicat Hieronimus epistola xliiii. siqua per totum et iii. Timotei i. similiter: Si quis est sine crimine et cetera. Super quod Hieronimus ubi supra uno sermone omnes uirtutes comprehendit, de quibus uirtutibus ibi sufficienter. Qualis quidem debet esse episcopus habetur in Decretis distinctio 25. Nunc per singulos, et 81. de ordinandis, et 86. Si quis uero. Memoriter ergo debet episcopus cogitare interpretationem sui nominis. Scopos enim intentio interpretatur et Scopim superintendere. Inde dictum uocabulum, quod ille qui preficitur superintendat secundum Augustinus ix. De ciuitate dei. Et est nomen operis non honoris ut dictum est. Et ut ait Bernardus, ad Eugenium epistola ii.: Episcopi non domini nomen sonat sed seruicij. Et ideo debet iugiter intendere tam // sibi quam gregi commisso actuum 13.: Attendite uobis et uniuerso gregi, in quo posuit Deus episcopos regere ecclesiam Dei et cetera. Et prima Petri ultimo. Non ut dominantes in clero, et de nomine episcopi Bernhardi, ad

Senonensem ait quod secundum ethimoloyam pontifex dicitur seipsum faciens pontem inter Deum et hominem seu proximum, pertingit iste pons usque ad Deum, ea fiducia qua non suam sed illius querit gloriam et usque ad proximum illa pietate, qua non sibi prodesse desiderat sed proximo. Et sequitur: Offert Deo bonus mediator preces populorum reportans illis a Deo benedictionem et gloriam, supplicat maiestati pro excessibus delinquentium, uindicat in peccantes pro iniuria Dei nec populi requirit datum sed lucrum, nec Dei usurpat gloriam, et ibi bene de hoc. Memor ergo debet esse episcopus iugiter sui nominis, ut uiuat ueraciter, et operetur uirtualiter, ea que nomen exprimit, ne dicatur ei illud Apocalipsis iii.: nomen habens quod uiuas et mortuus es. Similiter debet esse memor sue excellentie et dignitatis, ut sit in exemplum omnium prout ait Hieronimus epistola x. capitulo xiii. loquens ad episcopum: Inte oculi hominum diriguntur, domus tue conuersatio quasi in speculo constituta, magistra est publice discipline, quiquid feceris illud faciendum sibi omnes putant. Caue ne committas quod aut qui reprehendere uolunt digne lacerasse uideantur, aut qui imitari cogantur derelinquere. Et ibidem loquens de quodam ait: subuenire pauperibus, uisitare languentes, prouocare hospitio, lenite blandiciis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, cecorum baculus, esurientium cibus, miserorum solacium, lugencium consolatio fuit, ut in singulis uirtutibus eueniebat quasi ceteras non haberet sic enim memorans episcopus sue dignitatis eminentiam, prouocabitur ad uite et uirtutum excellentiam.

Capitulum septimum: Aliter debet sollicitus esse in cauendis uiciis

Et licet omnes uirtutes quas enumerat apostolus prima Thimoteum 2.: necessarie sint, tamen specialiter debet cauere uicia, que sunt maioris infamie, qualia sunt carnalia uicia, gula, luxuria, auaricia et cetera, et studere ad habendas uirtutes oppositas, unde ait apostolus non oportet esse uinolentia scurrarum est et comessatorum, uenter enim mero estuans, cito despumat in libidinem, in uino luxuria, in luxuria uoluptas, in uoluptate impudicia, qui luxuriatur uiuens mortuus est qui autem in ebriatur et mortuus et sepultus est Noe ad unius hore ebrietatem nudauit femora, que sexcentis annos sobrietate contexerat Genesis 19. // Loth per Themulentiam nesciens libidini commisit incestum, et que Sodoma non uicerat uinum uicit Genesis xviii. Sacerdotibus enim legalibus prohibitum erat bibere uinum Leuitici x. In figuram exterminande temulentie et sobrietatis habende in sacerdotibus euangelicis, quanto enim dignitas excellentior, persona honorabilior, conuersatio celestior, operacio spiritualior, tanto magis est cauenda uinolentia uel ebrietas, que et dignitatem uilificat, et personam de honestat, et conuersationem debitam impedit, propter quod ait saluator discipulis suis. Cauete ne grauentur corda uestra uinolentia et ebrietate. Item cauenda est lasciuia operis, etiam prelati et temulentia, ne ad eorum subditi ad uinolentiam relaxentur Iob primo. Cum biberent uinum in domo fratris sui primo geniti et cetera. Ibi Moralium primo cum maiores uoluptati deseruiunt, nimirum minoribus lasciuie frena laxantur, et ibi bene de hoc Iob xxx. Si quando ridebam ad eos non credebant unde ibi Moralium 2.: dum nos quasi letos aspiciunt scilicet subditi; ipsi ad illicita resoluuntur. Et ibidem ait Gregorius prelatus etiam arridens timeri debet, iratus amari, ut eum nec nimia leticia uilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum. Ad aliorum ergo cohertionem, debent episcopi et prelati cauere a uoluptatis lasciuia, et indebita leticia, unde et sancti amplius se macerauerunt et cohibuerunt, postquam erant facti episcopi quam ante, prout dicitur In

uitis patrum libro 2. parte x. de abbate natica uel uacita qui postquam factus est episcopus, multum coactabet animam suam in duricia continentie a quo cum discipulus quereret quare non ita se cruciaret existens in heremo, respondit: fili ibi erat solitudo et quies et paupertas, propterea nolebam gubernare corpusculum meum, ne infirmarer, et quererem quod non habebam. Nunc quia hic seculum est et occasiones sunt plurime excedendi, et si infirmitatem incurrerem sunt hic qui succurrat, ne perdam propositum monachi, hic ergo sanctus austerior sibi fuit post assumptam dignitatem, quod ante. Sed conuerso faciunt multi, qui magis austeri sibi fuerunt ante assumptas dignitates. Tunc enim magis indulgent delitiis quod ante, et etiam si uellent durius uiuere forte non habent gratiam ad hoc, sicut prius, prout narratur In uitis patrum libro 2. parte iii. de abbate Ophi: qui cum esset monachus nimis dure tractauit uitam suam, sed cum esset factus episcopus uoluit ipsa duricia uti in ciuitate, quam in heremo habuit, et non preualuit. Idcirco prostrauit se in conspectu Domini, dicens: putas ne Domine propter episcopatum discessit a me gracia tua, et reuelatum est ei quod // non sed quia tunc solitudo erat et cum non esset homo, Deus susceptor tuus erat, nunc autem in seculo es et ubi homines auxiliantur tui, et ita non habes tantam uirtutem ad austeram toleranda sicut prius. Sobrietas igitur fulgeat in episcopis uercaiter, ut iugiter possint intendere diuinis contemplationibus et officia sua impedimento dispensare subiectis.

Capitulum octauum: Qualis debet esse in cauenda macula omnino de luxurie

Item castitas, purior, sincerior, euidentior et uirtuosior debet esse in episcopo magis quam in aliis, cum uita sua sit in speculo aliis, ut dictum est propter quod ait apostolus: Oportet eum esse unius uxoris uirum, similiter Hieronimus epistola dicta quod nullo pacto bigami uel concubinarum chatenis inserti debent subire ministerium, unde et sacerdos legalis uxorem uirginem debuit accipere non uidiā Leuitici xxi. Ne honorem pollueret sacerdotis, quanto enim dignitas eminentior, tanto castitas necessarior. Et quia dignitas episcoporum sublimior, ideo summe puritas castitatis est in eis necessaria propter quod secundum canones non fuit licitum mulieribus habitare cum eis, paucis exceptis prout habitum est supra a Gregorio ix. Registri ubi ait preuenit ad nos quosdam episcoporum subpretextu solacii in uno domo cum mulieribus conuersari, sed ne per hoc subsannatoribus iuste obrectationis detur occasio, aut per facilem inimicus materiam detractionis assumat hoc compescas nec cohabitare patiaris, exceptis eis quos sacrorum canonum censura permittit matre, amica, germana. Melius tamen faciunt si a talium cohabitatione contineant. Et recitat ibi quod dictum est supra de beato Augustino: Qui non consensit habitare cum sorore, eo quod que cum sorore sunt, non sorores. Et sequitur docti inquit uiri cautela, debet magna nobis esse instructio, nam incaute presumptionis est quod fortis pauet, minus ualidum non timere, et sapienter illicita superat qui didicit non uti concessis exemplum de Andrea episcopo, quem temptauit dyabolus de sanctimoniali cohabitante, de quibus iii. Dyalogorum capitulo septimo: Nulla enim debet esse familiaritas episcoporum ad mulieres, unde ibidem narratur de Iohane papa: quod postquam equitauerat quendam equum accomodatam a quodam nobili, post eius sessionem mulierem scilicet coniugem illius nobilis, equus ferre recusauit ueneranda ergo pontificalis castitas, cui tantum detulis bestia irrationalis. Sacerdotes enim gentiles non poterant esse, nisi essent unius uxoris uiri, et uirgines de ueste et Appolonis // in perpetua

ueritate marcescebant, ut ait Hieronimus epistola x. capitulo vi. Et de hoc Hieronimus similiter epistola 81. et viii. Ubi de clericorum castitate.

Capitulum nonum: Qualis debeat esse in cauenda opinione auaricie

Similiter in episcopo debet esse munifica largitas in elemosinarum largitione, et in hospitalitatis sectatione, unde ait apostolus: Oportet episcopum hospitem esse beniuolum, summe autem cauenda est auaricie cupiditas in episcopis, unde Hieronimus epistola xxxiiii. gloria episcopi, est pauperum opibus preuidere ignomina sacerdotis est propriis studere diuitiis. Et hoc ideo quia rerum est dispensator prout ait in eadem epistola. Ille inquit optimus dispensator est: qui nihil sibi reseruat. Et ibidem si timidus dispensator es, dimitte largitorem ut sua ipsa distribuatur. Et ideo episcopus debet esse munificus et pius in elemosinarum largitione, etiam sibi aliquantulum subtrahendo, et pomposas expensas euitando, ut ampliores elemosinas facere possit. Exemplum sancti Exuperii episcopi de quo narrat Hieronimus epistola lxxii.: Quod ipse uidue sareptane imitator esuriens pascit alios et ore pallente ieiuniis ipse fame torquetur aliena, omnem Christi substantiam Christi uisceribus erogabat, qui talis est in celo thesaurizat exemplo Paulini nolens. De quo Augustinus primo De ciuitate dei capitulo x. ubi ait: quod quando nolam barbari uastauerunt et ipse ab eis teneretur in corde precabatur, dicens: Domine non excriui propter aurum et argentum, ubi enim sunt omnia mea tu scis, ibi enim habebat omnia sua ubi eum thesaurizare monuerat, qui mala mundo prexiderat uentura, erogauerat enim pauperibus sua, et sic in celo thesaurizauerit, et cum omnia in ergationem elemosinarum et liberationem captiuorum seipsum dedit pro filio uidue liberando prout narrat Gregorius iii. Dialogorum capitulo primo. Multum enim Deo acceptandus est episcopus elemosinarius, unde et propter pietatem in elemosina eroganda, placuit multum Deo beatus Gregorius prout legitur in uita sua quod tante fuit hospitalitatis: quod peregrinos ad mensam inuitauerat, et cum quodam die ministraret aquam pauperi, ille disparuit et nocte apparuit ei dicens, ceteris diebus me in membris meis suscepisti hac nocte in meipso. Similiter ibidem narrat: quod cum etiam esset monachus et impenetrabilibus monasterii // a matre leguminibus pasceretur, apparuit unus naufragus pauper qui petiit ab eo aliquid, cui compatiens dedit nummisina, qui eadem die rediit similiter, cui similiter precepit dari, qui tercia similiter rediit, petens ut prius, et tunc precepit uestiario dare ei ui nummisinata, et cum cognouisset non esse nummisinata in uestibulo. Discum argenteum in quo mittebantur sibi legumina a matre dari ei precepit, ne tristis abiret, et cum postea factus esset papa beatus Gregorius et quotidie ante mensam suam comederent xii. pauperes peregrini, quadam die uidit xiii. quorum unus uariabat statum suum, nunc iuuenis, nunc uetulus apparens, a quo cum beatus Gregorius quereretur: Quod esset nomen suum respondit, cur queris nomen meum, quod est admirabile, et adiunxit, ego sum naufragus cui dedisti nummisinata et scutellam, et illa die destinauit te Deus esse presulem Romane ecclesie, et uicarium beati Petri, qui distribuit cui libet prout opus erat: sum quod angelus Dei, et custos tuus ut quamcumque rem postules impetrare ualeas, quo audito ait beatus Gregorius: Si sic fecit Deus propter paruus munusculum, mee paupertatis, quanta restituet si in preceptis eius permanens plurima studuero de pluribus erogare. Et ibi narratur de elemosinis magnis suis, et de tribus milibus ancillarum Christi, tam pro lectisterniis quam pro quotidianis expensis. Episcopi ergo attendere debent, quod sint apostolorum imitatores et successores qui distribuabant

unicuique secundum quod opus erat de his que ponebantur antepedes eorum Actuum viii. Et quod sint rerum dispensatores pauperum et quod sint eorum pauperum spirituales presens, et quod sint eisdem debitores, ut de rebus eorundem pauperum, illis elemosinam largiantur, unde Bernhardus, in epistola ad abbatem Wilhelmum uel Gullium que in gentilibus gentilis arguebat, discite inquit pontifices, in sacco quid facit aurum quasi diceret ad utilitatem uel pauperum necessitatem releuandam, aurum inutiliter est in sacco, cum per hoc pauperum necessitates non releuentur. Nec solum debent elemosinas facere pauperibus hostiatim mendicantibus, sed aliis suis subditis, et parrochianis sustinentibus penuriam et tamen illam cooperientibus pre pudore uel uerecundia, quibus pium est subuenire prout dicitur In uitis patrum libro ii. parte 13. De quodam qui accepit gratiam ut singulis petentibus elemosinam daret at quem cum uenisset mulier quedam uestita ueteribus, aperiens manum uoluit dare multum, et clausa est ei manus, et leuauit parum et uenit alia mulier bene uestita, qui uidens uestes eius misit manus, et uoluit ei dare parum, que aperta est et leuauit multum quod admirans inquisiuit de illis mulieribus, et cogno[*lacuna*] // quod illa mulier que bonis uestibus utebatur, de honestis mulieribus erat, et ad paupertatem uenerat et pro opinione natalium suorum erat induta bonis uestibus. Alia uero causa questus uestierat se uetustis, unde et frequenter magis pium est subuenire nobiles pauperibus et honestis, paupertatem suam pro uerecundia dissimulantibus uel coopientibus, quod mendicantibus hostiatim et effronter petentibus. Et de exemplis erogandi elemosinas pauperibus, in uita Iohannis Elemosinarii per totum, ubi narratur de illo qui ait ad Dominum uideamus inquit Domine quis prius deficiet uel tu dando mihi ut erogem: uel ego dando pauperibus ea que das, unde et misericordiam sibi desponsauit ut dicitur ibidem.

Capitulum decem: Qualis esse debet in sectando hospitalitatem

Et non solum episcopus debet esse elemosinarius erogando elemosinas pauperibus mendicantibus, sed debet esse hospitalis omnibus superuenientibus secundum quod precipit apostolus ad Timotheum: Opertet episcopum esse hospitem, similiter Hieronimus epistola dicta: quod hoc precepto pater Abraham et Loth angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt Genesis xviii. et xix., Hebreos xiii. per hanc quidem angelos susceperunt et cetera. Hospitalitas enim est in omnibus commendanda, sacra enim res est mensa hospitalis, ut ait Seneca iiiii. De beneficio capitulo xix.: nec hospiti debet aliquis esse ingratus, prout ait ibidem de milite hospiti ingrato, et ideo uituperato. Et idem Tullius ii. De officiis capitulo ii.: Recte est laudanda hospitalitas, est enim ut mihi uidetur ualde decorum patrie, domus illustrium hominum, hominibus illustribus, et hoc etiam apud gentiles prout ibi narrat Symonem Athenis hospitem fuisse et ita instituisse ac uillicis imperasse, ut omnia preberentur illis, qui in uilla sua diuertissent, loquitur enim de illis ibi cui uocabantur latides uel laciades. Similiter de hoc Ambrosius iii. De officiis narrat de quodam qui pro hospitalitatis gratie officiis, necem potius sui quem prodicionem fugitiui amici subeundam arbitratur. Et ponit exemplum de leuita iudicum xix. Tam ergo in sacra scriptura quem in libris gentilium hospitalitas semper laudanda prime Petri iiiii., hospitales inuicem sine murmuratione, unde Hugo, hospes dicitur hostium petens, quasi hostio pedem inferat, quia anitquitus qui recipiebat et qui recipiebatur ueniebant ad hostium, et ponebant pedem in eo, et affirmabant quod unus alium non deoperet, et sic utrique ponendo pedem in hostio amicie pactum affirmabant

// unde facilis benignus et aptus et qui aduentus amicorum non subterfugit, sed eis ad hostium libenter se exponit dicitur hospitalis, unde et hospites non solum sunt inuitandi, sed etiam cogendi ad hospitium exemplo Abrahe et Loth ut dictum est: Et exemplo discipulorum, qui dixerunt saluatori luce ultimo. Mane nobiscum Domine super quod Gregorius libro ii. omelia iii.: Quod non solum sunt hospites inuitandi sed trahendi. Narrat enim Iohanes Cassianus libro x. Collationum: De quodam qui si per quinque dies ad eius cellam nullus fratrum aduenisset refectionem differebat, et tunc sabbato uel dominico procedebat ad ecclesiam, ut si quem peregrinum reperisset ad cellam reduceret, non tam sue necessitatis obtentu quam humanitatis gratia, unde etiam irrationalia animalia debent homines instigare ad hospitalitatem, prout ait Ambrosius Exameron omelia v. Discant inquit homines hospitalia seduare iura, et ex auibus cognoscant quid religionis sit hospitibus deferendum, que obsequia deputanda, quibus cornices pericula sua negare non soleant, ait enim ibi de ciconiis quod simel serunt eas proficisti uno agmine si quo pergendum putant, quas cornices deducunt ac dirigunt, et uelut qui busoam turmis stipantibus prosequuntur, et etiam quasi hospitio recipiunt. Ideo ait ibi Ambrosius, his nos Ianuas claudimus: quibus aues animas suas conferunt, quia adiuamenta ciconiis aduersus inimicas aues conferre creduntur, et per interuallum turpis residere illis in lodis reperiuntur ciconie cum cornicibus, sic ergo discamus hospitium dare peregrinis, exemplo auium perdictarum. Et exemplo etiam hominum infidelium, ut enim narrat Pollicratus libro viii. capitulo xiii.: Infideles consueuerunt aduersus hostes etiam proprio periculo proncinari hospitibus, quod infra quadriduum hospicio suscepissent criminis enim contrahebat nota, quisquis ante quintum diem hospiti, id est, peregrino humanitatis proncimum denegabat, ob equitatem enim hospitibus exhibendam, hospes enim anitquitus dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus, cui quicumque fuerit inhumanus de iure antiquo iniquus est, ut ait ibidem unde de hospitalitate sacerdotis ydolorum narratur libro vii. Ecclesiastice hystorie capitulo xxiiii.: Quod cum Gregorius episcopus urgenre turpis procelle angustia in alpibus in fanum appollinis diuertisset a sacerdote licet prophano officiosissime exceptus ext, post cuius digressum accessit sacerdos exmore poscere consulta et responsa scilicet a dyabolo, sed nihil inde responsi ueniebat, iterum et iterum sacerdos uictinas repetit nihilominus semper silentium permanebat. Cumque sacerdos stupore estuaret in somnis demonium assistens se nihil posse fatetur, percunctanti causam ait aduentu Gregorii episcopi se esse expulsam et cum perquireret // sacerdos quid remedii daretur, ait: Non aliter licere ingredi locum illum, nisi Gregorius permisisset, quibus auditis sacerdos est beatum Gregorium insecutus, et ad eum perueniens rem pandit, ex ordine humanitatis sue atque hospitalitatis ammonuit querelam expulsi demonis exponit, ademptam uel adeptam facultatem sui questus deplorat, ac reddi sibi omnia in pristinum statum deposcit, scribit autem beatus Gregorius epistolam in hec uerba, Gregorius Appollini permitto tibi redire ad locum tuum et agere que consueuisti, quam cum pesuisset iuxta simulacrum affuit demon dans responsa poscenti, quod ille admirans et dicens penes se, quod Gregorius erat melior illo, clausis ianuis super se Phani, adiit Gregorium et prostrauit se ad pedes eius, rogans ut ille se Deo offerat, cuius uirtute Gregorius diis gentium imperabat qui cum institisset cathecuninus factus est ab eo, et postea baptisma assecutus est, et intantum uite merito ac fidei uirtute profecit, ut ipse in episcopatu beato Gregorio successor extiterit, laudanda ergo hospitalitas sacerdotis infidelis, ueneranda sanctitas pontificis, mirificanda pietas saluatoris, sacerdotem predictum iustificantis, et commendanda urbanitas gratitudinis prefati episcopi erga

humanitatem hospitantis, fuerunt enim antiqui multum grati hospitantibus, et ingratitude hospitatorum fuit multum reprehensibilis apud antiquos, prout ait Seneca x. De beneficiis capitulo 28. ubi dicitur: quod cum quidam miles naufragus in possessionem cuiusdam esset appulsus recollegit eum xxx. diebus. Recedens quod ait: referam tibi gratiam si contingat me uidere imperatorem meum, cumque uenisset ad Philippum regem Macedonum, petiit sibi dare predia illius a quo fuerat hospitatus, quod ille fecit, alius uero expulsus non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, sed regi omnia intimauit, qui mandauit ut omnia priori Domino restituerentur, et ut improbissimo militi hospiti ingratisstima stigmata inscriberentur hominem ingratum testantia. Similiter narrat Valerius libro v. capitulo primo de quodam qui cum esset hospitatus ab alio humanissime, et illum postea ad pugnam prouocaret, alius cum esset uiribus corporis et animi uirtute superior, monere ingratum uoluit magis quam uincere, tuum inquit fit crimen, hospitem occidere uoluisse, meum autem non erit hospes occisus. Cum ergo hospitalitas sit in omnibus hominibus commendanda, multo magis in episcopis clericis et ecclesiasticis, qui sunt rerum dispensatores ut dictum est, unde beatus Gregorius electionem cuiusdam quasi auari fertur reprobasse, eo quod audierat eum ad caritatem domus sue exercendam neminem inuitasse, // prout dicit Polliceratus ubi supra. Omnes enim sunt recipiendi ne boni excludantur, ait Augustinus epistola lxxvii. Et Crisostomus super Mattheum omelia lx. Ideo de uidua ait apostolus i. Thimotheum vi.: Si hospicio recepit et cetera. Et de hac hospitalitate in uitis patrum parte prima per totum, ubi mira narrantur de hospitalitate sanctorum patrum. Et Seneca parte prima ubi de principis hospitalitate. In hospite autem summe commendanda est hylaritas, unde secundum fabulam Iupiter amplius acceptauit hospitium pauperis hylariter eum suscipientis secundum illud poete. Super omnia uultus accessere boni nec mars pauperis quod uoluntas, et hec hylaritas est Deo accepta. Hylarem enim datorem diligit Deus i. Corinthios vii.

Capitulum undecimum: Qualis debet esse in mensa erga hospites

Et nulla hospitalitas est accepta nisi fuerit grata urbanitas in susceptione hospitem, et debita liberalitas in subministratione necessariorum, et modesta hylaritas uultus, et gestuum exteriorum. Episcopus ergo et uir ecclesiasticus in mensa cum hospitem religiosa sit hylaritate iocundus, liberalitate munificus, et celesti collatione uel colloquutione affabilis, alimentis celicis pascendo animas, sicut corporalibus pascit corpora. Exemplo beati Augustinus, de quo dicitur in uita sua: Hospitalitatem semper exhibuit in ipsa mensa lectionem et disputationem magis quam epulationem uel potationem diligebat, nulla uerba mala sustinebat, detractiones nullas. Unde in mensa sua erant uersus hi scripti. Quisquis amat dictis absentum rodere uitam. Hanc mensam indignam nouerit esse sibi. Omnem conuiuam a superfluis et noxiis fabulis abstinere docebat, et ne quis facili iuratione in periuriam decidisset. Et in ecclesia predicauit et suis institutis ne quis iuraret ad mensam, et qui lapsus fuisset unam de statutis perdebat potationem, erat enim numberus poculorum suis prefixus, et ibi bene de hoc. Consimiliter narrat Ieronimus de bono episcopo qui apposita queque libabat in mensa, ut superstitionem fugeret et continentiam seruaret, sermo eius, et omne conuiuium de scripturis aliquid proponere, aut libenter audire, uerecunde respondere, praua uero acriter confutare, disputantes contra se magis docere quam deuincere. Hec sunt fercula

celestia, hec pocula sacra, que debent ministrari et propinari in mensa episcopali, hec sunt ornamenta magis ornantia mensam quam argentea uel aurea uasa, que utinam multi episcopi haberent in mensis suis. // Exemplo beati Augustini de quo legitur in uita sua: Quod coclearibus tantum argenteis utens uasa cetera quibus mense cibi inferebantur, te stea et marmorea fuerunt, non tam necessitatis inopia quam proposito uoluntatis, quia scilicet uiuebat in uoluntaria paupertate. Unde et plebi dicebat, se malle ex collectionibus plebis uiuere quam possessionum curam uel gubernationem pati, et cum ecclesie pecunia deficeret, hoc populo denunciabat non se habere quod populo erogaret. Econtraria est de multis qui cumulant uasa argentea et aurea in mensis, parum cogitant de pauperibus qui forte non habent uasa lignea in mensis, de quibus loquitur Bernhardus Super cantica omelia lxxv.: Unde hanc illis excusare uel exuperare estimas rerum affluentiam, uestium splendorem et congeriem uasorum argenteorum et aureorum nisi bonis de sponsi et cetera. Non sic fuit de illo rege de quo legitur quod noluit uti nisi uasis fictilibus. Unde Bernhardus fictilibus cenasse ferunt Anathoclea regem, atque habitum sepe sanno onerasse luto, et querenti causam, respondit rex: cum sim Sicilie uel Silicie figulo sum genitore satus fortunam reuerenter habe quicumque repente diues ab exilii progrediente domo.

Capitulum duodecimum: De multiplici conuiuio, et quale debet esse conuiuium episcopi

Pontifex ergo cum hospitibus debet conuiuari non ad modum uulgi sed ad modum philosophorum et sanctorum. Est enim triplex conuiuium, plebeum siue uulgare, in quo regnant uoluptates et uanitates, Ysaias. Cythara et lira in conuiuuis uestris, et opus Domini non respicitis. Et est conuiuium modestum et ciuile, in quo regnat stabilitas et honestas. Unde in Pollicrato libro viii. capitulo ix.: Ciuilitate conuiuari est hylari uultu, larga manu, diligenti officio, amenare conuiuium, et quod in usum suppetit habita consideratione loci et temporis singulis dispensare, non ex tristitia aut necessitate, in quo conuiuio difficile est abstinere a peccato saltem leui uel ueniali, et est conuiuium philosophicum prout dicitur ibidem: Conuiuia philosophica sunt omnino castigata et in suis regulis limitata Socratem non reuocat, ne posituam iusticiam exequatur, nec Platonem a naturali inquisitione Thimeum non prohibet causas rerum omnium apperire, nec aliquis a quocumque uirtutis officio retardatur. In tali conuiuio apud philosophos regnabat ueritas, apud sanctos uero ueritas regnat et caritas. Unde saluator ait discipulus: Non grauentur corpora uel corda uestra crapula et ebrietate quin scilicet uires possint interdere operibus suis libere // et absque impedimento illi sancti epulantur in Azimis sinceritatis et ueritatis, et coram Deo epulantur in deliciis internis. Secura enim mens quasi iuge conuiuium Prouerbium v. Comedunt enim de panibus quos preponit sapientia in mensa sua, et bibunt de uino quod miscuit Prouerbium ix. Religiosa maturitate gaudentes ad imitationem illius populi, de quo Iudith, ultimo.: Populus erat iocundus secundum faciem sanctorum. Qualiter autem conuiuia antiqui ordinauerunt narrat Valerius libro v. capitulo i. dicens: Conuiuium solenne maiores instituerunt, cui preter cognatos et affines nemo interponebatur, ut siqua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mense inter hylaritatem animorum, et fautoribus concordie uel concordibus adhibitis tolleretur, senectuti iuuentus ita cumulatam et circumspertam honorem reddebat tanquam maiores natu adolescentium omnes patres essent, quo die aliquem ex patribus ciuitatis aut propinquum iuuenes senatus aliquando ex pluribus coniunctis aut paternum amicum ad

curiam deducebant affixi in ualuis expectabant donec reducendi etiam officio fungerentur quanquam uoluntaria statione et corpora et animos ad publica officia impune sustentanda roborabant, processuque breui in lucem uirtutum suarum uerecunda laboris meditatione, ipsi doctores erant inuitati ad mensam, diligenter querebant qui nam illi conuiuio interfuturi erant ne senioris aduentum discubitu precurrerent, sublataque mensa priores consurgebant. Ex quibus apparet, cene quoque tempore quam parco et modesto sermone soliti sunt uti, maiores natu in conuiuuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuuenum uirtutem alacriorem redderent, hec Valerius: Curialis ergo urbanitas antiquorum, in conuiuuiis instituendis et rationalis ordinabilitas, et utilis comoditas, nec mirum, quia est totius philosophia ciuilitatis, et omnium agendorum ministra et magistra. Unde et ipse qui est sapientia patris docuit instituere conuiuium, quando ait: Cum inuitatus fueris ad nuptias recumbe in nouissimo loco et cetera, Lucem xiiii. Et omnes inuitauit ad suum conuiuium Lucem ix. Homo quidam fecit cenam magnam et honestos uoluit esse conuiuas Mattheum xxii. Quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem. Episcopi ergo imitentur summum pontificem Ihesum Christum, instituendo conuiuia et inuitando ad ea, et faciant recitari egregia facta anitquorum in mensis suis, que describuntur in sacris scripturis excludendo cantica uanitatis et carmina scurrilitatis uel secularitatis, et hystronica spectacula uoluptatis, et sic sint difformia eorum conuiuia secularibus uel // uulgaribus conuiuuiis et plebeys. De aliis uero uirtutibus quas ait Apostolus, necessarias esse episcopo, supersedeo ad presens, cum de illis Ieronimus determinet sufficienter epistola xliii. et xliiii. Super quibusdam Glosa i. Thimotheum ii.

Distinctio quarta [quarte partis]

Capitulum primum: De officiis ecclesiasticorum, de dispensatione sacramentorum

Habito quales esse debent ecclesiastici, consequenter uidendum est de officiis eorum. Et specialiter de tribus que sunt, sacramenta Dei dispensare, sacra documenta et diuina precepta denunciare, pias et iuges orationes coram Deo pro populo fundere. In cuius figura ait Dominus Petro: ter pasce, pasce, pasce oues meas Iohanem ultimo. Est enim eorum dispensare sacramenta, cum sint sponsi ecclesie, ut generent filios Dei et ecclesie. Gregorius libro ultimo Registri in fine: Censemus eos qui apostolorum figuram tenent, predicare, baptizare, communionem dare, penitentes suscipere, peccata soluere, Mattheum ultimo. Euntes in mundum uniuersum predicate euangelium docentes omnes gentes baptizantes eos et cetera, Iohanem ii., quorum remisistis peccata remittuntur eis.

Capitulum [secundum]: De ueritate predicationum et obligatione ad predicandum

Item ipsorum est documenta Dei denunciare, et illa populo predicare Iob xxxi. Si aduersum me terra mea clamat et cum ipsa sulci eius deflent, si fructus comedi absque pecunia, ubi Moralium xxii., multum de hoc in fine. Quod terram clamare est contra regentis iniusticiam subditos dolere. Et fructus comedit absque pecunia, qui comoda ecclesiastica ad usum corporis accepit, sed exhortationis miserium populo non intendit. Et sequitur: Quid de hoc pastores dicimus, qui officium quidem predicationis suscipimus, sed ecclesiastica alimenta muri comedimus, exigimus quod nostro debetur corpori, sed

non impendimus quod subditorum debetur cordi, Ezechiel iii.: Audies uerbum ex ore meo et annuntiabis eis. Unde Gregorius libro i. omelia xi.: Prepositus sine culpa non est quando uerba uite non audiens ex sua culpa moritur subiectus, hunc ipse occidit, qui eum morti tacendo tradidit, ubi subiectus etiam sua culpa moritur, ibi is qui preest quia tacuit reus mortis inuenitur, tot occidimus quot ad mortem ire tepidi tacentes uidemus, Lucem x.: Dignus est mercenarius mercede sua. // Unde Gregorius libro i. omelia xviii.: Pensemus cuius dominationis sit, sine labore mercedem laboris suscipere. Et Ieronimus epistola xliii.: Quod doctrina a sacerdotibus expectatur, et ueteris precepta sunt legis. Et ad Thimoteum, plenius legitur, ubi dicitur: Oportet episcopum et cetera. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari sana doctrina. Ideo Osee x.: Quia tu repulisti scientiam, repellam te ne sacerdotio fungaris michi. Sicut enim sensibilibus patet stipendia militie recipere a non militantibus, mercedes pastorum suscipere a non custodientibus gregem suum, sine conductione mercedes accipere a non laborantibus in uinea, iniustum est et impium. Sic ex parte ista iniusticia magna est accipere a populo precia peccatorum, et non habere curam debitam de ipso, nec soluere populo debita officia. Ideo ait apostolus i. ad Corinthios ix.: Quis militat stipendiis suis quis plantat uineam et de fructu eius non edit et cetera, quasi diceret, talibus debentur stipendia ecclesie, qui militant pro ea et eam plantant et pascunt. Unde ait ibidem: Si seminauimus spiritualia non est magnum si metamus carnalia. Et Gregorius ubi supra multum et Moralium xxii. et super euangelii omelia dicta et super Ezechiele multum ubi supra.

Capitulum tertium: De sanctitate uite predicantium et uirtuositate quam debent habere

Et ut predicatio fiat fructuosa, oportet quod sit sanctitatis et perfectibilitas a parte predicantis, quia peccatori dicit Deus. Quare tu enarras iusticias meas, et assumis testamentum meum per os tuum. Predicatores enim sunt organum ueritatis, et aliquando sermo subtrahitur propter culpam predicantis: aliquin pro culpa auditorum, prout ait Gregorius Moralium iii. in fine. Tunc enim sermo est uiuus et efficax, cum est predicantis pura sanctitas, et uirtuosa perfectibilitas, sicut fuit de Stephano Acuum vii. de quo dicitur quod non poterant resistere sapientie et spiritui qui loquebatur. Et de hoc narratur bene libro x. Ecclesiastice hystorie, ubi dicitur: Quod cum sancti patres conuenissent ad concilium nicenum, et ibidem essent philosophi et dyaletici quorum unus conflictum cum episcopis in dyalectica mouebat, intantum quod fiebat ingens spectaculum conuenientibus ad audiendum, nec poterat philosophus concludi a quocumque aut constringi, tanta enim dicendi arte obiectis questionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur astrictus uelut anguis lubricus laberetur, quod uidens quidam ex confessoribus uir simplex, et nichil aliud sciens quam Ihesum Christum, et hunc crucifixum, poposcit se cum philosopho sermocionari, quod audientes illi qui nouerant eius simplicitatem nolebant // pati, ne risu efficeretur sancta simplicitas. Iste tamen prestitit mouens sermonem, et dicens. In nomine Ihesu Chri, philosophie audi me et que uera sunt, Deus unus est qui fecit omnia, et creauit uirtute uerbi sui, hoc uerbum est sapientia quod nos dicimus filium caro factum et filius natus, per passionem et mortem nos a morte liberauit, et resurrectione sua uitam nobis eternam promisit, quem expectamus iudicem omnium, credis ita philosophie. At ille uelut si numquam ullum sermonem contra dicenda didicisset, ita stupefactus uirtute uerborum ac mutus, hoc solum ad omnia potuit respondere, ita sibi uideri nec aliud posse

magis esse uerum. Cui senex, si hec ita credis surge sequere me, et huius fidei signaculum suscipe et conuersus philosophus ad omnes ait: O uiri eruditi, dum uerbis mecum res gesta est, uerba uerbis opposui, et que dicebantur dicendi arte subuerti, ubi uero pro uerbis uirtus processit ex ore dicentis resistere uerba uirtuti, nec homo potuit aduersari Deo, et ideo si quis uestrum potuit in his que dicta sunt sentire que sensi, credat Christo et sequatur hunc senem in quo locutus est Deus, et ita philosophus effectus Christianus tandem gratulatus est se esse uictum. Consimile narratur libro ii. Hystorie tripartite capitulo viii. ubi dicitur: Quod cum disputationis delectatione tractaretur negocium fidei, unus ex confessoribus Layrus obuiauuit dicens. Audite Christus et apostoli non nobis artem dyalecticam tradiderunt, uanamque uerborum fallaciam, sed puram scientiam fide et bonis operibus obseruandam, quod dictum omnes probauerunt et dyalectici cessauerunt. Ibidem narratur, quod cum unus magnificentia sermonis illuderet sacerdotibus, quidam senex simplex hoc non ferens, accessit proferre sermonem, unde fuit formido maturioribus. In nomine Ihesu inquit: o philosophe audi dogmata ueritatis, unus est creator omnium, et uerbum eius quo creauit omnia quem filium nominamus, cum hec credimus noli inuestigare studium, et si credis hec responde, at ille obstupefactus, credo inquit, et mutatus est ineffabili uirtute. Ibidem narratur quod cum imperator constantinus uenisset bizantium, et philosophi uellent disputare cum Allexandro Constantino politane urbis episcopo, de dogmate ueritatis, et cum esset unus ex omnibus electus omnium consensu, et alii silentes deberent intendere, ait sanctus episcopus illi. In nomine Ihesu Christi impero tibi ne loquaris et sic factum est, ut enim audiuit sermonem obligato ore conticuit, an hoc magis miraculum, an ut lapis uiolentia uerbi diuini diuideretur, aiunt Iulianum fecisse caldeum, ut dicitur ibidem. Predicator ergo si uult ut uerbum suum sit efficax, hauriat fluentia gratiarum a Deo, et illis se impleat, et amore diuino seruescat. // Et ipsum auctorem uerbi exoret, et ipsi uerbo tribuat uirtutem ad corda auditorum penetranda. Hominis enim est preperare ammun Dei autem gubernare linguam Prouerbium xvi. Vere enim dabit Dominus uerbum euangelizantibus uirtute magna uel multa, illis scilicet qui sunt uere euangelizantes. Hanc gratiam habuerunt sancti quidam a summo magistro, qui uerba proferebant secundum auditorum qualitates et utilitates, prout ait Haymo super primam ad Corinthios xiiii. In uita inquit sancti Cesarii legitur: Quod spiritus sermonem eius disponebat, ut omnium consciencias uerbis suis percuteret, quasi auditores eas sibi manifestassent. Ibidem narrat quod quidam adolescens homo scelestus beato Augustino predicante intrauit, statimque ipso attendente sermo eius uersus est contra uicia illius, quod ille considerans a Deo reuelatum esse pontifici, illo die conuersus est et penituit, quod ipse met narrat Augustinus de se Confessiones libro vi.: Quod ipso docente Allipius intrauit, et ille non cogitans de ludo cui ille erat intentus, cum irrisione mordar, locutus est, quod ille in se rapuit, nec propter aliud quam propter se dixisse credidit, et quod alius acciperet ad succurrendum sibi a me ardentius diligendum ipse accepit scilicet et exiuit de illa fouea, ut aperte tibi scilicet Deo ait Augustinus, tribueretur eius correctio, per me quidem illam sed nescientem operatur es, loquitur enim ad Deum. Consimiliter narrat de eo in uita sua: Quod ipso docente sermo suus processit contra errorem in Anicheorum, et cum ad mensam sederet dixit sociis se admiratum de hoc et cum illi dicerent idem, ait: Credo Dominum aliquem curasse ad errore, in cuius manu nos et sermones nostri sumus. Et post biduum uenit ad eum quidam flens ac confitens se fuisse Manicheum, quousque audiuit eum loqui in ecclesia, qui catholicus factus est, postea prespiter, pro quo ipse gratias egit Deo.

Humiliter igitur et seruenter oret predicator, ut Deus suos sermones dirigat pro utilitate auditorum, nec sibi tribuat in aliquo si fuerint conuersi ad Deum occasione sui sermonis, quia ipse Deus conuertit populum suum ad seipsum per simplices, ut confundat sapientes i. Corinthios x. Unde narratur de mirificentia diuine misericordie libro x. Ecclesiastice hystorie, ubi dicitur: Quod gens Yberorum que sub axe poncio iacet, per unam captiuam mulierem fuit conuersa. Fuit enim apud eos ut dicitur ibidem captiua fidelis, ducens uitam sobriam et pudicam, iugiter orans, cumque quererent quid per hoc uellet, respondit simpliciter Cristum uerum Deum hoc ritu se colere, erat quod ibi mos quod si paruulus egrotaret circumferretur a matre per singulas // domus pro querendo remedio, et sic uenit semel una cum filio egroto ad domum ubi captiua illa erat, et quesiuit an sciret aliquod remedium, que respondit se nichil scire remedii sed eum Christum quem colebat affirmabat posse dare salutem. Cumque cilicium suum paruulo supposuisset atque orationem fudisset apud Deum sanum reddidit infantem matri huius quod facti fama discurrit per omnes usque ad aures regine, que cum grauissime esset afflicta, rogauit captiuam duci ad se. At illa ire abnuuit uel rennuit ne presumeret amplius aliquid quam sexus femine facere uideretur, ipsa uero regina fecit deferri se ad eius cellulam, que sanata est eo modo quo puer superius, cui et Christum predicauit esse auctorem sue incolumitatis et uite, qui dat omnibus uitam, que regressa nunciauit omnia marito, qui iussit illi munera deferri pro salute coniugis, cui regina, nichil horum dignatur accipere, aurum despicit, et argentum respuit, ieiunio quasi quodam cibo pascitur, hoc solum munus ei dabimus, si Christum Deum suum colimus, qui rex distulit donec quadam die iuit aduenandum, et cum tenebre fuissent densissime, et commilitones essent quasi errantes, et ipse solus circumdatus densissima obscuritate, ait: Si uere Deus est Christus quem uxori mee captiua predicauit, et liberer me ab his tenebris, ipsum et Deum colam, qui quod ut mente deuouerat dies reddita est et incolonus rediit, totumque factum regine narrauit uocata est captiua docuit eos modum supplicandi, Christo ecclesiam fabricari monet, formamque descripsit, et omnes crediderunt Ihesu Christo. Et cum columnne deberent locari, nec una posset leuari, captiua in orationem per [lacuna] mansit, et mane cum rex rediret uidit columnam super basem suam suspensam, et cunctis admirantibus super basem suam in eorum oculis deposita est, cumque omnes credidissent et ecclesia constructa esset, legatio missa est ad imperatorem Constantinum ut mitteret sacerdotes ad implendum ceptum munus Dei, quod et ipse fecit cum gaudio et honore. Magnifica ergo potentia Dei et mirifica misericordia eius, qui per unam captiuam fidelem totum regnum conuertit ad fidem, ut sibi soli honor attribueretur. Sanctitas ergo et uite perfectibilitas magis efficiunt in predicatorum ut utiliter predicet quam sciencie luminositas. Propter quod ait Dominus Ysaie xl.: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Syon id est super eminentiam uite, prout exponit Gregorius Super ezechielem libro i. omelia xi. Et dicitur specluator Ezechielis i.: Speculatorem dedi te qui in alto consistis, prout exponit Gregorius Super ezechielem ubi supra. //

Capitulum quartum: Qualis debet esse predicatio

Item debet esse predicationis distincta ordinabilitas pro auditorum qualitate et capacitate, prout ait ibidem Gregorius ubi supra: Quod predicator debet pensare quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, quantum loquatur, de quibus omnibus exemplificat Bernhardus ponens exempla de medico, qui debet considerare quomodo uulnus

feriendum sit, quomodo medicamen apponendum. Et similiter de agricola, qui prius considerat terre qualitatem, quam semeniminitat. Proinde debet predicator diligenter considerare auditorum capacitatem et qualitates ut proferat sermones secundum eorum capacitates. Exemplo saluatoris qui ait discipulis suis Iohanem xvi.: Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Iohanem xxvi.: Qui ligat aquam in nudibus. Super quod Gregorius Moraliū xvii. ut scilicet non mundatione sciencie, sed moderata distillatione foueantur auditores. Per nubes enim predicatorum et per aquam sciencia predicationis intelligitur, ut ibi exponit. Et Iohanem xix.: Super illos stillabat eloquium meum. Super quod Gregorius Moraliū ii.: In hoc intelligitur discretio magistrorum, in hoc enim uidetur iudicare magistrorum sapientiam. Debet enim subtiliter qui docet prospicere, ne plus studeat quam ab auditore capitur predicare. Et Iob xxxviii.: Quis dedit gallo intelligentiam. Ibi Gregorius Moraliū xxx.: gallo intelligentia tribuitur, quia doctori ueritatis discretionis uirtus, ut nouerit quibus, quis, quando, uel quomodo inferat, diuinitus ministratur. Non enim una eademque cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas asstringit, sepe enim aliis obsunt que aliis prosunt. Et ponit exempla. Plerumque herbe que hec animalia reficiunt alia occidunt, et leuis sibilus equos mitigat, catulos instigat, et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri uires iungit, et panis qui uitam fortium roborat, paruulum necat. Pro qualitate igitur auditorum formari debet sermo doctorum, ut sua doctrina singulis congruat, et tamen a conuenis edificationis arte nunquam recedet. Ibidem etiam ait, quod intente mentes auditorum sunt quasi tensiones cordarum stricte in cythara, quas tangit artifex cum plectro ut reddant consonam melodiam, licet non uno pulsu omnes feriantur, consimiliter debet facere predicator in mentibus auditorum cum plectro rationis. Ideo ammonendi sunt aliter uiri, aliter femine, et sic de aliis ut ait ibidem et ii. Pastoralis per totum. Semper tamen predicator prouidere debet quod sit predicationis ueritas, ut nec adulatione, nec timore, nec // questus cupiditate, nec pusillanimitate obmittat, quin predicet omnibus ueritatem. Exemplo Michele, qui cum hortaretur loqui placentia, respondit: Vivit Dominus, quia quecumque dixerit michi Dominus hec loquor iii. Regum ultimo: Propheta enim docens mendacium ipse cauda est ide est operiens turpitudinem animalium Ysaie ix. Tali predicatione indigent maxime potentes mundi prout ait Seneca bene libro vi. De beneficiis capitulo xxi.: Monstrabo inquit tibi, cuius rei inopia laborant summa beneficia et uastigia, quid omnia possidentibus desit scilicet ille qui uerum dicat. Et sequitur: adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, et una contentio, quis blandissime fallat ignorauerunt scilicet potentes uires suas, dum se tam magnos quam audiunt credunt. Et ponit exemplum de Xerse ducente exercitum, cui omnes sui promittebant uictoriam adulando, solus autem domamatus uel domaratus dixit ei uerum scilicet confusionem suam, ut habitum est supra, cui postea egit gratias quod solus sibi uerum dixisset, promisitque petere ab eo quod uellet, qui petiit, quod curru uectus capite rectam cyaram gerens, maximam ciuitatem scilicet sardis intraret. Miserabilis ergo gens in qua nemo inuentus fuit, qui uerum diceret regi, ait ibidem: Predicatori ergo dicit Deus, pro amma tua non confundaris dicere uerum Ecclesiastici x. quod constanter fecerunt prophete et sacerdotes, ut patet consideranti sacre scripture seriem. Ideo ait Apostolus i. Thimoteum x.: Argue, obsecra, increpa.

Capitulum secundum [quintum?]: Quod predicatio debet esse uirtuose uite exemplis confirmata

Item ad predicationem confirmandam debet esse in predicatore operum perfectabilitas, et exemplorum uirtuositas. Qui enim fecerit et docuerit hic magnus uocabitur in regno celorum Mattheum x. Et hec est lex predicatorum, ut impleant quod docent, ait Gregorius Moraliu[m] xix. post presens. Et Iob xxiii.: quando ponebat pluuiis legem. Ubi Gregorius ibidem: Nam loquendi auctoritas perditur quando uox opere non adiuuatur. Et Iob xxxix.: Nunquid nosti tempus partus ibi cum in Petris. Ibi Gregorius Moraliu[m] xxx.: Quod oportet quod predicatorum sint fortes in preceptis, et compatientes in infirmitatibus, terribiles in nimis, in exhortationibus blandi, et sic de aliis que ibi enumerat. Et ii. Pastoralis capitulo xlvii.: Quod predicator debet plus actibus quam uocibus resonare, et ibi bene de hoc. Bernhardus Super cantica omelia lxx.: Validior est uox operis quam oris. Ut enim ait philosophus Ethicorum x.: Actiones sunt credibiles scilicet magis // sermonibus in passionibus et actionibus, et cum dissonant interimunt uerum, ut dicitur ibidem bene de hoc in textu et comento. Et de hoc Seneca epistola centesima capitulo x. ubi ait: Sunt quidam qui in signum simile perfectionia, uicia quibus ipsi laborant in aliis reprehendunt, ac si ipsi illa uicia non haberent. Contra quos Ieronimus epistola x. ad Rusticum monachum de institutione uite, dicens: Nulli detrahes, nec in eo te sanctum putes, si alios lateres, accusamus sepe quod facimus, et tunc nosmetipsos circumuluimus in nostra uicia, inuenimur muti de loquentibus iudicantes. De his apostolus ad Romanos ii.: In quo alterum iudicas teipsum condemnas, eadem enim agis que iudicas. Et sequitur: qui predicas non furandum, furaris, non mechandum mecharis. Et ut ait Seneca epistola vii.: Turbam sapientum plus ex moribus quam ex uerbis Socrates trahit, quia plus homines oculis quam auribus credunt. De hoc Seneca epistola x. ubi ait: Sic ista discamus, ut que fuerunt uerba sint opera. Et ponit exemplum bonum: Quod in tempestate gubernator nauium, naufragabundus non prodest, quid inquit potest iuuare rector nauigi[i] attonitus et uomitans non est loquendum sed gubernandum, dicunt enim, dicit Plato hoc, Zenon et ingens agmen scilicet philosophorum faciunt, que dixerunt et sua esse monstrabunt. Ideo dicitur de filio Dei Actuum i.: Cepit Ihesus facere et docere. Erat enim uir potens in opere et sermone Luce ultimo.

Capitulum sextum: De pietate oracionum

Debent similiter uiri ecclesiastici pascere populum Dei fructibus oracionum secundum Bernhardum ubi supra. Eorum est enim orare pro populo Deum ipsum placando, et eidem populum reconciliando. Exemplo Moysi Exodum xxxi. qui dixit Deo: Aut dele me de libro in quo me scripsisti, aut dimitte eis hanc noxam. Iohelem ii.: Inter uestibulum et altare plorabant sacerdotes. Ideo enim recipiunt a populo Dei decimas et oblationes et sustentationem ut inquiete et tranquillitate orent pro ipso populo Dei. Aduocantes pro eo ante Deum. Et ideo debent scire leges et consuetudines celici consistorii et ante ipsum supremum iudicem pro eo orare efficaciter, ut sicut oratoris est proprium distincte, aperte, ornate dicere, prout ait Tullius i. De officiis capitulo i., sic est ecclesiastici perorare ante Deum spiritualiter. Et de hoc Gregorius multum primo Pastoralis xxi. ubi ait: Sit rector singulis compassione proximus, et pro cunctis contemplatione suspensus. // Et quia hoc non faciunt multi conqueritur Deus Ezechielem xxiii. Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis uos murum pro domo Domini. Qualiter debent orare horas canonicas dictum est in alio tractatu scilicet dietario. Utinam enim nunc tales essent sacerdotes euangelici

orando, quales erant legales, de quibus narrat Egisippus libro i.: Quod cum Pompeyus intrasset Ierusalem et templum inuasisset, stupebant uirorum Acrem animositates, et numquam remissa officia sacerdotum in medio belli furore tamquam profunda pax esset, nichil deerat solennitati sacrificiorum uictime altariuus imponebantur, intrauerant urbem Romani, et tamen nullum intermissum est officii genus, tanta erat cura ministerii, sacerdotes enim usque ad ultimum in suo munere preseuerabant, et insulati sacerdotes inter suas hostias necabantur. Econtrario est de multis hodie qui postponunt omnia officia spiritualia, uolentes comedere crudam carnem ad unam partem sacrificii uel sacerdotii cum Hely. i. Regum iiii.

Capitulum septimum: De uirtutibus quas habere debent qui habent curam animarum

Et quia predicta officia exercere non est puerorum, nec ydeotarum uel imperitorum, prouidere debent prelati maiores scilicet episcopi ne ecclesias conferant talibus, qui non sunt abiles ad predicta officia, sed in partem sollicitudinis assumant uiros sapientes et industrios, prout dicitur Exodus xviii.: Prouide tibi uiros de omni plebe, potentes, timentes Deum. Et Deutronomium i. Idem: Deberent enim saltem imitari pharaonem, qui noluit committere pecora nisi uiris industriis. Genesis xlvii.: Si nostri esse in illis uiros sapientes, constitue eos magistros pecorum meorum. Sed heu econtrario est hodie de multis puerilibus et effeminatis et ignorantibus legem Dei, anime redempte sanguine saluatoris custodiende committuntur, agminibus luporum undique irruentibus, quod preuidens Ysaie iiii. ait: Dabo pueros principes eprum in direptionem. Et de hoc Bernhardus libro iiii. Ad eugenium ante finem: Satis episcopi ad manum habent quibus animas tradant, sed quibus committunt facultates suas non inueniunt et cetera. Patientibus ferimus iacturam Cristi quam nostram, quotidianas expensas, quotidiano reciprocamus scrutinio, et continua Dominici gregis detrimenta nescimus, de escarum precio et numero panum cum ministris quotidiana lis est, raro cum prespiteris celebratur collatio de peccatis, cadit asina et est qui subleuet, cadit anima et non est qui requirat, // exemplum de illo episcopo qui noluit committere pira custodienda prespitero uel puero cui commissat ecclesiam. Cogitare enim debet episcopus, quod est architectus ad Corinthios 3.: ut sapiens architectus fundamentum posui grandes ergo lapides et quadratos debet ponere in fundanito exemplo Salomonis iii. Regum xv.: uiros scilicet uirtuosos et pressuris tribulationum pollitos, pastores enim ecclesie siue ecclesiastici, super edificati sunt supra fundamentum apostolorum et prophetarum, Ephesios ii. Et sunt colonne. Item debent statuere columnas fortes et erectas ad sustentamen tum ecclesie, quales sunt pastores ecclesie et prelati unde Galathas ii. in fine: Hi enim colonne erant et cetera, pro quibus ponere stipulas et festucas, id est pueriles et leues persona insania est exemplum de illo bono episcopo, qui respondit petenti pro leui persona, ut statueret eum in ecclesia, dicens, quod si ipse peteret ab eo ut ponere festucam pro columna in castro suo, ipsum non exaudiret. Cum ergo ecclesia sit castrum Dei, non debet festuca uel calamus fragilis poni pro columna cum infinitum sit magis plangenda ruina ecclesie quam castri materialis, et qui tales collocant ecclesiam destruunt Ysaie xlix.: uenerunt structores tui, destruentes te. Item episcopus est sicut principuus rector ecclesie Dei, que est scola summi magistri, quia ait Iohannes. xiii.: uocatis me magister et Domine et benedicitis, sum etenim, Mattheus 23.: unus est magister uester, sed ars artium est regimen animarum prout ait Gregorius ix. Patoralis capitulo i. Magnum ergo uituperium

est episcopo et magnum periculum statuere ad regimen animarum illo qui artem ignorant. Si enim ignomina est in gratia artium, committere scholas suas ignorantibus artes, et principia et instrumenta artis, multo magis ex parte illa, unde Gregorius ubi supra ab imperitis pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars artium est regimen animarum. Consimiliter cum episcopus sit principis medicus, committere talibus officium medicandi est periculosum, unde subdit ibidem: Quod cogitationum uulnere, occultiora sunt uiscerum uulneribus, et tamen qui spiritualia precepta numquam cognouerunt se medicos profiteri non metuunt, cum econtrario qui uim pigmentorum nesciunt uideri medici carnis erubescant. Merito ergo sunt rei animarum, et illi qui animas curandas talibus committunt, et etiam qui illas in curam suscipiunt. Ideo Ysaie iii.: Esto inquit princeps noster et respondit: non sum medicus. Similiter episcopus est dux aciei Hiesu Christi ad pugnandum, qui possunt aciem ipsam defendere unde in figura Canticorum iii. in fine: En lectulum Salomomis lx fortes ambiunt ex fortissimis Israhel, et omnes ad bella doctissimi. // Magna ergo fraus est assumere pugiles ignaros artis pugnandi et dare eis stipendia que debentur militibus defendentibus aciem Christi, prout loquitur apostolus i. Corinthios v. uocans ecclesiasticos milites. Quis unquam militat stipendiis suis. Consimiliter potest dici quo ad omnia beneficia que sunt ecclesiasticorum, quale est officium pastorale, procuratorium, gubernatorium. Nam in tempestatibus esset insanus gubernator qui committeret gubernacula nauis infantulo ignorantibus cunabulum suum regere, maxime fluctibus ex tempestatibus insurgentibus, uentis irruentibus, portibus nauis se dissoluentibus, et tenebris obuoluentibus, et bestiis rapientibus. Cum ergo sic sit de naue ecclesie in tempestatibus huius mundi, eius gubernaculum non est committendum nisi industrio, qui etiam quantumcumque sit industrius debet timere et iugiter uigilare et artificialiter gubernare. Unde Gregorius libro i.: Vetustam nauem confractam inquit indignus infirmus quod suscepi, undique fluctus intrant, ideo michi in periculo manum oracionis porrigas. Si ergo talis gubernator timuit in regimine sue nauis, qualiter timere debet qui ignorat manum ad gubernandum ponere. Et ipse idem dicit in Registro libro xi.: Nauis gubernator cum aduersari sibi uentum considerat, quosdam fluctos directo clauo exuperat, et quosdam quos superari non posse preuidet, inflexo cursu pauderter declinat, sic inquit sanctitas uestra quedam compescendo quedam tolerando mitiget. Cum ergo talis magister et doctor nauigii timet de periculo nauis ecclesie, stultus est quilibet alius cui commissa est nauis gubernatio qui non timet, et similiter fatuus est qui indignis committit gubernaculum ut dictum est prius.

Quinta distinctio [quarte partis]

Capitulum primum: Quales debent esse iudices ecclesie, quale debet esse iudicium ecclesiasticorum

Quales autem debent esse iudices in republica ecclesiastica qui sunt ad modum oculorum et aurium, patere potest ex dictis superius de iudicibus secularibus parte prima. Similiter quales esse debet aduocati siue oratores, ex dictis ibidem. Si enim debent iusticiam exercere iudices seculares cum diligentia in iudiciis, ut habitum est ibi, multo magis iudices ecclesiastici sine litigiis iurgiorum sine fallaciis deceptionum, talia enim sunt reprobanda in uiris spiritualibus, prout ait Bernhardus primo ad Eugenium post principum: Queso te inquit, quale est illud de // mane usque ad uesperam litigare aut

litigantes audire, et utinam sufficeret diei malicia sua, non sunt libere noctes, uix necessitati relinquatur nature, quod corpusculi pausationi sufficiat, et rursus ad iurgia surgit, et dies diei eructat lites, nox nocti indicat maliciam. Et sequitur: Tota die perstrepunt in palacio leges, sed iusticia non Domini, et tamen lex Domini immaculata conuertens animas, hec autem non tam leges quam lites sunt et cauillationes subuertentes iudicium. Tu ergo pastor et episcope animarum, qua mente obsecro sustines coram te semper silere illam legem Dei, garrere istas. Ideo clamandum cum propheta: Narrauerunt michi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Et ibi bene de hoc: In his etiam iudiciis iniuste appellationes nocent, quas reprehendit ibidem Bernhardus ad Eugenium libro iii. ubi ait: Quod iniqua est omnis appellatio, ad quam iusticie inopia nos non coegit. Et ibi multum contra appellationes iniustas ubi ponit exempla: Quod quibusdam uxores ducentibus appellatum est a quibusdam sine causa cum grauamine, solo frustatorie dilationis intuitu. Similiter ibidem ponit exemplum de quodam qui iniuste appellauit in electione episcopi, ad impediendum. Tales ergo appellationes cum sint iusticie impedimenta multum sunt reprehensibiles, prout ibi exequitur sufficienter. Similiter quales debent esse consilarii episcoporum, patet ex dictis superius parte prima ubi de consiliariis principum. Si enim consilarii principum debent esse sapientes et prouidi a muneribus immunes et puri multomagis consilarii episcoporum. Et de his sufficienter Bernhardus libro x. ad Eugenium: Querendi inquit tibi sunt qui sunt compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam. Et sequitur: Non qui marsubia exhauriant, sed corda reficiant et crimina corrigant. Sicut enim consilarii pape siue legati debent esse tales ut dictum est quales ibi describit, sic et consilarii episcopi suo modo, Et ponit ibi exemplum de legatis bonis, qui rennerunt exennia in suis officiis, sicut de Martino qui fuit legatus in Dacia, et tamen tam pauper rediit ut pene expensis et equis deficientibus uix uenit florentiam, cui ibi dedit equum episcopus, et cum idem episcopus sequeretur eum ad curiam, et peteret ab eo adiutorium, respondit: decepisti me, ne sciebam tibi imminere negocium, tolle equum tuum, instabulo est, et hora eadem resignauit illi. Ibidem ponit exemplum de Gamfredo qui legationem in partibus Aquitanie propriis sumptibus strenue amministrauit. // Et cum esset ei quidam piscis sturio uel stingio presentatus a presbitero a te inquit non recipio nisi receperis precium, deditque illi quinque solidos illo inuito et uerecundo. Idem cum Dominus uel domina oppidi offerret sibi duas parapsides ligneas pulcras, eas laudauit, sed non acquieuit accipere, quanto minus argenteas accepisset, qui ligneas refutauit. Hi fuerunt imitatores Abrahe, qui noluit accipere a filo sub tegimis usque ad corrigiam calige Genesis xiiii. Et Samuelis qui ait: se de manu cuiusquam munus accepi i. Regum xv., prout ait ibidem Bernhardus: Ad imitationem ergo istorum concilarii episcopi excutiant manus suas ab omni munere.

Capitulum secundum: Qualis debet domus et familia episcopi esse

Quales autem debent esse domus episcopi et familia Bernhardus, eodem libro describit sufficienter, ubi ait: Domum episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas, horum custos disciplina. Et sequitur: Discant a te episcope tui comatos pueros et compos adolescentes secum non habere, inter initratos discurrere calamistratos non decet. Et ad illa obseruanda et opposita cauenda debet episcopus esse sollicitus. Unde ait ibidem Bernhardus: Sunt que te ignorare nolim, mores quorumque et studia, non oportet ut uicia domus tue ultimus scias, quod quem plurimis nouimus contigisse, alius alia dispenset, tu

de disciplina prouide, illud nemim tradens si insolentior sermo coram te sonuerit uel habitus apparuerit, sit manus tua super huiusmodi tu ulciscere iniuriam tuam, impunitas ausum parit, ausus excessum. Ad talia ergo corrigenda et scienda sollicitus debet esse prelatus et studiosus, de temporalibus autem committet aliis ut plus possit uacare diuinis. Unde ait ibidem: Memento saluatorem Iudam yconomum habuisse, quid episcopo turpius quam intendere suppellectili, et substantiole sue scrutari omnia de singulis, morderi de superstitionibus, moueri ad queque perdita uel neglecta Egiptius ille omnibus traditis Ioseph, ignorabat quid habebet in domo sua, Genesis iii. Erubescat igitur Christianus Christiano suo non credens, exquo homo sine fide tantam habebat fidem in seruo alienigena, nisi tales collaterales habeat episcopus, non est plene sanus, prout ait Bernhardus eodem libro: Ne dixeris te sanum dolentem latera id est ne dixeris te bonum malo innitentem. Ideo dixit Apostolus: connumerans episcopi uirtutes necessarias sue domui, bene dispositum filios suos subditos in omni castitate, i. Thimoteum ii.

Capitulum tercium: De uestimentorum misterio episcopalium

Has uirtutes episcoporum, significant pontificalia indumenta prout ait Hugo libro ii. parte iii. capitulum xviii. ubi ait: quod episcopi utuntur sandaliis, que sunt calciamenta predicatorum, que habent subtus soleam integram, ne pes terram tangat et desuper constant ex corio perforato, quia gressus predicatoris subtus muniti debent esse, ne terrenis polluantur, superius aperti ad celestia cognoscenda. Induuntur caligis bisinis uel lineis, usque ad genua, per quas significatur quod gressus rectos debent facere pedibus suis, et genua debilia roborare, et sic ad predicandum euangelium festinare, baculo utuntur, qui habet subtus acumen, ut rebelles per increpationem pungant, et desuper est recuruus, ut inites per consolationem trahant Annulo utuntur, qui est sacramentum fidei quo sponsa Christi ecclesia subarrata est, mitra siue chyza in capite regimen quinque sensuum significat, ibidem ait Hugo ante: quod uestimenta sacerdotalia tam in lege ueteri quem in noua significant eorum uirtutes, quas debent habere, ut in tunica linea, castitas interior, in zona siue cingulo castitas exterior, siue in exteriori homine. In tunica iacinctina, conuersatio celsa, in superhumerali laborum patientia, in rationali discretionis sapientia, in cidari intencio recta, in femoralibus que tegunt uerenda munimentum castitatis, hec enim erant uestimenta sacerdotis in lege, Exodi xxviii. Et de his uestimentis prolixè Hieronimus epistola lxxxv: De uestimentis aurem sacerdotalibus in noua lege, ubi supra ait: quod per runicam mundicia, per zonam continentia, per stolam patientia, per casulam caritas signatur. Studere ergo debent ecclesiastici siue episcopi siue prespiteri, ut habeant uirtutes interius quas eorum uestimenta significant exterius ne false portent uestimenta significantia, sine uirtutibus signatis et cetera.

Capitulum quartum: De necessitate cohabitationis pastorum cum gregibus

Ut autem possint perfecte officia amministrare, debent circa gregem suum assidue uigilare, adimplentes illud Ysaie xxi.: Super specula Domini ego sum stans iugiter et cetera, nec discurrant per curias seculares, nec per mundum ad negotiationes temporales, sed cohabitent cum fidelibus sibi commissis, ne cuilibet dicatur illud et cetera. Zacharie xi.: O pastor et ydolum derelinquens gregem, pastor inquam nomine ydolum re, absque custodia uel debito opere, unde Gregorius Super ezechielem libro primo omelia v. // Hi

inquit qui animarum sunt custodes, et pascendi gregis onera suscitauerunt, permutare loca minime permittuntur. Unde narrat Beda in gestis angelorum libro ii. capitulo vi.: de Laurentio episcopo, qui successit beato Augustino misso a beato Gregorio in Angliam, ad circumuertendam gentem Anglorum ob prauos mores et regis iniusticiam, qui cum proponeret relinquere Britanniam, iussit in ecclesia apostolorum lectum sibi nocte parare ubi cum post multas preces et lacrimas fusas pro statu ecclesie ad Deum, membra dedisset ad quiescendum, apparuit ei princeps apostolorum, et multo tempore illum flagellis acrioribus afficiens, scissitabatur apostolica districtione, quare gregem quem sibi commiserat relinqueret, an mei inquit oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi quos michi in iudicium sue dilectionis comendauerat uincula, carceres, postremo autem mortem etiam crucis, ab in fidelibus et inimicis Christi, ipse cum Christo coronandus pertuli. His beati Petri exhortationibus et flagellis in monitus, mane uenit ad regem et reiecto uestimento quantis uerberibus esset laceratus ostendit, qui inquirens quis tantas sibi plagas inflixisset, et audiens quod sui salutis causa tanta ab apostolo esset perpeusus timuit, et anathematizato uel anathematico cultu ydolatrie ac connubio non legitimo derelicto fidem suscepit, et baptizatus est. Ex his ergo patet quam reprehensibiles sunt qui relinquunt ecclesias suas sine causa legitima, cum predictus episcopus pro persecutione et regis infidelitate ecclesiam relinquens, tanta perpeusus est. In his autem omnibus caueat episcopus qui est ad modum capitis et speculatoris, ne sit negligens in predictis officiis, quia ut dicitur in tractatu de xii. abusionibus: Decimus gradus abusionis est, episcopus negligens, qui scilicet gradus sui honorem inter homines requirit, sed ministerii sui dignitatem coram Deo non custodit. Episcopus enim nomen Grecum est, et speculator interpretatur ut dicitur Ysaie iii.: Speculatorem dedi te. Decet enim episcopum omnium super quos in specula positus est peccata intendere, et ea sermone corrigere, et scelerum operarios decimare, et ibi bene de hoc. Predicator ergo diuinus alloquens ecclesiasticos, hortetur quemlibet ad exercenda officia debita suo statui uel gradui et ut quilibet uiuat prout debet in statu suo quantum ad ea que numerata sunt.

Quinta Pars

Distinctio prima

[Capitulum primum]: De informatione scholarium, de instructione discipulorum, de dignitate sapientie

Prehabitis auctoritatibus narrationibus et exemplis quibus uiri ecclesiastici possunt informari, et ex quibus predicator habere potest occasionem conferendi cum eis utiliter, et exhortandi eos efficaciter. Nunc colligantur consimilia quibus possunt instrui uiri ecclesiastici siue philosophici, et ex quibus predicator potest conferre cum eis ex eis que propria sunt illis et ut magis stimulentur ad desiderium sapientie, premittenda est eius dignitas et sublimitas secundum estimationem uere iudicantis, prout dicitur Sapientie viii.: Preposui inquit illam regnis et sedibus et cetera. Sequitur: Infinitus enim thesaurus est hominibus. Et Prouerbiorum iii.: Melior est acquisitio eius acquisitione auri et argenti. Et sequitur: Preciosior est cunctis opibus et cetera. De huiusmodi eminentia apud gentiles dicitur in Pollicrato libro iiii. capitulo vi.: Quod cum gentiles nil sine nutu minimum credunt faciendum, unum tamen quasi Deum Deorum et omnium principem excolunt,

scilicet sapientiam que omnibus preest. Unde philosophi ueteres ymaginem sapientie pre foribus omnium templorum pingi fecerunt, et hec uerba scribi debere censerunt, usus me genuit, peperit memoria, sophiam me uocant Greci, uos sapientiam. Et hec: Item ego odi homines stultos, et ignaua opera, et sophisticas sententias scilicet in quibus nulla est utilitas. Ad appetitionem ergo sapientie et amorem et sedulam acquisitionem sunt omnes scolastici ammonendi, ut quilibet talium dicat istud Sapientie viii.: Optaui et datus est michi sensus, et inuocaui et uenit in me spiritus sapientie. Sequitur: Hanc amaui et exquisiui a iuuentute mea, quesui eam sponsam michi accipere. Unde et huiusmodi amor philosophia dicitur et eius amator philosophus prout ait Hugo Didascalicon ix. parte ii.: Quia philosophia est amor sapientie, philos Grece, amor Latine, sophia sapientia. Inde philosophia id est amor sapientie. Unde philosophia est ars artium, disciplina disciplinarum, que uni communis est Deorum, et que est honoranda antiloquio, prout ait sapiens quidem. Et Papam: Idem in parte que philosophia traditur in artibus liberalibus, de quibus prosequitur Hugo ubi supra bene prosequens que sunt propria cuiuslibet artis. Et similiter Alphorabius libro de diuisione philosophie ubi ait: Quod philosophia est diuinarum humanarumque rerum cognitio cum studio bene uiuendi, sapientia uero est scientia sempiternorum // et de his et de diffinitione philosophie et de illis que spectant ad philosophiam in tractatu de uita philosophorum. Ad presens autem de instructione scolasticorum procedendum est, qualiter scilicet scolares debent addiscere, et qualiter eos doctores debent docere. Et primo quales debent esse quantum ad mentis industriam siue prespicuitatem. Tercio qualiter sunt instruendi quo ad documentum rectitudinem. Quarto in quibus informandi et in quibus non quantum ad eorum quibus instruuntur qualitatem. Quinto quales debent esse scolares quo ad uite ueritatem et honestatem. Sexto quales debent esse quo ad studii sedulitatem. Septimo de his que spectant ad doctores.

Capitulum secundum: Qualis debet esse quantum ad corporis dispositionem sapientie siue literis deditus

In premis ergo ob artium liberalium siue philosophie nobilitatem et honorificentiam, et ob professoribus eius reuerentiam exhibendam, ab aliis addiscentes illas, debent esse corporis plasmatione et dispositione uenusti, prout ait Boecius de disciplina scolarium in principio: Quod uidendum est ut infantis septennis cum ducitur ad imbuendum membrorum decens sit dispositio scilicet partium integralium. Et ponit exemplum. Legitur inquit Thimothei filium lepra incumbentem castratum loripedem gibbo tumentem doctrine mancipium plebeyam extitisse abiectionem, sociorum ridiculosam demonstrationem. Cauendum ergo ne tales ponantur ad philosophias addiscendas, ne philosophia condemnatur ob talium deformitates, et ne minus acceptetur, licet tales in ea profecerint. Nam sicut ait Ennithus uel ethnicus: Grator est pulcro ueniens ex corpore uirtus. Et ut Seneca recitat epistola xl.: et sic minus accepta est sapientia uel uirtus ueniens ex corpore deformi. Ibidem ait Boecius: Quod temporis intempories yemis uel estatis nocet pueris. Et ponit exemplum ibi de quodam indisposito et deformato adducto ad discendum, qui postea attenuatus limphaticis morbis occubuit stigante canicula, illo scilicet regnante signo et ardore feruente. Ibidem ait: Quod cibariorum debet esse mediocris facultas et potus tenuis parcitas, et uestium absit penuria. Pueri ergo debent esse corpore didispositi et integri, et sustentamentis debitis regulati, qui uolunt addiscere ut sint scolastici, et debito tempore debent incipere, et de his sunt ammonendi tam ipsi

quam habentes curam eorum, omni enim negotio tempus est et oportunitas, Ecclesiastici viii. //

Capitulum tercium: Qualis debet esse quo ad industriam mentis

Secundo sunt explorandi pueri, quales sint quo ad mentis industriam siue perspicacitatem, an scilicet habeant industriam discretionis naturalis, uel ingenii uiuacitatem. Sicut narrat Agellius Noctium atticatum libro sexto capitulo tercio loquens de Prothagora philosopho: quod cum esse adolescens et causa uictus ferret uecturas onerum, et de edera candices ligni plurimos funiculo breui circumdatos ferebat, semel obuianit ei demetrius, et uidens eum incedentem expedite, et iuncturam ligni posituramque perite considerans, et aceruum illum similiter breui funiculo comprehensum, et ratione quadam geometrica librari, interrogauit quis sic circumuoluit, cui alius, ego, at ille, solue totum et modo consimili liga, sicque fecit, cui demetrius, cum ingenium benefaciendi habeas nunc maiora melioraque mecum facere potes si uis me sequi, quod ille annuit, et adduxit eum secum et sumptus ministrauit, ac philosophiam eum docuit, et is postea insincerus philosophus fuit sed acerimus sophistarum. Ut prouidus ergo explorator ingenium predicti adolescentis deprehendit, et ad maiora addiscenda hortatus est. Sed cauendum est, ne pueri uiuacis ingenii et acuti nimietate cibi uel potus fiant ebetiores, propter quod nutriendi frugaliter, ut ait Boecius ubi supra, et Agellius plenius ubi supra libro iiii. ante finem, ubi ait pueros impuberes compertum est, si plurimo cibo nimioque uino utantur ebriores fieri, atque elici hinc tardi tacem, improceraque fieri corpora eorum, minusque adolescere, quod narrat Varro in historiis de liberis educandis: Cauendum ergo ne uoracitate ebetes reddantur. Et de hoc supra iii. parte ubi de instructione puerorum.

Capitulum quartum: Qualiter pueri in primis sunt instruendi

Deinde sunt pueri instruendi artificialiter et ordinabiliter pro eorum capacitate, prout ait Boecius ubi supra dicens: Quod in primis figurarum id est literarum elementa id est literas representantium, imprimenda est dilectio, coniungendarumque artificiosa coniunctio, sunt enim pueri instruendi ut diligant literas quas addiscant et ut recte pronuncient et artificialiter coniungant, quia nisi sic in principio informentur, uix postea possunt bene // informari. Et grauius est et difficilium puerum male instructum reinstruere ad rectam formationes quam alium in nullo instructum, unde refert Quintillianus de institutionibus oratorum. De Thimotheo alibi thymeo, qui in arte tiliarum excellebat quod duplas mercedes exigebat, et accipiebat ab his qui fuerunt male preinstructi quam si omnino rudes accederent, et hoc merito, error enim duplicem exigit laborem, cum et delenda sint peruerse instructionis femina, et bona fidelius sint inferenda. Satis enim facilius est inducere bonam informationem, quam extirpare malam, et inducere bonam, maxime cum prima instituta uel documenta tenaciter inhereant pueris, siue sint bona siue mala, prout ait Ieronimus epistola viii.: Ipsa literarum studia teneris melius inferuntur ingeniis, idque penitus inherere solet sensibus quod prius sederit alibi se dederit in mente. Magna ergo diligentia sunt instruendi pueri, ne in puericia ex negligentia tempus suum amittant, prout ait Boecius ubi supra: Quod diligentia cuiuslibet operis obtusitas permollitur, et sententiae ac doctorum dicta memoriae cellule sunt commendanda, ut ibi exemplificat, ne contingat quod lothario contigit. Qui cum xxx. annis fuisset in

gymnasiis philosophorum cum uenisset dies ut preesset mediocribus scilicet pueris quasi eorum magister, asserebat se dubitare cuius uxor fuerit eneas. Similiter requisitus a quodam primam literam scilicet magistri qualiter in uersu uertere posset, respondit: absurdum esse tanti nominis primam breuiari, sed acuto accentu pronunciari. Ecce ait ibi Boecius: quantum temporis dure ceruicis obtusitas perdidit et expense et cetera. Caueant ergo pueri ne sic amittant tempus et expensas negligenter addiscendo et caueant eorum doctores, ne eos decipiant, hec enim sunt peccata puerorum, prout ait Augustinus, enumerando peccata sua in puericia, primo Confessiones: Peccabamus inquit minus scribendo uel legendo aut cogitando de literis quam exigebatur a nobis sequitur. Quia delectabar ludere. Et post: peccabam faciendo contra precepta parentum et magistrorum meorum. Et ibi enumerat de multis aliis talibus de quibus ammonendi sunt pueri ut precaueant. Consequenter etiam adhibenda est sollers diligentia, quod pueri instruantur recte et artificialiter. Et primo in Grammatica et grammaticalibus, que diuiditur in literam sillabam dictionem, prout ait Hugo Didascalicon parte secunda, ubi ait: quod debet scire uocem articulatam, literam et sillabam pedes accentus, et sic de aliis, prout ibi determinat: Nisi enim fuerit instructus in premis in talibus ordinate et artificialiter uix postea poterit instrui // hoc tamen necesse est scire, ut homo scia legere distincte et articulate secundum regulas gramaticales, ut patet exempla Boecii ubi supra.

Capitulum quintum: In quibus doctrinis sunt informandi et a quibus est eis cauendum

Deinde cauendum est ne pueri nimis imbuantur doctrinis poetarum fabulosis, et alliciantur earum delctationibus, unde narrat Valerius libro iii. capitulo v. Lacedemonii libros archilothi Archilonee a ciuitate sua exportari iusserunt, eo quod eorum parum uerecundam et pudicam publicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus nocerent, quam ingeniis prodessent, itaque maximum poetam aut certe prope maximum quia domum sibi inuisam obscenis maledictis laborauerat, carminum exilio mulctauerunt, ut enim tactum est supra mentes puerorum tenaciter retinent doctrinas, quibus primo imbuuntur. Ideo expedit quod utilibus et ueris doctrinis in primis imbuantur. Unde et mos fuit apud Hebreos, ait Origenes super cantica in principio, omnes scripturas a sapientibus trad pueris simul et ad ultimum reseruari, ista scilicet principium, Genesis principium. Ezechielem et finis et Cantica canticorum, quia ista ardua sunt et in eis posset minus intelligens errare. Et ideo dicit Augustinus de seipso iii. Confessiones: Hoc nomen scilicet Christi secundum misericoridam tuam in ipso adhuc lacte matris, tenerum cor meum ie bibebat, et alacri modo acriter retinebat. Et libro vi. idem: Quod nomen Christi michi infanti inditum est. Veracibus ergo doctrinis utilibus, et non fictis et fabulosis, utilius et securius est eos imbure. Sunt autem instruendi in grammatica, ut dictum est, et deinde in loyca, prout ait Boecius ubi supra: Completo inquit non in debite huius gymnasii scilicet gramatice rudimento, ad maiores inquisitionis scientie et limina procedendum, scientie inquit quam solam ueri falsique indagatricem nouimus. Unde Hugo ubi supra quod ex omnibus scientiis septem specialiter docuerunt antiqui in studiis suis ad opus erudiendorum, in quibus tantam utilitatem esse pre ceteris omnibus inspexerunt, ut quisquis principium harum disciplinarum firmiter percepisset ad aliarum noticiam postea inquirendum magis exercendo quam audiendo peruenirent. Sunt enim quasi quedam optima instrumenta et rudimenta, quibus uia paratur animo ad plenam philosophie noticiam. Hinc triuium et

quadriuium nomen accepit, eo quod his quasi quibusdam // uiis, uiuax animus ad secreta philosophie incedat hec ille, hanc autem loycam rationalem primo Plato Greci instituit, quam postea Aristotiles eius discipulus ampliauit perfecit et in artem redegit Marcus uero Terencius Varro primus diialecticam de Greco in Latinum transtulit, ait Hugo ibidem: De meo autem addiscendi dyalecticam, ait Boecius: quod in primis terminorum intrinseca cognitio, eorumque in propositionem non latens copulatio, propositionum quoque non indigna connexio sunt aptanda. Terminorum uero determinationes, quas sincathegreumata appellamus, memoriter menti imprimende, utpote que sophisticе deseruiunt fanstasie. Et ponit ibi exemplum de quodam prudente in aliis scientiis, qui illis uel aliis cautelis sophisticis in die magisterii seu disputationis fuit confusus. Oportet ergo talia memoriter scire, consequenter addiscere et audire libros loycales prout ibi determinat. Et sic in omni arte, uir scolasticus ordinalibilter et artificialiter scilicet ex propriis illi arti diligenter debet addiscere et studere, ut ait Hugo ubi supra.

Capitulum sextum: Que sunt necessaria studentibus

Tria sunt necessaria studentibus. Natura, exercitium, disciplina. In natura consideratur ut facile audita percipiat, et percepta firmiter retineat. In exercitio ut labore et sedulitate naturalem sensum excolat. In disciplina ut laudabiliter uiuens, mores cum scientia componat, de quibus omnibus idem prosequitur eleganter. Et debet studere in omni arte querendo que sunt propria. Unde ait ibi: duo esse genera scripturarum. Primum earum que proprie artes appellantur. Secundum est que sunt appendentia artium. Et utraque oportet scire, licet artes sine appendentiis perfectum possint facere lectorem, prout ait ibidem: superaddens quod duo sunt discernenda. Primum qualiter se arte oportet agere. Secundum qualiter oportet rationes illius artis rebus aliis accommodare, ut uerbi gratia. De gramaticam agit qui regulas et precepta ad artem hanc pertinentia tractat, gramatice agit qui regulariter loquitur uel scribit. Et sic de aliis artibus. Et utiliter instruit ibi scolares qualiter debent addiscere.

Capitulum septimum: Quales debet esse discipulus

Quales autem debet esse scolastici discipuli, et a quibus cauere, docet Boecius eleganter ubi supra. Discipuli inquit subiectio in tribus consistere debet id est in attentione, beniuolentia, et docilitate, ut scilicet docilis ingenio, attentus exercicio, beniuolus animo. Attentus inquam ad audiendum, docilis ad intelligendum, beniuolus ad retinendum. Et subdit non sit scolaris discolus, quasi a scola diuisus. Scola enim Grece dicitur uacatio Latine quasi a uacatione diuisus. Discolus est, qui discurrit per uicos et plateas, et tabernas per meritricum cellulas, per publica spectacula, per pompas et coreas, per comessiones, et etiam publicas cenas et hoc uagis oculis, effrena lingua, peculanti animo, uultu incomposito, omnibus istis scola post posita, hec ille: unde subdit se multos tales uidisse. A quibus autem debent cauere, subdit ibidem: quod a luxurie fetore studeat discipulus alienari, quam distinguit tripliciter. Dicens unam esse in ornatu, aliam in coitu, terciam gulositati assistricem. Ab his scolasticus uolens in philosophia proficete debet summe cauere, prout ibi sequitur: subdens quod meritrix nonaria est inferni ianua, uia iniquitatis, scorpionis percussio, uiscarium scelerum, puteus interitus. Dicebatur autem nonaria, quia antiquitus ante horam nonam non licebat ad talem accedere, unde de hoc ait

Augustinus, Contra iulianum recitans uerba Tullii: Quod motus uoluptatis id est luxurie ut maximus est ita minutissimus philosophie, congruere enim cum cognitione uel cogitatione magna uoluptas corporis non potest, ait Boecius: quod oportet scolasticum cauere ab ebrietatibus et comessationibus, quia uinum inquit moderate sumptum, intellectui acumen uidetur conferre. Immoderate uero sumptum rationem perturbat, intellectum ebetat, memoriam eneruat, obliuionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, ubi enim ebrietas ibi furor dominatur. Ubi furor ibi nulla sapientia. Obliuio autem comes est ebrietatis, Macrobius libro i. Est hilaris insania Seneca epistola 62. Est uoluntaria insania ait idem epistola lxxxviii. Et ideo summe cauenda est, prout exequitur Boecius ubi supra: ponens exemplum de quodam, qui talibus ornatibus uacabat, et sua consummebat, qui postea inops factus est et pauper. Que autem sint expedientia uiro scolastico, ut proficiat in scientia, ait Hugo dicens: Quod sapiens quidam cum de modo discendi interro garetur, scilicet que essent necessaria. Respondit: mens inquit humilis, studium querendi, uia quieta, scrutinium tacitum, // paupertas, terra aliena, hec reserare solent multis obscura legendo. Et de quolibet istorum prosequitur bene dicens: Quod principum discipline est humilitas, cuius precipue tria documenta ad lectorem pertinent. Primum ut nullam scripturam uilem teneat. Secundum ut a nemine discere erubescat. Tercio ut cum adeptus scientiam fuerit, ceteros non contemnat, de quibus ibi prosequitur bene. Similiter studium est necessarium exemplo philosophorum de quorum studio patebit infra. Similiter et quies, tam interior, ut mens per illicita desideris non discurrat, quam exterior, ut ocium et oportunitas studiis suppetat. Similiter scrutinium tacitum, quod significat diligentiam meditationis, sicut studium instantiam operis, meditatio uero est cogitatio frequens cum consilio que causam originem modum et utilitatem unius cuiusque prudenter inuestigat, unde ibi pulchre ait Hugo: quod leticiam philosophie quatuor portant, philos et capos, amor et labor et philemia et agmia id est cura et uigilia, opus inquit per agunt labor et amor, consilium pariunt cura et uigilia, opus in labore est ut agas, in amore ut perficias, in cura ut prouideas, in uigilia ut attendas, philosophie kathedra est sedes sapientie, que his suppositis gestare dicitur. Unde et pulchre iuuenes a fronte propter robur illam tenere dicuntur, sed amor et labor, quia foris opus peragunt a posteriori puella de scribuntur scilicet cura et uigilia, quia intus in secreto consilium pariunt. Sic paupertas id est non sectari superflua spectat ad disciplinam, necnon et exilium, quia philosophantibus totus mundus exilium est, ut ait Hugo ibidem. Et de his eisdem Pollicratus libro ii. capitulo xiii. ait: Quod hec sunt clauis discendi quas senex carnotensis paucis expressit, ubi superaddit quod una clauis est amor docentium, prout ait Quintilianus libro De institutione oratoris, scolastici igitur caueant a predictis uiciis ut habeant predictas clauis ad aperienda archana sapientie et studeant humiliter et diligenter.

Capitulum octauum: Quale debet esse studium boni discipuli

Consequenter ammonendi sunt scolares, ut sollicite studeant ad sapientiam apprehendendam, est enim studium uehemens applicatio ani, cum magna uoluntate ad aliquid agendum prout ait Tullius Rethorice prime libro i. propter quod Ecclesiastici vi. Quasi is qui arat et seminat accede ad illam, ut enim Hugo ubi ait supra. // Pictagoras in studiis suis, hanc consuetudinem seruasse legitur ut usque ad septennium secundum numerum scilicet septem liberalium artium nullus discipulorum suorum de his que ab eo

dicebantur, rationem poscere auderet, sed fidem dare uerbis magistri, quousque omnia audissent sicque iam per semetipsum rationem eorum posset inuenire, has septem tanto studio quidem didicisse dicuntur, et plane omnes, ita in memoria tenerent, ut statim singula eorum parata haberent, scilicet regulas et rationes, que in artibus condoceantur, et hinc accidit eo tempore tot fuisse sapientes, ut plura ibi scriberent quam nos legere possemus. Sed ut ait ibidem Hugo: nostri scolares aut nolunt aut nesciunt modum congruum in discendo seruare, et idcirco multos studentes paucos inuenimus sapientes. Monendi ergo sunt scolares, ut studeant affectualiter siue feruenter, continue siue perseueranter, artificialiter et recte siue ordinaliter scilicet ob amorem uere sapientie, prout hortatur sapiens, Prouerbiorum i. Si quesieris eam quasi pecuniam et sicut thesauros effoderis, tunc scientiam Dei inuenies et hoc exemplo anitquorum philosophorum de quibus ait Hugo supra: quod soli se philosophie dedicabant ut eo eius contemplationi uacarent liberius, quo nullis que uirtutem impedire solent, cupiditatibus animum subiiciebant. Permenides inquit philosophus xv. annis in rupe Egiptiaca consedissee legitur. Et Dorotheo uel Prothaotheo ob meidcandi curam, in monte tantaso uulturi expositus memoratur. Et Themistodes cum expletis capitulo vii. annis se mori cerneret, dixisse fertur se dolere, quod tunc egrederetur de uita quando sapere cepisset. Similiter Plato lxxxii. anno scribens mortuus est Socrates xc. Nouem annos in docendi scribendique labore et dolore compleuit. Et hec sumit Hugo a Ieronimo epistola xxxiii. ubi similiter narrat de aliis philosophis qui ut uacarent liberius philosophie, prout ait Hugo ubi supra: Alii calcabant honores, alii proiecerunt diuiciat, alii acceptis iniuriis gaudebant, alii penas spreuerunt, alii contubernia hominum deserentes ultimos heremi penetrantes recessus et secreta soli se philosophie dedicabant, ut eo eius contemplationi uacarent liberius, quo nullis que uirtutis iter impedire solent, cupiditatibus animum sobiecussent. Et Ieronimus ubi supra: Et similiter epistola xxxvi.: De philosopho qui multarum possessionum precium proiecit in pelagus. Abite inquit in profundum male cupiditates, ego uos mergam, ne ipse mergar a uobis philosophus inquit Ieronimus glorie curialis popularis auri uile mancipium // totam simul sarcinam deposuit, quod non faciunt multi scolastici Christo credentes, sed potius agregant et cumulant cupiditates, quibus submerguntur ut sepe. Mira ergo studiositas antiquorum. Nam ut ait idem Ieronimus lxxv. epistola quosdam mundi philosophos legimus ut totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem, sibi oculos eruisse. Et de mirifico eorum studio Valerius libro octauo capitulo septimo ait: Quod cornoydes laboriosus et diurnus sapientie miles, siquidem xc. Expletis suis annis. Idem illi uiuendi ac philosophandi finis fuit, ita se mirificum in doctrine operibus addixerat ut cum cibi recipiendi causa recubisset, cogitationibus inherens, manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Et sequitur: Animo ergo tantummodo multa uita fruebatur, corpore uero quasi alieno circumdatus erat. Ibidem narrat et de multis aliis de quibus in Tractatu de uita philosophorum, de miro autem studio Euclidis narrat Agellius, libro septimo capitulo decimo, ubi ait: Quod cum Athenienses decreto cauerant, ut qui mecharis ciuis alibi megaris esset, si intulisset pedem Athenis prescius esset et ea res sibi capitalis esset, tunc Euclides ut audiret Socratem sub nocte postquam aduesperasceret, tunica longa muliebri indutus et pallio uersicolore uel uersicoloris amictus, et capite uelate de domo sua megaris, Athenas ad Socratem commeabat, ut uel noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque eius fieret particeps cursusque sub luce ducentorum mille passuum Paulo amplius xx. eadem ueste illic tectus redibat, ac nunc ait Agellius uidete philosophos ultro currere ut doceant ad

fores iuuenum. Diu tamen eosque sedere ac operari prope ad meridiem donec discipuli nocturnum omne uinum edormiant. Scolastici ergo stimulati exemplis predictorum, sint quieti a tumultis cupiditatum et negociationum, et studeant uere philosophie, ut apprehendant Dei legem, et acquiescant consilio sapientis, qui ait sapientiam scribe tempore fatuitatis, et qui memoratur actu apprehendet illam, Ecclesiastici tricesimoquarto. Beatus inquit sapientia qui uigilat ad fores meas quotidie, et obseruat ad postes hostii mei, Prouerbiorum octauo. Qui enim sic uigilat sedulo studio, gratia Dei adiuuante, assequetur, sapientiam. Unde sequitur ibidem qui me inuenerit inueniat uitam et hauriet salutem a Domino. //

Capitulum nonum: Quales debent esse discipuli quo ad uite honestatem

Ex predictis patet quales debent esse discipuli, quo ad uite honestatem, debent esse a uiciis prenominatis immaculati, et uirtuosis moribus maturi, unde philosophi antiqui instruebant discipulos suos quo ad mores, prout ait Ieronimus, epistola tricesimaquarta: Quod yocrates adiurat discipulos antequam doceat, et in uerbis suis iurare compellit, sacramentoque ex torquet silentium sermonum, incessuum mansuetudinem, moresque describit, quantomagis nos, prout ibi concluditur uniuersam enim philosophiam reuocauit Socrates ad mores componendos ait Seneca epistola septuagesimoctaua. Et idem Augustinus, octauo De ciuitate dei capitulo tercio: Quod Socrates primus ad corrigendos ac componendos mores uniuersam philosophiam flexisse memoratur. Et idem Tullius, Tusculanarum questionum libro quinto post principium: Magna ergo ignomia est scolastico iugiter audienti precepta et regulas philosophie, nisi fuerit maturior moribus et honestior, quam Laycus, qui nichil tale audiuit. Sunt autem et alia proficua scolasticis que enumerat Boecius libro supradicto, sicut constantie stabilitudo, quia ut ait ibidem. Constantia parit. In constantia partum disoluit. Prima colligit Secunda collecta dispargit. Et exemplificat de quodam qui primo uoluit esse literatus siue scolasticus. Deinde fastiditus fuit mercator, postea tedio affectus se ad miliciam transtulit. Deinde territus iterato studiis in hyabat, et sic in neutro profecit. Item utile est scolasticis, ut sit suarum complexionum discreta consideratio, quia aliter debent laborare melancolici, aliter colerici et cetera ut ibi exemplificat. Item prodest scolasticis, ut sit in eis magistrorum dilectio siue ueneratio, dictorum ab illis credulitas siue suppositio, cum eisdem mansio siue cohabitatio. Mulierum etiam uetularum uel lotricum, rara uel nulla accessio, seruorum bilingium et detrahentium exclusio bonorum sociorum et fidelium adiunctio sumptuum uel expensarum sufficiens prouisio, de quibus omnibus prosequitur Boecius prolixo ubi supra: introducens exemplum de predictis, predicator ergo diuinus conferens cum scolasticis de predictis, hortetur eos ad ea que sunt illis proficua de hortando a contrariis. //

Distinctio secunda [quinte partis]

Capitulum primum: De informatione doctorum. Quales ascendere debent gradum magistralem, et de utilitate

Deinde sunt ammonendi doctores de his que spectant ad eorum officium, primo ut sit ad tale officium honorabilis ascensio, deinde ut sit uite et morum perfectio. Tercio ut sit

doctrinae et ueritatis rectitudo. De primo sciendum quod non debet quis ascendere ad gradum magistralem, nisi sit preditus scientiis et clarus uirtutibus, prout ait Boecius ubi supra: quod cum ad magistratus excellentiam, bone indolis iuuenis uelit ascendere ordiendum est ut sciat que ad tanti nominis pertinent reuerentiam, ut queque scita uel quesita exprimere noscat, et ne scriptorum commissioni confidentieque totaliter se committat, et ut copiam librorum acquirat, ac eos consulat cum opus fuerit, nec tamen eos omnino credat scilicet sufficere, quia miseri ingenii est semper inuentis uti et nunquam inueniendis. Et ibi prosequitur de modo quo solebant antiqui magistrati siue doctores incipere in facultatibus Athenis uel Rome, enumerans que cauenda sunt talibus, necnon et que necessaria, magis enim ignominia est imperito et ydeote ascendere gradum magistralem quam in statu discipuli remanere. Ne dicatur illud Romanos ii.: Quid alium doces teipsum non doces, propter quod Ecclesiastici xviii: Antequam loqueris scilicet docendo, disce audiendo. Ideo Iacobi iii.: Nolite plures fieri magistri. Cum factus est magister et doctor oportet ut morum honestate polleat ait Boecius ubi supra: Si inquam in sermone uerax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, constans in uultu, pius in affatu, uir tutibus in signis, bonitate laudabilis. Et sequitur: nulla siquidem res magis est discipulo perniciosa, quam uita magistri contumeliosa. Et ponit exemplum infusa enim sepiissime confundi uidemus ex fetido uase, uas enim fetidum confundit aquas et corrumpit et sic consimiliter doctrina uilescit ex ignominiosa uita doctoris. Qui ergo uult proficere suis auditoribus uiuat uirtuose ut eos informet. Et de hoc Seneca bene epistola vii. ubi ait: Quod plus homines oculis quam auribus credunt, longum enim iter per precepta, breue et efficax per exempla, Zenonem enim cleantes non excepisset, si tantum eum audiuisset, obseruauit illum ut ex forma uiueret et sequitur, turbam sapientem plus ex moribus quam ex uerbis Socrates traxit, ignominiosa enim uita docentis facit eum contemptibilem apud discipulos et ex consequenti doctrinam suam, quia ut ait Tullius libro ii. Tusculanarum questionum. Si cum uita punget oratio, turpissimum est scilicet philosopho, sicut si gramaticam professus loquatur Barbare, aut ut absurde canat, qui // uult se haberi musicum, sic et philosophus in uite ratione peccans turpior eo quod in officio cuius uult esse magister labitur artemque uite professus delinquit in uita. Et sicut illius cuius uita despicitur, restat ut eius predicario contemnatur, prout ait Gregorius Super euangelium libro ii. omelia vi. sic ex parte ista: quando uita docentis despicitur, et eius doctrina contemnitur. Et ideo summe debet laborare, ut habeat uitam honestam qui uult proficere auditoribus, multum enim obest discipulis discolor uita magistri, et immodesta, ut enim ait Ieronimus epistola lxxxix: Magister probe etatis et uite eruditionisque est eligendus, nec puto erubescit doctus uir illud facere in propinqua uel nobili uirgine, quod fecit Aristotiles in Philippi filio, ut ipse librorum uarietate incicia literarum monstraret. Non sunt contemnenda quasi parua sine quibus magna constare non possunt. Et sequitur Grecorum narrat historia Allexandrum potentissimum regem in moribus et incessu leonidis pedagogi sui non potuisse carere uiciis quibus adhuc paruulus fuit infectus, procliuis est enim malorum emulatio, et quorum uirtutes consequi, nequis aut nescis, cito uicia imitaris, periculosa igitur discipulis, peruersa uita doctoris, prouideat similiter doctor quod recte doceat unumquemque, et artificialiter secundum suam capacitatem, et secundum cuiuslibet artis exigentiam, prout habitum est supra, unde Boecius ubi supra. Doctor tenetur esse eruditus prius enim oportet ut discat quam doceat. Oportet esse mansuetus prout oportunum est. Debet enim esse rigidus ut lites dissoluat, oblatrantes remordeat, obloquentes opprimat, proteruientes castiget. Debet esse non

negligens, nam sicut in uno quoque opere mater constantia inuenitur, ita uniuerse doctrine nouerca est negligentia. Debet esse non arrogans, prout de omnibus prosequitur Boecius, ubi supra: Unde ergo magna ars est sic recte docere unumquemque secundum suam exigentiam, obseruatis dictis, circumstantiis pro loco et tempore, ut ait enim Gregorius *Moralium* vi. in fine. In omni quod dicitur necesse est ut tam tempus et persona pensetur, si uerba sententiae ueritas roborat, si hanc tempus congruum postulat, si et ueritatem sententiae et congruentiam temporis persone qualitas non impugnat. Moneantur ergo doctores et predicatorum Dei de predictis.

Capitulum secundum: Quales libros habere debent studentes

Scolastici uero tam docentes quam addiscentes, ammonendi sunt de artificioso studio in libris, prout ait Seneca epistola ii. Distrahit librorum multitudo, itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas. Sed meo inquis: hunc librum euoluere uolo, meo illum, fastidientis stomachi est multum degustare, quae uero uariae sunt et diuersae, inquinant non alunt probatos itaque semper lege, et si quando ad alteros diuertere libuerit, ad priores redi. Moneat ergo ut fiat diligens inspectio, et inspectorum impressa rememoratio, unde idem epistola xlvi: Non refert quam multos sed quam bonos habeas libros, lectio certa prodest, uaria delectat multitudo enim librorum onerat, non instruit, et satius est, paucis auctoribus te tradere, quam errare per multos xl. enim milia librorum Alexandriae arserunt et cetera. Cum ergo innumerabiles sunt libri, non potest homo peruenire ad omnium inspectionem. Studeas igitur in authenticis et utilibus, non enim est finis faciendi libros, *Ecclesiastici* xxi.

Capitulum tertium: Qualiter sint cauende noxae scientiae scolasticis

Sed cum aliae sint scientiae noxae, et aliae utiles, scolastici ammonende sunt, ut non utantur noxiis sed ut studeant in fructuosis et utilibus, prout ait Augustinus ii. De doctrina christiana ante finem: uidetur inquit michi, studiosis et ingeniosis adolescentibus debere principi, ut nullas doctrinas quae praeter ecclesiam Christi exercentur tanquam ad beatam uitam capescendam sequi audeant, sed eas sobrie diligenterque diiudicent. Et sequitur: alienent studium a superfluis hominum institutis. Est enim sapientia deorsum descendens et est terrena animalis diabolica *Iacobi* iii. Et illam celestem debent appetere et exquirere, ac etiam scientias ad ipsam dirigentes, et cauere ab animalis et dyabolica et terrena sapientia.

Capitulum quartum: Qua intentione debet homo studere

Item sunt ammonendi, ut recta intentione scientiam acquirant et recto modo ea utantur, non eleuando se ex scientiis suis, sed magis humiliando, scientia enim inflat prima ad *Corinthios* xiiii. Et in multa scientia multa indignatio *Ecclesiastici* i. Et de hoc Bernhardus bene super cantica omelia xxxv. Est inquit in se omnis scientia bona, quae tamen ueritati subnixae sit. Et sequitur nam probat Apostolus, quando ait: Non plus // sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem, *Romanos* xii. Non reprobatur inquit multa scientem, sed sciendi modum nescientem quid ergo dicit modum sciendi, quid nisi ut scias, quo ordine quo studio quo fine quoque nosse oporteat. Quo ordine, ut illud prius

quod maturius ad salutem. Quo studio, ut illud ardentius quod uehementius ad amorem. Quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, sed ad edificationem suam, et proximi. Sunt enim qui scire uolunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt qui scire uolunt ut scire uideantur, et turpis uanitas est de, quibus Satiricus, scire tuum nichil est, nisi te scire hoc sciat alter. Et sunt qui scire uolunt ut scientiam suam uendant pro pecunia et honoribus, et turpis questus est. Et sunt qui scire uolunt ut edificent, et caritas est. Et sunt qui scire uolunt ut edificentur, et prudentia est. Et hi duo ultimi non inueniuntur in abusione scientie hi omnes audiant, scienti bonum et non facienti peccatum est Iacobi iiii. Et Luce xii.: Seruus sciens uoluntatem Domini sui et non faciens, uapulabit plagis multis. Et ponit Bernhardus, exemplum bonum. Cibus indigestus et qui non habet bonam digestionem, malos generat humores, et corrumpit corpus, ita scientia multa indigesta stomacho anime, qui est memoria, si non fuerit decocta igne caritatis, per actus anime in memoriam transfusa, magis corrumpit uitam hominis quam nutriat. Et de tali dicit: Propheta, uentrem meum doleo Ieremias iiii. Scolasticus ergo quam diu est discipulus, acquirat scientiam studiose, quando est doctor doceat artificiose, et semper utatur scientia recto fine et intentione.

Capitulum secundum [quintum?]: Qualiter est studendum in scriptura sacra, et que necessaria in ea

Et quia sacra scriptura est contentiua omnis sapientie, prout ait Augustinus ii. De doctrina christiana in fine: quicquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnabitur id est in scientia scripturarum. Si utile est ibi inuenitur. Et idem epistola iii.: Quod nulle litere comperande duobus preceptis Domini, in quibus omnis ars est. Ibi enim philosophia, quia cause naturarum omnium in Deo. Ibi et ethica, quia non aliunde bona uita formatur, nisi Deum diligendo. Ibi loyca, quia lumen anime non nisi Deus. Ibi salus reipublice, quia ciuitas non conditur neque custoditur nisi uinculo fidei. Ideo omnes ammonendi sunt ad studium sacre scripture, prout ait ipsa sapientia inuitans de hoc uel ad hoc Prouerbiorum viii. // Audite quoniam de rebus magnis locutura sum, et aperientur labia mea, ut recta predicent, ueritatem meditabitur guttur meum, et sicut ipsa excellentior est omni alia scientia uel philosophia. Sic studens in ea debet esse perfectior studentibus in aliis scientiis, et sua studiositas ordinator. Qualiter autem sit studendum, docet Hugo bene Didascalicon parte v. ubi ait: Quod diuina scriptura habet triplicem modum intelligendi, scilicet quo ad historiam, que est quasi alphabetum, quo ad allegoriam, et quo ad tropologiam. Qualiter autem studendum sit in scriptura secundum istos modos ibi prosequitur. Unde bene studens in sacra scriptura non confidat de acumine ingenii, nec de subtilitate scrutinii, nec de sedulitate studii, sed de bonitate Dei et pietate orationis siue oraculi, et humilitate cordis intimi, ait enim filius Dei ad patrem: abscondisti hec a sapientibus et prudentibus et reuelasti ea paruulus et cetera, Mathei xi. Intellectum enim dat paruulis, optauit inquit et datus est michi sensus, inuocaui et uenit in me spiritus sapientie, Sapientie vii. Unde narrat Cassianus in Collationibus patrum de abbate Theodoro. Et idem Cassiodorus lide institutione scripturarum: Quod cum explanationem obscure questionis inquireret, septem diebus et noctibus in oratione in fatigabilis perstitit, donec solutionem eius Domino reuelante cognosceret. Et ideo ait Cassianus ad monachum cupientem ad scripturarum noticias pertingere, nequaquam debere labores suos erga commentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis et

intentionem cordis erga emendationem uiciorum carnalium detinere, quibus expulsis cordis oculi sublato uelamine passionum scripturarum sacramenta contemplantur. Et ponit exemplum de oculis carnalibus et lumine uisibili quod intuentur oculi naturaliter ablatis uiciis oculorum. Cum uera ergo humilitate, cum cordis sanctitate, cum orationis puritate, et cum operis equitate, auditor sacre scripture in ea studeat. Ecclesiastici primo, fili concupisce sapientiam et serua iusticiam et Deus prebebit eam tibi. Et studeat ordinate et artificialiter. Primo in facilioribus scilicet in historia scripture proficienda uel perscienda, et quia res in scriptura sunt significatiue. Deinde studeat in facilioribus intelligentiis, ut pertingat ad profundiores et altiores, quia ut ait Hugo ubi ait supra: Instruendus est studens scilicet in scriptura quid cauere debeat, deinde informandus qualiter ea que sunt agenda perficiat. Nam duo inquit pares ingenio, equales studio, intendunt lectioni, sed non equaliter // proficiunt, quia unus discretius et prudentius laborat. Sunt enim tria que nocent studiis legentium, scilicet negligentia, quando ea que discenda sunt pretermittuntur. Impudentia quando ordo congruus et modus in eis que discuntur non seruatur, et fortuna quando paupertate et infirmitate uel doctorum priuatione quis a proposito retardatur, et sic studeat ut operetur, ut ait ibidem: Nec sic eum teneat lectio ut a bono opere uacare compellat, Christiano philosopho lectio exhortatio debet esse non occupatio, et bona desideria pascere, non necare ubi etiam narrat de quodam probabilis uite, qui multum flagrabat amore scripturarum, et desiderio sapientie feruens, spretis imprudenter simplicioribus scripturis, cepit profunda rimari et obscura et enigmantibus scripturarum enodandis et mysticis sacramentorum intellectibus insistere, sed mens humana non sustinens tantum pondus, non solum ab utilibus, sed et necessariis artibus cepit cessare, uersoque uento in contrarium, ex scripturis occasionem erroris habuit, quibus uti non nouit cum moderamen discretionis. Sed miseratione diuina tandem per reuelationem est ammonitus ne amplius earum scripturarum studio incumberet, sed sanctorum patrum uitam et martirum triumphos frequentare consuesceret sicque in breui in statu pristinum est reductus. Ideo Prouerbiorum xv. sicut qui mel comedit multum non est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria, per gradus ergo ascendat, qui sunt lectio siue doctrina meditatio, operatio oratio, contemplatio. Lectio enim intelligentiam dat. Meditatio consilium prestat. Oratio petit. Contemplatio inuenit, prout ait ibidem Hugo prosequens de his bene: Audiens ergo scripturas et studens in eis, opere impleat ea que audit, sicut Pamphilus uel Panucius abbas, de quo narratur, libro ix. Historie tripertite qui cum esset sine literis, accessit ad quendam ut doceretur, qui cum audisset primum uersum Psalmi illius, dixi custodiam uias meas: secundum uersum sufficit michi tantummodo, cumque doctor culparet eum postea, quod per septem menses ad eum non uenisset, respondit: uersum illum adhuc opere non impleui, postea uero a quodam requisitus an uersum istum didicisset et complisset xlix. annis inquit uix eum implere ualui, ad exemplum ergo istius uir scolasticus in sacra scriptura studens, opere que audit impleat ut ex opere augeatur sapientia, pie enim agentibus dedit Deus sapientiam, Ecclesiastici xlii. // Et sicut studentes in aliis scientiis debent cauere a peruersa intentione, sic studens in sacra scriptura, et eo magis quo ipsa perfectior, quia sunt nonnulli qui diuine scripture scientiam appetunt, uel ut diuicias congregent, uel ut honores optineantur, uel famam acquirant, quorum intentio quantum peruersa tantum miseranda. Sunt alii quos audire delectant uerba Dei et opera, non quia salutifera sed quia mirabilia et diuina preconia in fabulas commutant. Et sunt qui sacram scripturam legunt, ut sint parati omni poscenti

reddere rationem de fide et ut mimicos ueritatis destruant, minus eruditos instruant uiam ueritatis perfectius agnoscant, et altius secreta Dei intelligant, arcius uel altius ament, quorum deuotio est laudanda. Primi sunt miserandi. Secundi amandi. Tercii laudandi, prout ait Hugo ubi supra, predicator ergo diuinus alloquens scolasticos, debet explorare in quibus scientiis student et laborent et prout uiderit expedire, cum eisdem conferat de predictis.

Pars Sexta

Distinctio prima: De informatione religiosorum de religionis primaria institutione

Enumeratis modis quibus potest predicator diuinus conferre cum uiris scolasticis. Nunc saluatore illuminante et docente, uidendum est de modis alloquendi uiros monasticossieue religiosos, et conferendi cum eisdem quantum ad ea que sunt eis propria siue a propria. Et quia de uita religiosorum et uirtutibus determinatur beato Gregorio in libro Dyalogorum, et In uitis patrum, et collationibus patrum et in libro qui dicitur paradisus. Ideo hic breuiter dicitur de omnibus communibus et generalibus, ut detur saltem occasio sapientibus. Primo ergo uidendum est de sacre religionis primaria institutione. Secundo de uite religiose eminentia uel dignitate. Tercio de uirtutum perfectione in quibus principaliter dicitur religio consistere, scilicet paupertatis castitatis et obedientie. Quarto de quarundam aliarum uirtutum necessitate ad perfectam obseruantiam sacre religionis. Quinto de religionis sacre commoditate siue utilitate in hac uita. Sexto de premii bonorum religiosorum magnitudine. Septimo de male uiuentium in religione sacra per uersitate. Octauo de pene uel tormenti grauitate. //

Capitulum primum: De primaria institutione religionis

De primo notandum quod cum religio uera sit, qua de Deus unus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur, prout ait Augustinus De uera religione post princeps. Siue religio non est aliud nisi cultus diuinus, ait idem De ciuitate dei capitulo i. Est enim religio uera, qua se anima unit Deo, unde se peccato subripuit reconciliatione religat, ait idem Augustinus De quantitate anime. Unde religio appellatur, quia ea religemus uni Deo animas nostras ad cultum diuinum uinculo seruiendi, hinc religio dicta perhibetur a religando uel religendo Deum, amiseramus enim eum negligentes, ait Papam. Cum inque religio sit talis, tamen hic est intentio de religione prout est superogatio deuotionis cultus Dei ad impletionem consiliorum euangeliorum. Cui potest conuenire diffinitio Tullii Rethorice i. libro ii. Religio est que superioris cuiusdam nature quam diuinam uocant curam cerimoniamque affert. Et eidem conuenit illud quod Augustinus ait De uera religione. Religio est studium sapientie, hec enim est uera sapientia adimplere consilia Dei siue euangelica.

Capitulum secundum: De institutione et ortu eius

Religiosorum conuentum primus Samuel instituit, iugiter psallentium Domino, ut ait magister in hystoriis super illud i. Regum ix. Obuium habuit gregem prophetarum descendentium de excelso et ante eos psalterium, et dicebantur prophetizare id est laudare

Deum iugiter, ait ibi magister. Et religiosorum personam gesserunt prophete, prout ait Ieronimus epistola lxii.: Filii inquit prophetarum quos monachos in ueteri legimus testamento, edificauerunt sibi clausulas prope fluenta Iordanis, et urbibus derelictis, polenta et herbis agrestibus uicitabant. Unde et Iohannes baptista in heremo uixit, cui uestis aspera, zona pellicea, mel siluestre, omnia uirtuti et continentie preparata, deinde filius Dei qui cum esset omnium diues, factus propter nos egenus, sacram religionem ueraciter instituit, et augmentauit, quando pauperes elegit, diuites in fide, ut eum relictis omnibus sequerentur, Mathei v.: Venite post me, de quo et ipsi gloriantur, Mathei ix.: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Hoc enim est apostolici fastigii, ait Ieronimus epistola 88. Hoc enim eos fecit apostolus, ait Crisostomus Super matheum omelia xlvi. Antiqua ergo institutio religionis, sacre ordinata et autentica est.

Distinctio secunda [sexte partis]

Capitulum primum: De eminentia et dignitate religionis. Qualiter antiqui hunc modum uiuendi preelegerunt

Ex predictis patet eminentia et dignitas religionis siue uite religiose quam Christus elegit, discipulis tribuit et aliis predicauit, Mathei ix.: Si uis perfectus esse, uade et uende omnia que habes et da pauperibus, et ueni et sequere me. Unde et talem uitam duxerunt apostoli post ascensionem saluatoris, quando nullus dicebat aliquid esse suum sed erant illis omnia communia, Actuum iiii. Similiter talem uitam habuere credentes Allexandrie sub Marco euangelista, ut narrat philosophus uir doctus libro ii. Ecclesiastice hystorie capitulo xvi. ubi mira narrat de uita illorum. Primo inquit omnium renunciabant cunctis facultatibus, et extra urbem egies si in ortulis uel exiguis agellulis degebant, refugientes imparis propositi et uite dissimilis contubernia, scientes impedimento esse hoc arduum uolentibus iter uirtutis incedere. Et sequitur: in litera multa enumerando que in nostris exercentur monasteriis, continentiam uelut primum fundamentum in anima collocant, et ita deinde reliquas super has paragunt edificare uirtutes, cibum potumque nullus eorum capit ante solis occasum uidelicet tempore lucis, cum philosophie studiis curam non corporis in nocte sociantes, nonnulli post triduum in communionem ueniunt cibi, quos uero edacior studiorum fames perurget, alii quarto die uel sexto necessarium corpori indulgent cibum. Et sequitur ibidem: Quod apud eos consecrate uirgines indignum ducebant libidini mancipare uas ad capiendam sapientiam preparatum, seorsum uiri et seorsum femine congregantur, uinum enim gusto contingit, sed nec quamlibet carnem, tantum autem aque poculum et panis cum sale uel ysopo cibus est, et ibi multa alia narrat. Et de hoc Cassianus libro ii. Collationum: Quod in primordiis fidei probatissimi monachi a beato Marco qui primus Allexandrie pontifex fuit normam susceperunt uiuendi, non tantum illa magna ut in actibus apostolorum retinebant. Veruntamen etiam multa subtiliora atque sublimiora cumulauerunt, de quibus ibidem libro i. Hystorie tripartite ante finem.

Capitulum secundum: De religionis eminentia

Merito ergo eminens est et excellens uita religiosa, prout Bernhardus ait in sermone de natiuitate, loquens de paupertate filii Dei: Nasciturus inquit filius Dei elegit quod

molestius fuit carni, quia natus in paupere domo et cetera, sed non tale iudicium mundi, aut ergo iste fallitur, aut mundus errat, sed impossibile est falli sapientiam. Melius ergo et utilius // Et potius quod ipse elegit, ita ut quisquis aliud doceat uel suadeat ab eo tamquam a seductore est cauendum. Unde ut et ostenderet filius Dei uoluntarie paupertatis preciositatem elegit ipsam, prout ait ibidem Bernhardus in sermone de uigilia natiuitatis. Quid inquit paupertate ditius quid preciosius qua regnum celorum emitur et gratia acquiritur. Et in alio sermone ait: Quod in celis bonorum omnium affluentia sed paupertas non inueniebatur in ea. Porro in terra habundabat et superhabundabat et nesciebat precium eius. Hanc ergo filius Dei concupiscens descendit ut eam eligeret sibi, et nobis sua estimatione faceret preciosam. Mira ergo fatuitas detrahentium uoluntarie paupertati, assumpte propter cristum, quam ipse sic elegit et preciosam rem demonstrauit, cum relinquere omnia propter cristum sit melius quam ex struere monasteria et pauperes sustentare, prout ait Ieronimus epistola cxv. loquens ad Nepocianum: Exstruis inquit monasteria, multus a te per insulas Dalmacie pauperum numerus sustentatur, sed melius faceras si et ipse sanctus inter sanctos uiueres. Et sequitur: Apostoli gloriantur quod omnia dimiserunt et secuti sunt saluatorem, et certe preter retia et nauem nichil eos legimus dimisisse, et tamen testimonio futuri iudicis coronantur, quia se offerentes totum dimiserunt quod habuerunt. Plane ergo hic ait: Melius est relinquere omnia propter Deum quam expendere res possessas in usus pauperum siue exstructionem monasteriorum. Non enim solum Deus retribuit pauperi uoluntario propter Deum secundum quantitatem eorum que relinquit, sed eorum que concupiscere potuit. Unde Gregorius Super euangelia libro i. omelia v.: Multum dimisit qui cum re possessa concupiscentie renunciauit, multum dimisit qui sibi nichil retinuit. Et sequitur: tanta a sequentibus sunt dimissa, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt, sed innumerabilia regna regna possunt concupisci. Qui ergo propter Deum sua dimisit et nichil concupiscit, iudicandus est multa regna propter Deum dimisisse. Et ideo merito retribuendum est ei regnum celorum Mathei v.: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum. Et ideo ad uitam religiosam hortatur Ieronimus, in multis locis, sicut xxxiii. epistola ubi ait: Licet paruule ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis uestibus ubera quibus te nutriuerat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum patrem perge, siccis oculis, ad uexillum crucis euola, solum pietatis genus in hac re est esse crudele. Et sequitur: Gladium tenet hostis ut me perimat, et ego de matris lacrimis cogitando, propter patrem miliciam Cristi deseram, // cui sepulturam Cristi eam non debeo, Mathei viii. Et ergo Ierominus epistola lix. aduersus Vigilantium: Quod asseris melius eos facere qui utantur rebus suis, et paulatim fructus possessionum pauperibus diuidant quam illos qui possessionibus uenundatis semel omnia largiuntur, non tibi a me sed a Domino respondebitur. Si uis perfectus esse uade et uende omnia Mathei xix. ad eum loquitur qui uult esse perfectus, qui cum apostolis patrem et nauiculam et rethe dimittit. Sed inquis, si omnes se reculserint et in sollicitudine fuerint quis celebrabit ecclesias quis homines seculares lucrifaciet cui respondet Ieronimus: Si omnes fuerint tecum fatui quis erit sapiens. Et superaddit: rara uel una uirtus nec a pluribus appetitur et utinam essent omnes quod pauci sunt, de quibus dicitur: Multi sunt uocati pauci uero electi. Insinuat ergo quod hec est uirtus scilicet uendere omnia et sequi Christum respectu eius quod est celebrare ecclesias.

Capitulum tertium: De distinctione religiosorum antiquorum

Merito ergo est uita religiosa appetenda, que est uita diuina et apostolica, ut in ea seruiatur Deo in tranquillitate quam appetierunt sancti antiqui in Egipto, et deinde per totum mundum, de quibus ait Ieronimus epistola lxxxviii. ad Eustochium ubi ait: Quod tria genera monachorum in Egipto fuerunt, scilicet cenobitharum et qui in communi uiuebant. Anachoritarum qui soli in desertis habitabant. Et alii quorum genus dicebatur: Remich lingua eorum, qui bini uel trini simul habitabant. De premis aut ibidem et de uita ipsorum quod nullus in cibo strepitus, nemo in cibo loquitur, uiuitur pane leguminibus et oleribus que solo sale condiuntur, uinum tantum senes accipiunt, et alia ibi de eorum uita qualia ait philosophus superius. Unde Ieronimus: Tales philosophus, tales Iosephus in secunda iudice captiuitatis hystoria refert. Vite uero anachoritarum auctor Paulus, illustrator Anthonius, princeps Iohannes baptista, ut ait ibidem. Digna argo et excellens est uita religiosa, de cuius excellentia ostensum fuit Anshelmo, cum esset quasi in extasi prout dicitur libro de similitudinibus in fine, ait ad eum angelus. Vis uidere quis sit uerus monachus, at ille uolo, et duxit eum quasi in conspectu magni claustrum et speciosi et ait: circumspice, et aspexit, et erant parietes obducti auro et argento purissimo, herba in medio uiuens et ipsa argentea mollis et redolens, ultra humanam opinionem delectabilis. // Cum ergo ibi perpetuo habitare elegisset, ductor eius spondit sibi si uellet ueram ostendere penitentiam ibi posse habitare, et tunc euigilauit, quam uisionem ostendit ei Deus, ut est pie credendum ad ipsius solacium, et aliorum exemplum. Ammonendi sunt ergo religiosi ut considerantes sue uite dignitatem, digne et honorifice uiuant in ea.

Capitulum quartum: Quod in tribus consistit omnis religio

Consistit autem uita religiosa in tribus principaliter, in uoluntaria paupertate, in sincera castitate, in obedientie subiectione. In quorum trium figura dictum est Abrahe, Genesis xii. Egredere de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui. In his enim tribus consistit perfectio uite scilicet in amoris eleuatione ab infimis, in cordis et in timorum reformatione ac libidinum cohabitatione, et in adhesionem Deo et summis, prout ait Augustinus epistola 83. Sed summum est ipsa ueritas, infimum est infima natura, nec beatum nec miserum esse potest quod in edium inclinatione ad infimum miserie conuersione uere ad summum beate uiuit. Qui in Christo ergo credit non diligit infimum, non superbit in medio atque summo inherere ita fit ydoneus. In his enim tribus est perfectio ut dictum est. Paupertas ergo uoluntaria propter Christum assumpta fundamentum est. Unde et saluator loquens de beatitudine inibus et earum meritis premisit beati pauperes spiritu, Mathei v., insinuans per hoc quod paupertas est fundamentum uirtutum et beatitudinum.

Capitulum quintum: De paupertate ad quam se obligant religiosi

Ad hanc ergo paupertatem obligant se religiosi secundum exigentiam sui status, uel ad nichil habendum proprium, nec in communi nec in speciali, sicut obligant se illi qui sunt huiusmodi professionis scilicet beati Francisci, uel ad nichil habendum saltem proprium in speciali, sicut obligant se illi qui possunt habere bona in communi, licet nullus possit habere proprium. Omnes ergo ne fiant preuaricatores sui uoti et sue professionis, et sic rei damnationis cum summa diligentia et sollicitudine studeant seruare paupertatem quam professi sunt. Exemplo sanctorum patrum scilicet Benedicti et Francisci et aliorum, et hoc

merito, quia ut dicitur In uitis patrum libro ii. parte vi. Thezaurus monachi est uoluntaria paupertas. // Sicut ergo habens thezaurum, sollicite eum custodit ne auferatur omnino uel diminuatur uel modo aliquo uioletur, sic et debet religiosus professor paupertatis ex uoto pro exigentia sui status seruare sollicite paupertatem. Unde narrat Gregorius iii. Dyalogorum de Ysaac quod offerentibus possessiones dicebat. Monachus qui possessionem in terra querit monachus non est, sic quippe metuebat paupertatis sue securitatem perdere, quomodo diuites auari solent perituras diuitias custodire, hic ergo erat uerus amator paupertatis. De beato uero Francisco qualiter fuit amator sancte paupertatis obseruator et cultor, facta sua mundo manifestauerunt, et in uita sua in parte narratur. Consimiliter de sanctis antiquis, ut patet In uitis patrum ubi supra. Ubi narratur de quodam qui euangelium uendit in pauperum nutrimento, dicens ipsum uerbum uendidi quod iubet omnia uendi et dari. Nec solum exempla paupertatis inueniuntur in sanctis, sed etiam in principibus gentilibus, prout narrat Valerius libro iiii. capitulo iii. loquens de fabritio, qui refutauit aurum et argentum sibi missum et alia preciosa, de quo dicitur ibi quod continentie sue beneficio sine pecunia prediues erat, sine usu familie habunde comitatus, quia locupletem illum faciebat non multa possidere sed modica desiderate. Et ibi de multis talibus principibus, qui refutauerunt diuitias et quasi dedignabantur eas habere. Unde ait Seneca libro de prouidencia: Quod demetrius diuitias proiecit, onus illas bone mentis exestimans. Et ideo sequitur: contemne paupertatem nemo tam pauper quam natus est. Et de eodem ait libro de beata uita: quod eodem die quo interdixit sibi aliquid habere, interdixit aliquid poscere, quasi diceret, nec aliquid habere, nec aliquid petere licet. Consimiliter mira exempla paupertatis fuerunt in philosophis prout narrat Ieronimus Contra iouinianum de Dyogene qui habitabat in dolio et in portis ciuitatum, et manu concaua bibebat nec uoluit habere aliud poculum. Et de hoc in tractatu de uirtutibus philosophorum. Unde et de hoc eodem Valerius ubi supra: Allexander continentiam Dyogenis non potuit uincere, ad quem cum in sole sedentem accessisset, hortareturque ut si quasi sibi prestari uellet, respondit: de cetero inter me et solem michi uelim non obstes, quasi diceret, nichil aliud uolo nisi quod non stes inter me et solem, hoc enim effecit ut nichil sibi eripi posset, ut ait Seneca libro De tranquillitate animi, ubi narrat de quodam qui cum amisisset sua, ait: iubet me fortuna expeditius philosophari. // Si ergo predicti ignari legis diuine et fidei, et absque spe regni eterni, et similiter ignari diuine dignationis, qua uoluit esse pauca propter homines, ut ostenderet eminentiam paupertatis et preciositatem ut dictum est supra, nichil mirum quod fideles ob regnum celorum et ob perfectam imitationem filii Dei uelint esse contemptores diuinarum, et paupertatis sanctissime sectatores.

Capitulum sextum: Qualis debet esse paupertas

Et quia pauperem non facit commendabiliorem paupertas si inter sordes peccata non cauet, prout ait Ieronimus, epistola 95.: Videndum qualis debet esse paupertas religiosorum, et notandum: Quod debet esse recto fine siue intuitu Christi per electa siue assumpta scilicet propter Deum, et ut liberius et expeditius possit homo uacare Deo et diuinis, et agilius luctari cum hostibus cum quibus nudi luctari debemus, prout ait Gregorius Super euangelia libro ii. omelia xii. Propter hoc ait Petrus, Mathei xix.: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. Ubi ait Ieronimus: Quod Socrates philosophus et alii reliquerunt diuitias sed non secuti sunt saluatorem sicut apostoli. Et ideo Augustinus

super Psalmum xlix: Ideo inquit pauper id est omnia temporalia contempsit, ut tu sis tantum spes eius. Item debet esse paupertas affectu amata uel amorosa. Religiosus enim debet amare paupertatem sicut sponsam suam, quia ut ait Crisostomus super matheum omelia ultima: Paupertas est similis pulcre puella, cuius oculus purus et preclarus, mansuetus et tranquillus et delectabilis, ad omnes respiciens nullum habens odio. Ad modum ergo sponsi debet religiosus diligere sponsam id est siam paupertatem. Exemplo beati Francisci, qui eam desponsauit. Unde propheta ait: Elegi abiectus esse magis in domo Dei. Item debet esse hylaritate iocunda et reputatione pacata, quia ut ait Gregorius Super ezechielem libro v. omelia vi. Ille pauper est qui eo quod habet eget. Nam qui non habet et habere non appetit diues est, paupertas quippe inopia mentis est non in quantitate possessionis. Nam qui cum paupertate bene conuenit non est pauper, Prouerbiorum xiii.: Melior est pauper sufficiens sibi. Et Seneca epistola ii.: Honesta res est leta paupertas, et de hoc supra parte ii. ubi de paupertate. Idem debet esse paupertas statui congrua et moderata. Sunt enim aliqui qui fuerunt pauperes in seculo, et intrantes religionem uolunt habere maiores diuitias, et maiores pulentias in omnibus tunc quod prius, // prout dicitur in tractatu de xii. abusionibus in septima abusione, que est habitus preciosus in religione, ubi ait: Quod qui ueteres aut uiles pannos habere consueuerant, in religione iam nouos preciosos habere contendunt, et hec est magna abusio prout ibi sequitur, in quorum persona ait Ieronimus epistola xxxiiii.: Natus in paupere domo, et in tugurio rusticano, qui uix milio et cibario pane scilicet rugientem uentrem satiare poteram, nunc simulam et mella fastidio, noua genera, et nomina piscium calleo saporibus auium. Item debet esse paupertas effectum maceratiua, quia uoluntaria paupertas martirium est, prout ait Bernhardus in sermone de omnibus sanctis. Quid sibi uult quod eadem promissio pauperibus et martiribus sit scilicet regnum celorum Mathei v.: Quod genus martirii est uoluntaria paupertas. Et sequitur: quod martirii genus grauius quod inter epulas esurire, inter uestes multas et preciosas algere, paupertate premi inter diuitias quas offert mundus, ostentat dyabolus, noster desiderat appetitus, utrisque ergo regnum promittitur sed paupertate emitur in passione sancti martirii absque dilatione precipitur. Verus ergo pauper uoluntaria paupertate sic sit pauper, quod sustineat famem, sitim, et inedias, et inopias. Exemplo saluatoris qui ieunauit et esuriit Mathei iii.: Et discipulorum eius qui ceperunt euellere spicas. Et beati Pauli qui in siti et fame in frigore et nuditate seruiuit Deo ii. Corinthios xii.: Ego aut mendicus sum et pauper ait propheta. Econtrario est de multis de quibus Bernhardus, ubi supra: Quod sunt pauperes, qui tali pacto uolunt esse pauperes ut nichil eis deficiat. Item paupertas debet esse scientia uel discretionem regulata, prout ait apostolus, Philippenses iii.: Ubique et in omnibus institutus sum et saturari et esurire, et habundare et penuriam pati. Super quod Gregorius, Super ezechielem omelia vii.: Ars magna hec, scilicet scire saturari et esurire, et mire discipline scientia, que in nobis toto insu cordis est discenda. Et sequitur, quem penuria sua non frangit, a graciaram actione non retrahit, in rerum temporalium desiderio non accendit, ille scilicet scit penuriam pati. Item paupertas debet esse humilitate ordinata, prout ait saluator Mathei v.: Beati pauperes spiritu, qui scilicet sunt ueri humiles secundum Augustinus, primo libro De sermone domini in monte. Humilitas enim est custos paupertatis, ait Gregorius i. Dialogorum capitulo xxii. Sine hac enim paupertas parum prodest, ep quod Dominus odit pauperem superbum, Ecclesiastici xxii. Et ideo summe cauenda est pauperibus arrogantia, prout ait Ieronimus epistola cxx. Plus est animum deposuisse quod cultum, difficilius arrogantia quam auro caremus et gemmis. // His enim

abiectionis interdum gloriosis tumemus sordibus, et uenerabilem paupertatem populari aure offerimus. Ideo Ysaie xlvi.: Ad quem respiciam nisi ad pauperulum et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Religiosi ergo studeant ut sint pauperes modis dictis, quia tales pauperes sunt Deo amabiles, Iacobi i.: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, et tales exaudit Dominus in mundo. Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus, ait Psalmi. Et tales exaltat in iudicio, quia erunt cum eo iudices. Iudicium enim pauperibus tribuit, Iob xxxvi. De quibus ibi bene Gregorius Moralium xxvi.: Et caueant ne sint transgressores sui uoti uel professionis possessione alicuius rei proprie, ne sint damnandi. Unde narrat Ieronimus epistola lxxxiiii. de quodam religioso proprietario. Quidam inquit de fratribus parcior magis quam auarior, centum solidos quos lina texendo acquisierat moriens dereliquit, habitum est inter fratres monachos consilium, habitabant enim ibi circiter quinque milia in diuersis cellulis quid facto opus esset, alii pauperibus distribuendos esse dicebant, alii dandos ecclesie, nonnulli parentibus remittendos. Macharius uero et Pathomius et Ysidorus quos patres uocant, sancto in eis loquente spiritu inuodiendos decreuerunt, cum eodem dicendo, pecunia tua sit tecum in perditionem, sicut fuit dictum Symoni Actuum viii. Et merito, quia tales mentiuntur spiritui sancto et sunt fures et latrones usurpando sibi quod non est suum, et transgressores uoti sunt et peruersi. Ideo dixit beatus Petrus Ananye. Cur temptauit Sathanas cor tuum mentiri, scilicet spiritui sancto, et fraudare de precio agri, Actuum v. Similiter de quodam monacho qui habuit tres aureos absconditos, narrat Gregorius iiii. Dyalogorum ante finem ubi dicitur: Quod sanctus Gregorius prohibuit ne fratres accederent in morte ad eum, et quod non sepeliretur cum fratribus, et quod proiicerent illos aureos super illum, dicentes, pecunia tua tecum sit in perditionem. Diuinus ergo predicator suadeat religiosi, ut sint pauperes dictis modis, et dissuadeat contrarium.

Distinctio tertia [sexte partis]

Capitulum primum: De castitate religiosorum ad quam se obligant. Quid sit castitas

Sicut autem religiosi debent esse pauperes spiritu in abdicatione temporalium ut dictum est, ita debent esse casti cohibitione libidinum interiorum et exteriorum, et refrenatione, uolent enim omnimodam et perfectam castitatem. Qualis autem debet esse eorum castitas, patet supra parte tertia ubi de mulierum pudicitia, et parte quarti ubi de clericorum castitate. Si enim fideles mulieres debent esse pudice, et si ecclesiastici debent esse perfecte casti, multo magis religiosi qui se consecrauerunt Deo suo perpetuo. Ipsi enim ueri sunt eunuchi inclusi in templo Dei ad ipsum Deum laudandum, Ysaie lvi. hec dicit Dominus eunuchis. Dabo uobis in domo mea et in muris meis melius nomen a filiis et filiabus. Ad literam enim sunt inclusi in muris monasteriorum, ipsi enim sunt qui se castrauerunt propter regnum celorum, Mathei xix. Est autem castitas cohibitio uel conseruatio amorum et appetituum ab inordinata amatione et appetitione, ait commentator super illud angelice Ierarchie capitulo iii. Castis intellectus oculus. Vel castitas est summus amor omnimode puritatis, incorruptionis et integritatis, ait ibidem capitulo vii. Ille enim castus est qui Deum attendit et ad ipsum solum se tenet, ait Augustinus De beata uita. Item castitas est amor animi ordinatus, non subdens maiora minoribus, ait Augustinus De mendacio. His omnibus modis debet esse uir religiosus castus, cui competit illud i. Thimotheum v.: Te ipsum castum custodi, ut sit scilicet omni

libidinum exteriorum pertinentium ad quinque sensus cohibitio et castigatio, necnon et omnium libidinum interiorum siue in cogitatione uel meditatione siue in affectione uel appetitione, tales significantur per quinque uirgines prudentes. Et cuilibet eorum competit illud Iob xxxi.: *Pepigi fedus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de uirgine ibi* Gregorius *Moralium xxi.: Ut munda mens sit in cogitatione a lasciua uoluptatis sue, deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam. Et ibi bene de cohibitione sensuum interiorum et exteriorum.*

Capitulum secundum: Que sunt necessaria uel expedienda ad custodiam castitatis

Ut autem possit seruati castitatis illesa et perfecta, debet esse superfluum alimentorum et ociorum subtractio, et omnis occasionis expulsio, et omnis carnalis amoris abdicatio, et carnis maceratio, quia sine continentibus suis scilicet temperantia et ieiunio cito lacescit, ut ait Crisostomus super Psalmum quinquagesimum. Et de hoc Ieronimus bene epistola lxxxiiii, ubi ait apostolus: *Macerat corpus suum et anime subiicit imperio, i. Corinthios ix.: Castigo corpus meum, et adolescentula seruente cibis corpore, de castitate secura est, quasi diceret non. Et sequitur: alia peccata extrinsecus sunt scilicet auaricia, et alia sola libido insita est. Grandis ergo uirtutis est et sollicitudine diligentie, superare quod natus sis in carne non carnaliter uiuere, tecum pugnare quotidie, et inclusum hostem argi, ut fabule ferunt centum oculis obseruare. Et superaddit id quod ait comitus, sine cerere et libero alleo et uino friget uenus. Et post, quicquid seminarium uoluptatis est uenenum, puta parcus cibus et uenter semper esuriens, triduanis ieiuniis presertur, nichil sic inflammat corpora et titillat membra genitalia sicut indigestus cibus, uictusque conuulsus, et ibi bene de hoc. Ideo apostolus Ephesios iii.: Nolite inebriari uino, in quo est luxuria. Debent enim religiosi sic mortificati esse et quasi non sentiant, saltem cum delectatione predictos fedos motus, sicut fuit de Xenocrate philosopho, ut narrat Valerius libro iii. capitulo iii.: Qui non sensit mulierem que iuxta eum accubuit, et sponderat eum allicere, et aliis irridentibus, quod non poterat flectere animum suum illecebris, respondit, peractum uictorie non de statua sed de homine fuisse, posuerat enim quasi pignus contra alios quod eum flecteret, qui quia fuit in se insensibilis ad talia id est non sentiens uel appetens, uocauit eum statuam. Religiosis enim competit illud Romanorum viii.: Non estis in carne sed in spiritu. Item ut sint perfecte casti, debet esse omnis occasionis exclusio, sicut est mulierum familiaritas, et frequens collocutio, incautus aspectus, prolixi confessus. Unde debent cauere a cohabitatione cum mulieribus, prout dictum est de ecclesiasticis supra parte quarta. Unde In uitis patrum libro i. parte quarta, ait mulier sancta ad monachum, qui de uia declinauit quando uidit moniales. Si esses inquit perfectus monachus non ita respexisses nos ut cognosceres nos esse mulieres. Et parte secunda de Arsenio abbate, qui respondit mulieri petenti ut haberet memoriam eius scilicet in oratione: Rogo inquit Deum ut auferat memoriam tuam de corde meo. Et similiter parte quarta de muliere sancta in monasterio egrotante, que non sustinuit ut eam frater suus uisitaret, // ne propter ipsam ueniret in memoriam feminarum, sed ei mandauit, uade frater ora pro me quia cum gratia Christi uidebo te in regno celorum. Et similiter parte decimaquarta de illo qui noluit matrem uidere, neque eam accedere nisi oculis clausis. Summe enim sancti patres euitauerunt colloquia et consortia mulierum, cum tamen essent abstinentia multimoda exhausti et penitentiis ac laboribus et ieiuniis macerati, orationibus et uigiliis supra se eleuati, unde narrat Augustinus libro De cura pro*

mortuis agenda, de Iohanne nobili monacho, qui habuit spiritum prophetie, cum enim eum impatienter cuperet uidere quedam religiosa mulier, et per maritum suum instaret, et ille nollet, quoniam illud nunquam permiserat feminis, dixit marito: dic uxori uidebit me nocte proxima, sed in somnis, sicque factum est, monuit quod eam quicquid fidelem coniugatam moneri oportebat, que cum euigilasset de scripsit eum marito suo propter hoc dicebat abbas discipulo, eamus illic ubi non est mulier, ut dicitur In uitis patrum parte prima. Nouerat enim quod demones iugiter laborant ad temptandum religiosos, ut assequantur uictoriam de perfectis ab eis deuictis ut narratur In uitis patrum ubi supra parte quinta. De filio sacerdotis ydolorum qui uidit Sathanam et militiam eius sibi assistentem, et cum quereret a quolibet quid fecerat, et unus diceret, suscitauit bella per xxx. dies, quem iussit dyabolus flagellari, et alius diceret, submersi naues in mari per xx. dies, quem iussit similiter flagellari. Et alius diceret: feci lites in ciuitate et etiam sponsum quendam occidi in nuptiis, et hunc similiter iussit flagellari, et alius surrexit qui dixit se fuisse in heremo per xl. annos et impugnauerat monachum quem uix illa nocte fecerat fornicari quod audiens princeps ille, surrexit et osculatus est eum, et tollens coronam suam posuit in capite eius, fecitque eum sedere secum in una sede dicens, magnam reum fecisti, quod ille uidens intra semetipsum dixit: magnus est ordo monachorum, et egressus factus est monachus. A consorciis ergo mulierum cauerant religiosi, ut sint uere casti. Item ut sint uere casti religiosi, debet esse omnis carnalis amoris abdicatio, ut ait Hieronimus epistola dicta. Carnalis amor spiritus amore superatur desiderium desiderio restringitur. Eleuatio ergo ad Deum et ad celestia necessaria est, quia ex degustatione diuine dulcedinis, refrigescit amor carnalis Gustato enim spiritu, desipit omnis caro, et econuerso, cum delectatio carnis // abscinditur, mox alia delectatio inuenitur, ut ait Gregorius Moraliu xxx. Castitas est pulcritudo anime, siue filie regis abintus, ait Augustinus Contra faustum capitulo xv. Sapientie viii.: O quam pulchra est casta generatio cum claritate. Qualis autem dedet esse castitas, habitum est supra parte iiiii. de castitate ecclesiasticorum.

Distinctio quarta [sexte partis]

Capitulum primum: De obedientia ad quam se obligant religiosi. Quid sit obedientia

Et non solum uiri religiosi uouent predicta, sed etiam uoluntariam obedientiam, que est uoluntatis proprie subiectio, ait Damascenus libro iiiii. capitulo xiiii. Melior enim est obedientia quam uictima prima, Romanorum xv. super quod Gregorius Moraliu ultimo: Ideo melior est, quia scilicet per uictimas aliena caro sed per obedientiam uoluntas propria mactatur, et ibi multum de obedientia, cuius eminentiam ostendit filius Dei, qui non uenit facere uoluntatem suam, sed uoluntatem patris, Iohannes vi. Item ostendit in adimplendo ipsam perfectionem et per seuerantiam, quando factus est obediens usque ad mortem, Philippenses ii., unde Bernhardus ad senonem Christus dedit uitam, ne perderet obedientiam.

Capitulum secundum: Qualis debet esse obedientia et de gradibus eius

Qualis autem esse debet obedientia, et de gradibus eius describit Bernhardus sufficienter. De obedientia in sermon, qui incipit egredere de terra tua, ait Dominus ad Abraham,

Genesis xx. et post xxii. Tolle filium tuum, permisit enim obedientiam Abrahe in exemplum. Primus autem gradus obedientie est libenter obedire, donec mactata uoluntate propria diligent uoluntatem prelatorum. Secundus gradus est simpliciter obedire, sine questionibus, sine murmurationibus et excusationibus, in auditu inquit auris obediuit mihi. Tercius gradus est hylariter obedire. Hylarem enim datorem diligit Deus, serenitas in uultu, dulcedo in sermone multum decorant obedientiam secundum illud poete. Super omnia uultus accessere boni . Exemplum de Daudid saltante ante archam secundi, Regum vi. Quartus gradus est uelociter obedire, uiam inquit mandatorum tuorum cucuiri cum dilatasti cor meum, fidelis enim obediens moram nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem, precipientem preuenit, oculos parat uisui, aures auditui, linguam uoci, pedes itineri, et totum se colligit, ut imperantis impleat uoluntatem. // Exemplum de Zacheo cui dixit Dominus: Zachee festinans descende luce xix. Quintus gradus est uiriliter adimplere, secundum illud: Viriliter agite et confortetur cor uestrum, et si tribulatio intonat, si persecutio insultat, si peccatores laqueum ponunt, si maligni spiritus iter impediunt, dicat scilicet obediens, paratus sum et non sum turbatus. Sextus gradus est humiliter obedire. Cum inquit esses paruulus in oculis tuis, factus es caput i. Regum xv. Septimus gradus est obedire perseueranter, qui enim perseuerauerit usque in finem saluus erit Mathei x. et hoc in aduersis, scilicet cum est grauis ad audiendum grauior ad implendum ad tenendum grauissima. Et idem Bernhardus in sermone quodam de aduentu: Obedientia est quintipartita. Prima est cum est rectum opus, quia non est obediendum contra Deum. Secunda cum est opus uoluntarium, quia que est ex necessitate non est bona. Tercia cum est opus purum, ut scilicet sit intentio pura, si enim oculus simplex fuerit totum corpus lucidum erit Mathei vi. Quara est cum opus est discretum ne quid nimis. Quinta cum est firmum id est perseuerans, ut autem perseuerantiam habeat murus obedientie, debet habere propugnacula potentie. Et idem in meditationibus suis, ubi ait: Quod bonus obediens dat suum uelle et suum nolle, dicens cum propheta. Paratum cor meum Deus paratum cor meum.

Capitulum tercium: Qualia debent esse opera obedientie

Ex predictis patet obedientie excellentia, quia in ea uoluntas propria mactatur propter Deum, prout ait Gregorius ubi supra. Melior enim est qui dominatur animo suo expugnatore urbium, Prouerbiorum xvi. Super quod Gregorius ii. Pastoralis capitulo xi.: Quia in primo scilicet ammus a se super atur, in alio que sunt extra subiugantur. Et ex hoc patet obediencie difficultas. Nichil est enim homini angustias quam proprias frangere uoluntates, ait Gregorius Moralium xxxii. Et i. Petri ii.: Castificantes uel castigantes ammas uestras in obedientia caritatis. Item ex his patet hominis per obedientiam triumphalis uictoriositas, quia per obedientiam uincit homo seipsum, et uoluntatem suam liberam captiuat, et subiicit alterius uoluntati. Vir enim obediens loquetur uictorias, Prouerbiorum xxi. Merito enim obedientia est laudanda. Ipsa enim est uirtus et mater et quodammodo custos uirtutum, ait Augustinus De ciuitate dei libro xviii capitulo xx. Et de hac In uitis patrum libro ii. parte xviii. ubi dicitur: Quod obedientia est salus omnium fidelium, genitrix omnium // uirtutum, celos aperiens, homines de terra eleuans, cohabitatrix angelorum, cibus omnium sanctorum.

Capitulum quartum: De exemplis obedientie in antiquis

Qualis autem fuit obedientia antiquorum ibidem narrat: Exemplo de illo qui rigauit lignum aridum per tres annos ad imperium abbatis, quod protulit fructum qui fuit uocatus fructus obedientie. Et de illo qui ligauit leenam ad imperium abbatis. Et de illo qui proiecit filium in fluuium, et de aliis multis. Et de illo qui dimisit unam partem litere scilicet o non scriptam, cum esset uocatus ab abbate. Ex parte xv.: de illo qui dimisit cultellum in piste incisso cum esset uocatus ab abbate et cetera. Similiter narrat Seuerus in suo dyalogo de mira obedientia antiquorum religiosorum, sicut de obedientia illius cui precepit abbas rigare uirgam aridam, qui per duo miliaria propriis humeris apportauit aquam, donec tercio anno floruit. Similiter narrat de obedientia illius qui promisit omnem obedientiam abbati, et quod in ignem ire non recusaret si abbas imperaret, cui cum abbas iussit intrare clibanum, non distulit et flamma cessit ei ut pueris Hebreys, precipue enim fuit apud eos uirtus obedientie ut dicitur ibi. Similiter Iohanes Cassianus libro i. Collationem omnem exemplificat de obedientia antiquorum, sicut de illo qui rigauit lignum aridum portando aquam per duo miliaria, a quo quesiuit senex si miserat radices, qui respondit se nescire, et euulsit senex legnum quod rigauerat alius per annum, et proiecit. Similiter exemplificat de alio, qui ad imperium senis proiecit lenticulam olei per fenestram que sola in heremo erat, non considerans precepti ineptitudinem. Similiter ponit exemplum de alio qui ad imperium senis saxum euoluere tot nisu contendebat, quod multe turbe hominum mouere non possent. Similiter exemplificat de fratre nobili, cui dixit senex se ut decem sportas per plateas deferret humeris ad uendendum, et ut diutius in hoc officio teneretur, non simul uni omnes sed sigillatim uenderet, quod ille deuote impleuit. Similiter de discipulo beati Benedicti qui cucurrit super aquam, nec sciuit esse aquam, quod sanctus uir Benedictus non suis meritis, sed obedientie discipuli scilicet Mauri deputauit, prout narratur ii. Dyalogorum capitulo vii. Ex dictis ergo patet, quod talis erat obedientia antiquorum, qualem describit Bernhardus, ubi supra: scilicet uoluntaria prompta et sic de aliis. Unde et seniores loquebantur fratribus distorta, ut uiderent an esset in omnibus obedientes, sicut fecit quidam dicens fratri ut comederet sexta feria mane, prout narratur In uitis patrum parte decima, // et super omnia precauebant antiqui a propria uoluntate, prout dicitur In uitis patrum supra, quod dixit senex: quod non pugnant demones nobiscum multum, quando facimus nostras proprias uoluntates, quia propter proprias uoluntates ipsi demones facti sunt, propria enim uoluntas est murus eneus inter Deum et hominem quam si homo reliquerit, poterit dicere, in Deo meo transgrediam murum, ut dicitur ibidem: Et ideo alius frater dixit, mea tristitia est si propriam fecero uoluntatem ut dicitur In uitis patrum parte xiii. Et non solum religiosi antiqui fuerunt obedientes suis superioribus, sed milites gentiles suis principibus, ut patet superius parte prima ubi de disciplina militari. Et Valerius libro secundo ubi narrat qualiter milites erant obedientes suis principibus, et in disciplina suscipienda pro arbitrio eorum et in stando in acie pro dispositione, ubi narrat de quodam qui edixit quod si quis fugiens castra petisset, pro hoste interficeretur, qua seueritate milites compressi hostes uicerunt, ubi de consimilibus.

Capitulum quintum: De imperfecte obedientibus

Econtrario est de multis etiam religiosis, qui malunt habere superiores qui faciant illorum uoluntates quam econtra, prout narratur In uitis patrum parte decima de quodam abbate

respondente cuidam, qui ad eum uenit, dicens, uellem habere abbatem iuxta uoluntatem meam et mori cum eo cui respondit Abbas: tu queris abbatem non ut sequaris eius uoluntatem sed ut ille sequatur tuam. Quod ille audiens ait, ignosce mihi pater quia gloriabar estimans me dicere bene, cum nihil dicerem uel tenerem. Et hi sunt similes illi ceco, cui dixit Dominus, quid uis ut faciam tibi, Mathei viii. Super quod ait Bernhardus in sermone: quod tales sunt multi a quibus magis oportet ut superior querat quid uolunt quod fiat eis quam econuerso. Ne aliqui decipiantur in hac parte estimantes indifferentia esse uel leuia, que dicuntur a superioribus, non tamen eis necessario obediendum. Audiant illi Bernhardum libro de preceptis et dispensatione in regula scilicet sancti Benedicti, dicitur obedientia que maioribus debetur Deo exhibetur, quamobrem quicquid uice Dei precipit homo quod non sit certum Deo displicere secus // non est accipiendum quam si Deus precipiat. Quid interest utrum Deus per se an suos ministros siue homines siue angelos hominibus innotescat suum beneplacitum. Nec dicatur, quod loquitur de his que tradit scriptura, uel ratio manifestat, quia de his non est preceptor expectandus uel prohibitor auscultandus, sed quod illa latere uel obscurum esse cognoscit, ut in dubium uenire possit utrum Deus sit an alter forte uelit, hec ille. In talibus ergo obediendum est, quando precipiuntur a superiore propter quod cauenda est inobedientia in talibus. Sunt enim tres gradus, ait Anselmus capitulo xxiiii. scilicet obedientia et inobedientia que sunt contraria, et licentia que est quasi media, que quidem multos decipit, prout ait ibidem, ponens exemplum de ancillis que sunt sub domina sua, et de latrona inter eas que procurat exire, fingendo causas multiplices, et nisi potuerit obtinere licentiam intermittit opus, pretendit quod sit infirma, contristatur, occulte detrahit et sic de aliis.

Capitulum sextum: De periculo inobedientie

Ab inobedientia uero est cauendum religioso, sicut a damnatione, quia contra conditorem superbire est eius mandata transcendere, ait Gregorius Moralium xxiii. Et qui subesse fastidit imitatur dyabolum, Idem Moralium xxviii. Adam enim quia uoluit uti uel uiuere consilio suo, lapsus est, per eum qui ante eum ceciderat per superbiam, qui propinauit ei calicem superbie, ait Augustinus super Iohannis, omelia xxv. Quomodo autem propria uoluntas est quedam adultera coniuncta dyabolo ex qua nascuntur uicia, et quomodo est similis herbe uenenose que comedentes efficit leprosos, ait Anselmus de similitudinibus post principium bene, que quidem inobedientia grauiter puniebatur etiam ab antiquis principibus in militibus, prout narrat Augustinus De ciuitate dei capitulo xviii. De illo qui occidit filium quia pugnauit contra imperium suum, licet uicisset. Et consimile primo De ciuitate dei capitulo xxii. Et idem Egisippus libro iii.: predicator ergo diuinus alloquens religiosos, hortetur ad predictas uirtutes dehortando contraria.

Distinctio quinta [sexte partis]

Capitulum primum: De septem necessariis religiosis, ut perfecte uiuant in predictis de elongatione a tumultibus //

Et licet sint multe alie uirtutes necessarie religiosis ut sint perfecti, tamen ad presens causa breuitatis sunt eis septem necessaria. Primum est a negotiationibus secularibus et tumultibus mundanis elongatio, et in claustris quietas habitatio, nisi quantum cogit iusta

necessitas uel urget pia utilitas, prout hortatur Ieronimus epistola lxxii.: Quid desideramus inquit urbium frequentiam, qui de singularitate censemur michi inquit opidum carcer est, solitudo paradus. Et idem epistola xxxiii.: Coheremus familiaris Deo gaudentes quid agis frater in seculo qui maior es mundo. Idem epistola xxv. ubi ait: Conuiuia tibi sunt uitanda secularium, maxime eorum qui honoribus tument. Idem epistola 83.: Monachum se non esse loquendo et discurrendum sed tacendo et sedendo nouerit, legat Ieremiam dicentem: Sedebit solitarius et tacebit, Trenis iii. Et de hoc multa Ieronimus in predictis epistolis. Et in tractatu De duodecim abusionibus: Quod abusio quinta est monachus curialis scilicet frequentans curias. Sexta abusio monachus causidicus. Et ibi multum de hoc et de periculis religiosorum uagantium per mundum.

Capitulum secundum: De omnimoda suiipsorum abnegatione

Secundum eis necessarium est omnimoda suiipsorum abnegatio, et plenaria transmutatio in alios uiros, adimplendum illud saluatoris, Mathei xv.: Qui uult uenire post me abneget semetipsum et cetera. Super quod Gregorius libro ii. Super euangelia omelia xxii.: Quod tunc nosmetipsos abnegamus, cum uitamus quod per uetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quod per nouitatem uocamur. Et sequitur: nisi a semetipso quis deficiat, ad eum qui supra ipsum est non appropinquat. Et ponit exemplum de plantis olerum, que transferuntur ut proficiant, eradicantur ut crescant, et de seminibus que in terra deficiunt ut uberius surgant. Et idem super Ezechielem libro i. omelia x.: Semetipsum abnegat, qui mutatus ad meliora incipit esse quod non erat et desinit esse quod erat, i. Corinthios v.: Si qua in Christo noua creatura et cetera. Nec solum debet esse religiosus mutatus quantum ad reatum culpe, eo modo quo loquitur Gregorius omelia predicta: Quod si luxuriosus conuersus est ad uite continentiam se mutauit, quia illa mutatio est necessaria omni penitenti, uerte inquit impios et non erunt et cetera, Prouerbiorum xii. Sed debet esse mutatus // quantum ad concupiscentie appetitum siue motum, prout est possibile in hac uita corruptibili, ut possit dicere cum apostolo: Viuo ego iam non ego, Galatas ii. Sic enim debet esse mutatus, ut superbia ira impatientia et horum uiciorum concupiscentie sint ni eo quasi extincte, ut scilicet ad motus talium uiciorum sit quasi immobilis, non solum exemplis sanctorum qui se sic abnegauerunt et mutauerunt in alios uiros omnino, sed exemplis philosophorum ut patet supra de illo philosopho quem scortum uocauit statuam. Et similiter de Dyogene, de quo dicitur in collationibus patrum: Quod cum quidam intuens eum diceret ei, oculi corruptoris in quem cum discipuli uellent irruere, respondit: quiescite, o sodales, etenim sum talis sed contineo me. Et de Demostene dicitur in Pollicrato libro xviii. capitulo vii.: Quod preliatus est cum rerum natura, et uictor abiit, malignitatem eius pertinacissimo animi robore superando, ita quod alterum demostenem natura, alterum industria est enixa et nisi sic mutateurit se religiosus, nec erit ei plena pax in seipso Seneca epistola xxvii.: Animum debes mutare non telum, ait poeta, aliter sequentur te quocumque perueneris uicia. Ideo Socrates cuidam querenti quare non prodessent ei peregrinationes. Respondit: quid miraris tibi non prodesse peregrinationes cum te circumferas tecum, te enim premit eadem causa que expulit, quid enim terrarum nouitas prodesse potest ideo fuga te non iuuat, tecum enim fugit onus animi deponendum, non autem tibi ullus placebit locus, uadas huc et illuc, ut pondus excutias quod iactatione fit incomodius uel incomodosius. Et ponit exemplum bonum, in naui onera immota minus urgent inequaliter conuoluta aliter partem inquam decumbunt immergunt, similiter egrum

concutis. Studium ergo religiosi debet esse ad se mutandum modo dicto, et ad uicia animi extirpanda quod multi non faciunt prout ait Gregorius omelia dicta: Vidimus inquit quosdam habitum non animum mutasse, ita ut religiosam uestem sumerent, sed ante acta uicia non calcarent, ire stimulis feraliter agitari, malicie dolore in proximi lesione seruescere de ostensis bonis superbire, presentis mundi lucra inhyanter querere, de solo exterius habitu sanctitatis fiduciam habere.

Capitulum tertium: De cultura cordis siue interiori exercitatione

Item debet esse religiosi spiritualis cultura a cordis, quasi orti uel agri exercitatio, et quia hostis seminat zizaniam suggestionum, et abintus pullulant seminaria uiciorum, et quasi staturizant ebullientes libidines concupiscentiarum, et ideo nisi cor excolatur quasi ortus spiritualis surgunt peccata et opprimuntur bona que fiunt, Prouerbiorum xxviii. Per agrum hominis pigri transiui, et sequitur: et ecce totum repleuerant urtice et cetera, scilicet ardores libidinum, et spine id est punctiones cupiditatum, et materia dissipata id est custodes disciplinarum. Ad modum ergo industrii agricole debet religiosus animam suam excolere, extirpando uicia et inserendo uirtutes propter hoc dicitur ibidem diligenter exerce agrum tuum, et hoc non solum exemplo sanctorum patrum, sed etiam philosophorum, prout ait Appuleus libro De deo socratis. Nihil eque miror quam cum omnes cupiant optime uiuere, et sciant non alia re uiuere quam animo, nec fieri posse, quin ut optime uiuas animus colendus sit, tamen homines animum suum non colunt. Et ponit exempla, si quis uelit cernere, oculi curnadi sunt, si pugnare uelis, brachia sunt tegenda, quibus pugnatur, et sic de aliis membris. Cur ergo homines animum suum ratione non excolant, que ratio uiuendi omnibus necessaria est, ubi prosequitur: quod non sit animus bonus, nec per bona exteriora, nec per bona corporis sed bonis artibus doctus, et optime eruditus, in quantum homo sapiens, et bene consultus, hec inquit omnia mens habuit Socratis, et ideo cetera habere contempsit, loquitur enim ut philosophus. Si enim cura est hominibus de agro excolendo, siue de equo suo mundando, et bene ornando, multo magis debet esse de anima unde Agellius libro ii. Si quis agrum suum passus fuerit sordescere eumque indiligenter curauerit, ac neque arauerit neque purgauerit, siue quis arborem seu uineam habuerit derelictam, id non sine pena fieret uel fieri potest. Item si quis equitans, equum haberet macilentum, aut parum nitidum in pollicie notabitur id est in crure hec ille. Religiosus ergo excolat cur suum ut ipse sit arbor, et faciat fructus suos bonos, Mathei vii. Ut enim ait Augustinus De uerbis domini sermone xii.: Quid prodest archa plena bonis, et inanis est conscientia, bonus uis haberi, et bonus esse non uis, erubescere de bonis tuis debes, si domus plena bonis, et te malum Dominum habet. Et concludit ibidem: quod bona exteriora si possent clamare contra Dominum suum interpellarent ante Deum. Ecce quanta // bona dedisti huic, et ipse malus est Abacuc ii., lapis de pariete clamabit. Ideo ibidem Augustinus ait: Quid ei prodest quod habet, quando eum qui omnia dedit non habet. Quid prodest stulto habere diuicias, cum sapientiam emere non possit, Ecclesiasticus v. Studium ergo continuum religiosi sit, cor suum excolere modo dicto ad ipsum cor redeundo et intime inspiciendo.

Capitulum quartum: De interiori scrutinio

Quartum quod est necessarium religiosis, est sui ipsius subtile perscrutinium intimum et interna discussio, ac uera cognitio, uicia enim se simulant esse uirtutes ut sepe, prout ait Gregorius *Moralium xxxii.*, ponens exemplum: quod dissoluta remissio, quasi mansuetudo et pietas uidetur, effusio misericordia creditur, malorum pertinacia constantia dicitur. Timor incompetens uel ineptus humilitas creditur, uocis superbia uiri libertas estimatur, et pigricia quasi continentia quietis attenditur, et inquietudo uigilantia nominatur, et sic de aliis, prout ibi enumerat. Et ideo debet religiosus redire ad cor suum, et reuocare meditationes affectiones actiones et omnes circumstantias, quasi ad capitulum, *Iob xxxiiii.* Non est in potestate hominis, ut ueniat ad iudicium, ubi Gregorius *Moralium xxv.* Qualiter se debet iudicare homo interius et scrutari, ubi ait quod ibi conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat quasi idem dicit Augustinus, de penitentia: constituto in corde iudicio assit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis anime confitentis, per lacrimas profluit. Et ideo dicitur se sanctis animabus. Quod corpora eorum plena erant oculis propter predictum scrutinium, prout exponit illud quod Gregorius *Super ezechielem omelia vii. et xxii.* Ubi exponit illud quod ait Dominus sanato, uade in domum tuam. Et de hoc sufficienter Hugo *De claustrum anime spiritualis*, sicut inquit conuentus ut errata corrigat statuta hora ad capitulum confluit, sic mentis ratio cogitationes diuersas ad secreta animi et cordis reuocat, ut in corrigibiles eiiciat, corrigat inquietas, negligentes emendat, et in hoc capitulo, abbatis locum ration possidet *Ysaie xliii.*: Reducemur ad memoriam ut iudicemur simul. Et *xlvi.*: preuaricatores redite ad cor. Et prima *Corinthios xi.*: Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudi. Et *Prouerbiorum xii.*: Cogitationes iustorum iudicia. Et econtrario, de nolentibus se iudicare uel scrutari modo // dicto *Ysaie lix.*: Non est iudicium ingressibus eorum. Et ad hoc iudicium discrucendum debet homo redire ad cor ut dictum est, *Ecclesiastici xxxii.* precurre prior in domum tuam, et illuc aduocare, et illic lude *Ezechielis xl.* Labia eorum relaxa uel reflexa intrinsecus per circuitum, loquitur de labiis mensarum, ubi Gregorius libro ii. *omelia ix.* Qualiter quisque debet redire ad seipsum, et reflectere labium, recogitando sua dicta et facta. Quod debet religiosus facere, non solum exemplo sanctorum, sed etiam philosophorum quia ut ait Seneca libro tercio *De ira*: animus quotidie ad rationem reddendam uocandus est, faciebat inquit hoc esitius, et consumato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quod hodie malum tuum sanasti, cui uicio obstitisti, qua parte melior es. Desinet ira et moderatior eris cum scies te ad iudicium quottidie esse ueniendum, hanc discussionem impedit occupatio et euagatio ad exteriora prout ait Gregorius *Super ezechielem libro primo omelia xi.* Dicens quod sicut concussa aqua ymaginem perspicientis non reddit, sed solum cum est quieta, sic est de anima que non deprehendit se, cum esset nimis inquieta.

Capitulum quintum: De sui ipsorum uera cognitione

Consequenter debet esse in religiosis proprie cognitionis studiosa inquisitio, et sui ipsorum luculenta discussio. Recognitio enim inuenitur per precedentem et subtilem discussionem secunda *Corinthios*, ultimo ipsi uos probate an cognoscatis uosmetipsos hec enim cognitio debet esse quasi primaria, post cognitionem Dei in homine propter quod orabat Augustinus. Nouerim te, nouerim me, ut dicitur in principio soliloquiorum de qua cognitione, Bernhardus *Super cantica omelia xxxvi.*, uolo proinde animam primo omnium scire seipsam, quod postulat ratio orinis. Quoniam quod nos sumus primum

nobis est, et ratio utilitatis, quoniam talis scientia non inflat sed humiliat. Et est quedam preparatio ad edificandum. Et ibi beati de hoc, hec enim est philosophia religiosi seipsum cognoscere. Ut enim ait Ysaac de diffinitionibus: philosophia est cognitio sui ipsius ab homine. Unde et apud gentiles, in fronte templi fuit scriptum ex sententia delphici oraculi id est Appollonis, fertur hec uox consulenti ad beatitudinem, quo itinere perueniret, si te inquit agnoueris prout ait Macrobius libro primo, hoc enim oraculum est Appollinis et descendisse de celo creditur. Notiselicon uel gnotosoliton id est scito teipsum, dicitur in Pollicrato libro iii. capitulo ii. cui concordat iuuenalis dicens // de celo descendit gnotosoliton uel notiselicon. Ad hanc ergo cognitionem habendam de seipso studere debet religiosus, quia talis scientia non inflat, ut dictum est supra. A Bernhardus, ubi ait: superbiam parit ignorantia tui, cum meliorem quam sis deceptus et deceptrix tua cognitio te esse mentitur. Et Augustinus iiii. De trinitate capitulo primo: scientiam celestium et terrestrium rerum, magnam estimare solet genus humanum. In quo profecto meliores sunt qui huic scientie preponunt noscere seipsos. Laudabilior est animus cui nota esse perhibetur infirmitas quam qui ea non respecta, uias siderum scrutatur, etiam cognosciturus eas. Stulte ergo agunt laborantes ad habendam cognitionem rerum exteriorum, omissio studio acquirendi scientiam sui ipsorum uel cognitione quam non potest quis habere, nisi ad se redeat, quid ait Gregorius Moraliu xxxi. Cognoscere se non potest anima, que tota apud se non est, nisi etiam diuine luci appropinquet, Moraliu xxviii., lucem debet aspicere qui uult de tenebris iudicare. Ideo Abraham loquens cum Domino, cognouit suam fragilitatem, Genesis xviii., loquar inquit ad Dominum, cum sim puluis et cinis.

Capitulum sextum: De uera humilitate, et qualis debet esse

Ex hac cognitione oritur uera humiliatio, que est necessaria religiosi secundum Bernhardus supra. Et Gregorius xxiii. Moraliu: uera scientia afficit non extollit, nec superbientes quos repleuerit sed lamentantes facit. Qui enim addit scientiam addit et dolorem, Ecclesiastici primo. Unde humilitas est uirtus qua uerissima sui cognitione, sibipsi quisque uilescit ait Bernhardus De gradibus humilitatis siue humilitas est contemptus excellentie ait ibidem: bona enim uia humilitatis, qua uertas inquiritur caritas acquiritur sapientie generationes participantur, prout ait ibidem post, et ibi sufficienter, qualis debet esse humilitas, et quam necessaria est. De qua Anselmus de similitudinibus, xxxvii capitulo: Ubi enumerat septem gradus eius. Quorum primus est cognitio sui. Secundus dolor pro peccatis. Tercius peccati sui ac defectus confessio. Quartus uoluntaria persuasio scilicet quod est peccator. Quintus confessio quod sit contemptibilis. Sextus patientia in suscipiendo iniuriam. Septimus amor quo amat se humiliari siue contemni. Illa enim que habet hos gradus, est uera humilitas, prout narrat Gregorius libro primo Dyalogorum capitulo xv.: De constantii humilitate, quod cum quidam audiens famam eius uenisset ut uideret eum, aspiciens eius // personam contemptibilem, ait ego grandem hominem credidi, iste nichil habet de homine, quod ille audiens egit ei gratias dicens tu solus es qui in me apertos oculos habuisti, quante ergo humilitatis fuit ait Gregorius: qui despicientem se amplius amauit, qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic humiles sua despectione gratulantur. Multi enim estimant se habere ueram humilitatem, qui non habent nisi umbram. Unde Ieronimus epistola xxiiii.: precipue fictam humilitatem fugiens illam sectare que uera est quam

Christus docuit. Et sequitur: multi huius uirtutis umbram sed ueritatem eius pauci sequuntur. Et post auferantur omnia figmenta uerborum cessent simulati gestus uirum humilem paciencia ostendit iuiurie. Vera enim humilitas est estimare se nichil esse, ait Augustinus Super Iohannem omelia prima. Et idem de uera innocentia: humilitas uera est in nullo superbire in nullo murmurare in nullo ingratum esse uel querulum, sed in omnibus Dei iuditiis gratias agere. Et de hoc Augustinus, bene epistola xxxviii: quod non est alia uia ad capescendam et obtinendam ueritatem quam scilicet humilitas et quotiens interrogarer dicerem, quia hec uia scilicet humilitas. Non quod non sint alia precepta, sed nisi humilitas omnia quecumque bene fecerimus et precesserit et concomitata fuerit et consecuta et proposita, quam intueamur, et apposita cui inhereamus, et imposita qua reprimamur, iam nobis de aliquo benefacto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Et sequitur: sicut rethor nobilissimus, interrogatus quod primum debet obseruari in eloquentie preceptis respondisse dicitur pronunciationem. Et secundo cum queretur respondit idem. Et cum tercio idem respondisse dicitur. Sic quotiens interrogares me de preceptis Christiane religionis, nichil aliud libet respondere nisi humilitatem. De mira uero humilitate sanctorum patrum legitur in uitis patrum libro ii. capitulo xv. per totum ubi inter alia narratur de quodam abbate a quo cum esset quesitum quomodo acquisierit hanc uirtutem, ut cum emergeret tribulatio in monasterio, non loquebatur, respondit: quando intraui inquit dixi animo meo, tu et azinus unum estote, sicut ergo ille uapulabit et non loquitur iniuriam patitur et non respondet, sic et tu facias, prout ait Psalmi: ut iumentum factus sum apud te. Ibidem de alio qui expulsus de domo exibat reuocatus ueniebat, a quo cum esset quesitum quid cogitauerit, respondit cogitasse se simil esse cani qui sic facit. Et ibi consimilibus operibus fratrum: Unde et epimem fugiebant de locis in quibus honorabantur ad loca alia ubi essent ignoti // prout narrat Iohannes Cassianus libro iiiii. Collationum de abbate Passnutio, qui cum esset prespiter in magno cenobio in Egipto quia honorabilis erat, ibi uidens humilitatem non posse exercere fugit assumpta ueste seculari, ad cenobium quod sciuit esse districtius et ibi receptus cum difficultate excoluit ortum, et humeris suis ad pastinandum stercus gerebat, et postea ibi uix cognitus flens discessit, dicens quod inuidia dyaboli humilitate tali fuisset fraudatus et idem secunda secunda uice fugit ad partes Palestine, ubi nec nomen suum fuisset auditum. Consimiliter narratur, de Machario libro qui dicitur: paradisu quod fugit, et iuit usque ad pathomium ut eum reciperet inter monachos, cui cum diceretur: quod non posset senex laborem sustinere eorum. Respondit: si me infirmiore uideris expelle, et cum essent ibi mille quadringenti uiri, et alius ieiunaret biduano ieiunio, alius alio modo ille stabat in uno angulo usque ad finem quadragesime non panem uel aquam gustans, nec genua flectens, non in terra iactens. Sed tantum folia cruda dominica die sumens cum ad necessitatem nature ibat, statim remeabat, non os aperiens nec aliis loquens, sed corde iugiter orans et illud operis quod tenebat in manibus efficiens, aliis uero conquerentibus de eo Pathomio, orauit ipse ut Deus reuelaret sibi quis esset, et comperto quod esset Macharius, duxit eum ad oratorium. Et ait gratias ago tibi, quia colophos infantibus nostris dedisti, ne magnum aliquid in conuersione uite sue putarent. Mirifica ergo humilitas filii Dei, qui semetipsum humiliavit usque ad mortem, et ad ipsam docendam descendit de celis, prout ait Augustinus Super iohannem omelia xxv.: Ut omnium morborum causas curaret descendit filius Dei et humilis factus est, et sequitur: tedet te imitari humilem hominem imitare humilem Deum. Et omelia quinta Christus crucifixus est, ut humilitatem doceret. Religiosi ergo sint boni discipuli in scola humilitatis, ab ipso

magistro humilitatis, legente de humilitate et ad eam hortante, audiant ipsam lectionem humiliter, et intelligant ueraciter, retineant memoriter, impleant siue perficiant efficaciter Mathei xi.: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Et de hoc Gregorius bene Moralium xxxiiii. in fine: Quanta inquit humilitatis uirtus est, propter quam solam ueraciter edocentur, qui sine estimatione magnus est, usque ad passionem factus est paruulus. Et idem registri libro secundo.

Capitulum septimum: De orationis deuotione

Sed ista non sufficiunt religioso, nisi fuerit orationis in eo feruor siue deuotio, uocando Deo et diuinis. Qualis debet esse orans, scilicet a uitiis immaculatus et Deo acceptus. Respexit inquit Deus ad Abel et munera eius, Genesis iii., prius enim respexit Abel et postea munera. Quia et dantis corde id quod datur acceptatur, ait Gregorius Moralium xxii. et in tractatu de penitentia. Similiter qualis debet esse oratio, et de fructu orationis idem: Ad presens autem notandum, quod uir religiosus debet esse deuotus in oratione communi siue canonica et etiam priuata. Recogitando dua peccata et plangendo, quia ueraciter orare est amoros gemitus in compunctione uera uerba composita resonare, ait Gregorius Moralium xxxiii. Item debet esse deuotus in oratione, auertendo cor ab alii et conuertendo ad Deum, quia oratio est mentis deuotio id est conuersio in Deum per pium et humilem affectum, fide spe et caritate sub nixa, ait Hugo De studio orandi ubi eleganter instruit modum orandi per totum. Item debet esse deuotio in oratione, eleuando se supra se, et ostendendo ad ipsum Deum. Sedebit solitarius et tacebit et eleuabit se supra se Trenis iii. Item debet esse deuotus in oratione iuste et caste petendo, de utroque istorum, Damascenus libro iii. capitulo xxviii. Oratio est ascensus mentis in Deum et decentium petitio. Est enim triplex oratio, scilicet casta quando dona sponsi petuntur. Et castissima, quando sponsus petitur, ut potest haberi a commentatore tercio capitulo de diuinis nominibus. Et de hoc Augustinus epistola quatragesimaseptima: Ad probum per totum, ubi ait primo queris qualis debet esse qui debet orare, et quid oret, a quomodo. Et sequitur: Ora beatam uitam, quam omnes appetunt, quid aliud oportet orare, nisi quod cupiunt omnes, unam inquit Psalmum, petii a Domino. Qualiter autem orandum sit subdit, hoc negocium plus gemitibus quod sermonibus agitur, plus fletu quam affectu. Et idem: absit ab oratione mala locutio, sed non desit multa precatio sed feruens perseueret intentio. Et post: multum autem precari est ad Deum, quem precamur, diuturna et pia cordis excitatione pulsare, Iob tricesimoprimum: Quis michi tribuat adiutorium ut desiderium meum omnipotens audiat, ubi Gregorius Moralium uicesimosecundo: Vera est postulatio, non in oris uocibus sed in cordis cogitationibus. // Valentiores uoces apud aures non faciunt uerba, sed desideria. Ideo de Moyse Exodi xiiii.: Quid clamas ad me, et de anna primi Regum primo: Quod non loquebatur, igitur dicitur Mathei vi.: intra incubiculum et clauso hostio ora patrem tuum. De necessitate uero orationis, et iugitate uel iugitudine siue continuatione, ait saluator Luce xviii.: Oportet semper orare et non deficere. Et primo Thesalonicenses v.: Sine intermissione orate. Semper inquit Psalmum: laus eius in ore meo, et nomine orationis intelliguntur bona opera secundum Glosam ibidem, ut ait Augustinus, de perfectione iusticie, Quia oratio dicitur oris ratio secundum quod ait Cassianus super Psalmum xliii. Siue mentaliter desiderando, prout ait Psalmum, desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Siue bene operando, prout ait Glosam super illud Luce supra dictum: Non desinit orare, qui non desunt bene facere, primi Corinthios

vii.: Gratias semper agentes pro uobis, super quod Hieronimus: Quod propter assiduitatem quam per singulos dies noctesque referebat, hoc ait quod in scripturis patrum legimus, quod apostolus usque ad quintam horam labori manuum insistebat, et ab illa usque ad decimam predicationi operam dedit, et post illam procurabat pauperum et peregrinorum hospitalitatem, sui que corporis necessitatem per noctem uero orationi insistebat, propter ergo assiduitatem predictorum, ait se semper gratias agere, ut dictum est. Et de necessitate iugis orationis, ait Crisostomus Super matheum omelia uicesimasecunda, quod sic est de oratione sicut de respiratione, ut enim semper indigemus respiratione, sic et oratione. Et si non haurimus a Deo scilicet bona nostra est incusatio. Est autem oratio similis Kathene uel funi pendenti de Petra, ut ait Dyonisius De diuinis nominibus capitulo iii. Sicut enim homo ascendit per talem funem superius, sic ascendit homo ad Deum per orationem ut dictum est. Et ideo sancti patres iugiter orabant uigilando in orationibus secundum preceptum saluatoris, Mathei xxvi. et beati Petri prime parte iii. Vigilate in oratione et hoc in spiritu et ueritate, Iohannem iiii. unde et saluator in oratione pernoctauit Mathei xviii. et Luce v. siue contra mala imminetia siue ad dona postulanda sicut fecit Moyses stans supra uerticem collis sub cuius manu fuit lapis suppositus, ne laxeretur Exodi xvii., super quod Iohannes Crisostomus in sermone de oratione bene: Narratur etiam in uitis patrum parte ultima, quod cum Iulianus apostata misit demonem quendam ut portaret sibi responsum ab oriente, qui transiens super locum in quo erat publius monachus // orans, non poterat ultra transire, si stetit immobilis illo continuante orationem per decem dies, reuersus quod est infecto negocio ad Iulianum cunquē dixisset se esse impeditum a monacho orante Iulianus iratus comminatus est illi monacho, sed in breui tempore est interemptus. Timeant ergo religiosi, qui nolunt persistere in oratione, ne ab hoste extrahantur sicut fuit de discipulo beati Benedicti, quem extrahebat Ethiops de oraculo uel oratorio prout dicitur ii. Dyalogorum.

Capitulum octauum: De septem que faciunt orationem efficacem

Ut autem oratio consequatur effectum, septem sunt necessaria, debe tenim esse in corde orantis uirtus caritatis, prout ait Gregorius Super euangelia libro ii. omelia vii. Virtus orationis est celsitudo caritatis et ibi bene de hoc. Item debet esse irreprehensibilitas conscientie siue cordis, prima Iohannis iii. Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus quod quicquid precierimus accipiemus, uolo enim uos orare in omni loco, leuantes puras manus Thimothei ii. Item debet esse irredibilitas ad peccata que planguntur in oratione id est cum mala gesta defleueris, nequaquam rursus facias, quod in precibus iterum plangas ait Gregorius Moralium x. Item debet esse reconciliatio offensi fratris, Mathei v.: Cum offers munus tuum ad altare et recodatus furtis quod frater tuus habet aliquid aduersum te relinquemunus tuum, et uade reconciliari fratri tuo et cetera. Item debet esse ordinabilitas petitionis petendo unum quod est necessarium, Iohannem xvi.: Si quid precieritis inquit in nomine meo, dabit uobis id est si precieritis illud quod est unum scilicet uerum bonum, ait enim ibi Augustinus omelia iii. Primum inquit querite renum Dei, Mathei vi. Item debet esse perfectibilitas operis, Iob xxvii.: Neque reprehendit me cor meum in omni uita mea, ibi Gregorius Moralium xxvi.: Quod si id quod precipit Deus sacimus id quod petimus apud Deum obtinemus, hec enim congruunt, ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio Genesis iii. Leuemus corda nostra cum manibus. Corda cum manibus leuat, qui orationem suam operibus roborat, ait ibi

Gregorius. Item oportet ut sit indefessa perseuerantia orationis, Luce xi. Et si perseueraerit pulsans. Sequitur propter improbitatem eius surget et dabit illi, his enim concurrentibus erit oratio efficax apud Deum, pre- // dicta enim septem scilicet mundialium elongatio, et mundo abdicatio et plenaria mundatio, et sic de aliis, sunt septem gradus quibus ascendit religiosus ad culmen perfectionis, Ezechielis xl.: Et erant septem gradus ascensus eius, hec sunt septem columne sustentantes ipsam religionem quas edificat sapientia in domo dua, Prouerbum ix.

Distinctio sexta [sexe partis]

Capitulum primum: De uite religiose utilitate. De premii religiosorum magnitudine

Ex predictis patet religionis comoditas siue utilitas uiuentibus perfecte in ea. Tum quia maior securitas, tum quia apud Deum maior acceptabilitas, tum quia reconciliationis ad Deum maior facilitas, de quibus Anshelmus De similitudinibus capitulo xxviii. ubi ait: Quod dyabolus impugnat fideles, et ad modum uille est Christianus. Castrum uero est monachus, dymagio in castro conuersatio angelorum, in uilla sunt domus inualide, in castro securitas, dungionem uel dymagionem, si quis semel ascenderit non licet redire, maior est securitas in castro religionis quam in uilla inferiori. Ibidem exemplificat, quod similitudo est inter Deum et regem quendam, cui quidam seruiunt sed nolunt promittere se esse fideles, scilicet ne sequatur maior uindicta si peccauerint. Alii uero seruiunt, et promittunt seruire fideliter, et si peccauerint sunt parati sustinere maiorem uindictam, quales sunt religiosi. Ibidem ponit aliud exemplum de duobus habentibus possessiones, quorum unus nichil uult habere proprium. Et si dicat ei Dominus, quanto familiarior eris, tanto minus debuisti peccare et plus puniri, respondebit uerum est, tam diu non penitui, sed modo me in penitentiam trado, et ideo maior misericordia debet michi fieri, quod Dominus concedet. Similiter ponit exemplum de duobus habentibus duas arbores, quorum unus dat arborem sue quantum uult, et quantum uult dat Domino suo, cui Domino primus debet magis esse acceptus. Et ibi alia multa bona exempla de hoc. Ex quibus patet eminentia status religiosorum respectu status secularium. Cauere tamen debet religiosi, ne abutantur suo statu, uel ne sint impenitentes siue cauerint, quia tunc magis merito punirentur ut patebit infra. // Et dictis similiter patet premii bonorum religiosorum supereminetia prout narratur in uitis patrum ubi supra parte xviii. de sancto patre qui uidit quatuor ordines in celo, sed infirmorum et gratias agentium, hospitalitatem instantium uel sectantium, et ministrantium, in solitudine conuersantium nec homines uidentium, et eorum qui per obedientiam patribus spiritualibus se subiiciunt, quorum unus ordo uicebatur torque aurea et corona, quod cum uidisset dixit ei qui ostendit illi omnia hec, quomodo iste ordo maiorem gloriam habet quod alii, respondit: quia alii secundum propriam uoluntatem fecerunt opera sua, hic aut ordo abiiciens uoluntates suas, pendet ad Deum et ad iussionem patris spiritualis propterea maiorem gloria aliiis habet. Tales enim pauperes uoluntarii et abdicantes uoluntatem propriam propter Deum erunt indices cum filio Dei, Iob xxvi.: Iudicium pauperibus tribuit, ubi Gregorius Moralium xxvi. de quatuor ordinibus in iudicio: Quia alii iudicantur et pereunt, alii non iudicantur et pereunt, alii iudicantur et regnant, alii non iudicantur et regnant, de quibus Mathei xix.: Vos qui reliquistis omnia sedebitis iudicantes et cetera. Et sequitur causa: Relinquentes quippe omnia plus prompta deuotione consecuti sunt quod iuberi generaliter audierunt.

Ideo Mathei, dicitur: Vade et uende omnia que habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in celo.

Capitulum secundum: Se peruersitate eorum qui male uiuunt in eorum religione

Et sicut merito est amplius glorificandus religiosus bonus, quia magis perfectus, ita religiosus prae uiuens amplius est peruersus et magis puniendus, quanto enim gradus altior, tanto casus grauior, ut ait Bernhardus ad Eugenium libro ii.: Que enim est maior peruersitas quam post perfectionis uotiuam uel uotum promissionem siue obligationem, post sacri habitus uoluntariam susceptionem, post exemplorum uirtuosorum patrum precedentium multimodam perfectionem, post mundi et mundialium dimissionem, post mansionem in collegio sanctorum et in loco sancto habitationem redire ad peccata sicut canis ad uomitum, et ad ea que seculi sunt cum dicat Dominus, Luce ix.: Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei. Unde et uxor Loth aspiciendo retro uersa est in statum salis, Genesis xix. Et qui tales sunt ypocrite possim, sunt similes sepulchris dealbatis plenis spurciciis, Mathei // xxiii. Et tales sunt sicut falsi denarii inter bonos, qui deprehensi falsi in ignem mittuntur, ut enim ait Anselmus de similitudinibus capitulo xxv. Similitudo est inter monachum et denarium. Sicut enim denarius debet esse ex puro ere, recto pondere, et legitima moneta. Sic in monacho debet esse puritas obedientie, correspondens primo, stabilitas propositi correspondens secundo. Et habitus monachalis correspondens tercio. Et sicut talis denarius cognoscitur esse falsus, quando in ignem mittitur sic et religiosus cognoscitur esse falsus quando in ignem laboris et tribulationis mittitur. Item in monacho debet esse puritas intentionis in ingressu religionis, pondus stabilitatis in obseruantia obedientie, et habitus monachalis in uestitu. Magna ergo deordinatio et peruersitas, seculariter uiuere sub habitu religionis, post tot oportunitates bene uiuendi predictas, et magna confusio, damnari postea cum secularibus uel amplius, unde narratur in uita patrum, ubi supra parte tercia, de quodam qui cum uellet conuerti et mater prohiberet, dicebat uolo saluare animam meam, nec matri acquieuit et factus est monachus, sub negligentia uitam expedens. Contigit autem quod mater moreretur, et ipse infirmatus est et factus in excessu mentis ducitur ad iudicium ibique uidit matrem cum his qui iudicabantur, cui illa ut uidit eum, quid fili et tu ad locum hunc uenisti, ubi sunt sermones tui quibus dicebas, saluare uolo animam meam, quod ille audiens confusus, nec habens quid responderet matri. Ipso dolore stupidus factus est, iuxta uero dispensationem Dei reuixit et sanus factus penituit et plorauit dicens. Si improprium matris mee sustinere non potui, quomodo Christi angelorum aduersum me in die iudicii potero sustinere, et permansit in penitentia. Ex hoc patet magnitudo penarum siue tormentorum, prauorum religiosorum, et confusiones in die iudicii eorum, qui nunc gloriantur de solo habitu, et de nomine, thesaurizantes iram Dei, de quolibet talium uerificatur illud Iob xxiiii.: dedit ei Dominus locum penitentiae et ipse abutitur in superbiam. Et illud Apocalypsis ii.: dedit dum tempus penitentiae.

Capitulum tertium: De misteriali significatione habitus religionis

Quilibet ergo religiosus, consideret status sui professionem et habitus qualitatem, et studeat uiuere secundum illorum exigentiam secundum quod ait Anselmus De similitudinibus ubi supra. Quod nichil exterius in habitu professione uel consuetudine

habere debet monachus, quod non conueniat interius habere. Et exemplificat, quod uiles uestes et nigre significat quod a principio usque ad finem debet esse religio uera. Quod sunt in modum crucis, significat memoriam passionis. Corona et capillorum tonsura, significant eos esse reges et sacerdotes. Et de misterio habitus monachalis Iohanes Cassianus libro i. Collationum multum, ubi ait quod monachum ut militem Christi: precinclum oportet incedere. Quod fuit significatum in helia et beato Iohanne, uilitas uero uestium significat paupertatem. Et In uitis patrum parte x. in fine. Similiter de misterio habitus monachalis ubi dicitur: cucullam esse signum innocentie, hec est philosophia religiosi et sapientia studere ut sit uerus religiosus. Et ut sit talis interior coram summo iudice, qualis apparet in professione et habitu coram hominibus. Unde Hugo in Dydascolicon: Simplicitas monachi est eius philosophia. Et sequitur uilitas habitus tui, et simplicitas uultus et innocentia uite et sanctitas conuersationis, debent docere homines, et ibi bene de hoc, predicator ergo euangelicus alloquens religiosos de predictis conferat cum eis hortando ut uiuant perfectibiliter secundum exigentiam professionis et status, ut sint sublimati cum Christo iudice iudicantes, et dehortando contraria, ne damnentur cum multitudine ypocritarum appostotantium quibus ait Dominus, Mathei xxiii.: Ve uobis ypocrite!

Pars sexta [septima]

Distinctio prima

Capitulum primum: De instructione hominum ut sint parati ad mortem. De preparatione ad mortem de uite huius labilitate et breuitate

Prehabitis uariis modis instructionum, ex quibus predicator euangelicus protest habere occasionem conferendi utiliter cum hominibus secundum eorum status, et ministrorum gradus, et hoc secundum etatum uarietates, ut uisum est. Nunc ultimo quia omnes tendunt ad mortem, maiores et minores, senes et iuuenes, diuites et pauperes. Inspiciendum est, qualiter predicator debent ammonere homine. // De hiis que spectant ad mortem. Et quia hec uita mortalis est, prolixitas mortis, prout ait Gregorius Super euangelia libro ii. omelia xvii. Ideo primo potest homines ammonere ut non confidant de uite huius durabilitate, que est erumnosa mortis prolixitas. Ista enim uita est mors uiuentium et uita morientium secundum Augustinus iiii. Confessiones. Et est punctalis breuitate, et est quasi uolatilil transitus uelocitate, et in transeundo iugiter deficiens sine interpellatione, et est erumnosa calamitate, et cito terminabilis defectibilitate, incerta terminabilitate, et irredibilis iteratione ante generalem resurrectionem. Et de his clamat scriptura generaliter, sicut Iob xiiii.: Breues dies hominis sunt. Et de hoc bene Gregorius Moraliu xii.: Homo natus de muliere. Ibi Moraliu xi. Similiter de hoc. Et Iob xvi.: Breues anni transierunt, et semitan per quam non reuertar ambulo. Ibi Moraliu xiii. Et Iob xxii.: Nescio quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus. Ibi Moraliu xxiii. de hoc. Et de hoc Augustinus De uerbis domini sermone xvi.: Breuis est uita et ipsa breuitas semper incerta. Et sermone xliii.: Quid est diu uiuere nisi diu torqueri. Et sermone xl.: Diu uiuere quid est nisi ad finem currere. Et sequitur: uita ista similis est morti. Et de hoc Seneca epistola lxxx.: Vita breuis est, quasi fabula et quasi mors. Et de hoc Seneca epistola li.: Infinita est uelocitas temporis. Et plus: punctus est quod uiuimus. Et epistola ciii.: quod

hoc quod uiuimus proximi inchoatio est, Iob ii.: Gaudium ypocrite ad instar puncti. Ibi Gregorius, *Moralium* xv. bene de hoc. Et de huius uite breuitate et conditionibus aliis supra dictis Seneca li. de breuitate uite per totum ubi introducit uersus Virgilio: Optima queque dies miseris mortalibus eui prima fugit et cetera. Monendi ergo sunt homines ut non confidant in huius uite sit uariabilis durabilitate, uentus enim est uita mea ait Iob vii. Quo nichil est mutabilius. Et de hoc bene Gregorius *Moralium* viii. Et sunt monendi qui sunt in peccato, ne differant conuerti ad Deum, *Ecclesiastici* v. Ne tardes conuerti ad Deum, Augustinus sermone xvi. ubi supra. Quid differs incrastinum, dicens: longa uita erit, ipsa longa bona sit et sic melior erit si longa bona sit, si uero breuis sit benefactum est ut sit bona, quare enim uis habere longum malum, et ibi bene de hoc.

Capitulum secundum: De hortatione hominum ad merita cumulanda in breui uita //

Similiter sunt ammonendi qui boni sunt ut in tam breui uita cumulet merita, sicut monet, *Ecclesiastici* ix.: Quodcumque potest manus tua instanter operare. Et xi.: Mane semina semen tuum. Et hoc merito, quia imminet nox id est merendi impossibilitas plus hanc uitam, Iohannem i.: Venit nox in quo nemo potest operari. Exemplo laborantium in messe, qui die deficiente et nocte imminente omni nisu colligunt manipulos et redigunt in aceros. Sic debent homines fideles in hac uita defectibili aggregare cumulos meritorum, ut de eis uerificetur illud Psalmo. Venientes autem uenient cum exultatione. Dum inquit tempus habemus operemur bonum ad omnes, *Galatas* ultimo. Econtrario est de multis, qui predictorum obliuiscunt ad carnis uoluptatem uel mundi cupiditatem, uel transitorium seculi honorem semper aspiciunt, quibus competit exemplum quod narrat Barlaam, de fugiente unicornem et cadente in baratrum in quo arbustulam apprehendit, in cuius radice uidit duos mures, album et nigrum quasi effodientes, in fundo uidit Draconem horribilem eum deuorare cupientem, de pariete uero uidit exire quatuor capita aspidum quasi eum inuadentium, et eleuans oculos uidit exiguum mellis de ramis arbustule descendere, et oblitus omnium tradidit se ad querendum dulcedinem mellis. Et adaptat ibi quod sic est de peccatoribus, quod unicornis sequens est mors, baratrum mundus, arbustula mensura uite humane que consumitur albo mure et nigro id est die et nocte, quatuor aspides quatuor elementa, quorum si unum precurrit deordinatur compago corporis et dissoluitur, Draco expectans id est dyabolus, stilla mellis est delectatio mundialis siue peccatum, quam quidem inquirunt peccatores toto affectu omnium aliorum obliti, quibus dicit propheta. Ut quid diligitis uanitatem et queritis mendacium. Dehortandi sunt omnes a tali inordinata et uana inquisitione, et hortandi ad aliorum memoriam et recogitationem.

Capitulum tertium: De mortis ineuitabilitate

Consequenter sunt ammonendi omnes de mortis ineuitabilitate, quis est homo qui non uidebit mortem, ait propheta, omnes enim morimur, et quasi aqua dilabimur in terra, ii. *Regum* xiiii. Mors enim pena inflictata fuit ade et posteris eius, quam nemo propagatus euadere potest, *Genesis* ii. // quacumque die commeditis morte moriemini, *Ecclesiastici* xviii.: Omne opus corruptibile in fine deficiet. Et ibidem generatio alia finitur, alia nascitur. Et *Ecclesiastici* primo: Generatio preterit et generatio aduenit. Nullus ergo confidat de etatis iuuentute, de uirtutis robore, de corporis sanitate, de mundana

prosperitate, quia nulli parcat mors, et eque moriuntur iuuenes et senes et cetera. Apocalypsis xx.: Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu troni. Omnes enim eque uocat mors et non est ut fugiamus ictus telarum, undique enim in nos tela iaciuntur, et omnes reseruamur ad mortem ait Seneca v. De naturalibus questionibus capitulo ultimo, unde et ponit bonum exemplum in libello ad Marciam: Quod sumus similes ascendentibus murum obsessum multo hoste, super quos descendunt tela sagitte uel saxa, a quibus uulneramur uel cadimus, per que significantur mortis genera uaria quibus homines percuciantur. Mors enim est tributum quod oportet omnes soluere prout ait Seneca libro quinto De beneficiis capitulo ultimo: Quod mors nature lex est, mors tributum officiumque mortalium. Et ideo apud gentiles dicebatur Pluto scilicet Deus inferni uel mortis, habere trigam, quia capit omnes in tribus etatibus, scilicet puericia iuuentute et senectute, ait Hugo. Et de hoc narratur in quodam antiquo scripto, quod cum filius cuiusdam nobilis et unicus religionem intrasset, ut Deo seruiret, uenitque pater ut eum inde abstraheret vi. cum non possent illi religiosi eum retinere, petiit iuuenis ut posset loqui cum patre, quo sibi concesso, ait puer ad patrem, quod si auferret unam consuetudinem que erat in patria sua, rediret ad seculum annuit pater quod libenter auferret, petiitque ut illam sibi exprimeret, cui filius quod in terra sua consuetudo quo iuuenes moriebantur sicut et senes, et si illam auferret, rediret, quod non ipse non faceret nec ipse rediret, licet enim esset iuuenis tamen timebat mortem. Quod audiens pater, et uidens eum esse constantem in proposito, ait nec uolo quod ad seculum redeas, sed hic Deo seruias conuersusque cum filio seruierunt ambo fideliter Deo. Exquo ergo non est fugere mortem non restat nisi ut homo uiuat in Christo, qui est uita, et euadat spiritualem mortem peccati et tormenti eterni. Beatus est homo qui non ledetur a morte secunda, Apocalypsis v. Apprehendendo uitam euadetur mors uera, mortui enim estis et uita uestra abscondita est cum Christo, Collossenses iii.

Capitulum quartum: De mortis iugi memoria et meditatione //

Deinde ammonendi sunt omnes de mortis iugi et continua cogitatione, ut a peccatis retrahantur, et ut corde humiliantur, et ut ad bene operandum stimulentur, et ut uita immortalis appetatur, Ecclesiastici vii. Memorare nouissima tua et in eternum non peccabit, Iob x.: numquid non paucitas dierum meorum finietur breui, ubi exponit Gregorius Moralium ix., pene illud Ecclesiastici, quod supra dictum est, ubi ait: cum culpa animum tempnat necesse est ut breuitatem sue delectationis aspiciat ne adiuuantem mortem iniquitas rapiat. Et Ecclesiastici xi.: Si annis multis uixerit homo. Sequitur: meminisse debet tenebrosi temporis. Et ideo ut ait Alphorabius libro de diffinitione philosophie: Quod secundum Platonem philosophia est tedium cura et studium ac sollicitudo mortis, per sollicitudinem mortis uolens intelligere mortificationem predictorum desideriorum. Et carnalium uoluptatum. His enim mortificatis applicatur ad curam ueritatis, hec ille. Cui concordat Tullius, libro primo Tusculanarum questionum loquens de Socrate ait: tota inquit philosophorum uita est commemoratio mortis, ut ait Socrates, et de hoc Seneca epistola xxvii. Meditare mortem qui enim hoc dicit meditari libertatem iubet, unde dicitur in uita Iohannis elemosinarii, quod sic fuit antiquitus de imperatore quod postquam esset coronatus astantibus exercitibus, ueniebant monumentorum edificatores cum marmoribus diuersi coloris, et querebant ab eo de quali metallo iuberet post imperium suum sibi fieri monumentum. Insinuantes ei quod tanquam

homo corruptibilis et transitorios deberet curam habere anime sue, et pie regnum disponere, propter quod et predictus. Iohannes sibi fieri monumentum uolens, bonam imitationem post se relinquere aliis patriarchis ostendit uel studuit. Ad hanc considerationem sunt homines ammonendi, ut nullus intumescat de dignitate temporali, nec confidat in prosperitate seculari sed mortis memoriam quilibet habeat ante oculos cordis, sicut speculum in quo considerare debet suam fragilitatem et in morte omnium bonorum temporalium ablationem et mortis calamitatem. His enim considerationibus retrahitur a peccatorum libidine, et dignitatum ambitione, propter quod Iob xxxi. quasi tumentes fluctus semper timui Deum, ubi Gregorius Moralium xxi. in fine: Quod imminente tempestate et fluctibus tumentibus, nulla nauigantibus est rerum temporalium cura, nulla carnis delectatio ad mentem reducit, cuncte res in despectum ueniunt amore uiuendi. Homo igitur timens Deum debito timore, precogitet finem suum // iugiter, et quod sicut nudus egressus est de utero matris, sic nudus reuertetur sicut Iob precogitabat quando dicebat nudus egressus sum, Iob i. Et ad mortem sic considerandam, hortantur omnes homines morituri, Ecclesiastici xxxviii. Memento nouissimorum et noli obliuisci. Et sequitur: Memor esto iudicii mei, sic enim erit et tuum dicunt mortui, mihi heri et tibi hodie. Et quia carnis uoluptas et mundi delectationes impediunt hominem, ne precogitet mortem suam. Ideo Ecclesiastici vii.: Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum. Sic enim mortem considerans, alios non despiciet, nec se arroganter super alios efferet. Prout dicit Seneca libro iii. De naturalibus questionibus in fine, quid clienti tuo irasceris sustine paululum, ecce ueniet mors que nos paret faciet. Et epistola lxxxv.: Mors omnes equat et omnes pares morimur quia sicut tactum est, sicut nudi mundum ingredimur sic nudi egressuri sumus. Ecclesiastici v. Sicut egressus est nudus de utero matris sic reuertetur.

Capitulum quintum: De preparationis indilatione

Et quia infructuosa est premeditatio mortis, nisi assit preparatio debita uite. Ideo homines sunt admonendi ut sint preparati ad mortem, maxime ex quo mors uenit ex improviso, prout saluator hortatur, Matheum xxiiii., uigilate quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit. Et prima tessa v.: Quod dies Domini tanquam fur comprehendit. Et sequitur: nos qui diei sumus sobrii simus Apocolypsis iii.: Si non uigilaueris ueniam tanquam fur et nescis qua hora ueniam. Debet ergo quilibet esse paratus omni hora ac si tunc deberet mori, et propter hoc uoluit Deus nos latere finem nostrum, ut dum incerti sumus quando moriamur, semper parati sicut ministri assistentes regi, Luce xii.: Sint lumbi uestri precincti scilicet cohibitione libidinum et uos similes hominibus expectantibus Dominum scilicet quando reuertatur a nuptiis. Et sequitur beati serui illi quos cum uenerit Dominus inuenerit uigilantes. Sicut ergo serui illi describuntur accincti cohercione libidinum et restrictione, et lucernas tenere id est bonorum operum fulgorem et expectare Dominum suum desiderio Dei uisionis et future glorie eterne. Sic debent omnes fideles esse tales. Et de hoc Gregorius // libro primo omelia xxi. Item debemus esse parati ad modum metentium et colligentium memesse ut paremus nobis conuiuia eterna, Prouerbum vi. Vade ad fornicam o piger, et sequitur: Congregat in messe quod comedat usque quo piger dormis. Sicut ergo homines in messe mane surgunt et continue colligunt et ante noctem non dimittunt, sic debet fidelis colligere manipulos meritorum. Qui enim colligit in messe filius sapiens est, qui stertit in estate filius confusionis est, Prouerborum x., quia stertens

stilbonte medicat in egloceronte. Venientes autem uenient cum exultatione portantes manipulos suos ait propheta. Item debemus esse parati ad modum pregnantium et certantium in stadio, quia in iugi pugna sumus cum multis hostibus. Ideo ut boni bellatores semper uigiles et parati esse debemus Epheseos ultimo: Non est nobis colluctatio aduersus carnem et sanguinem sed aduersus principes et potestates Epheseos ultimo. Luce xiiii.: Quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, nonne prius sedens cogitet. Item debemus esse parati ad mortem ad modum hominum debentium reddere rationem Domino suo de beneficiis acceptis de seruiciis debitis omissis et de peccatis commissis, et de temporum et aliarum rerum abusionibus, et de lucris spiritualibus augmentandis, tales sunt multum solliciti ne si deficiant puniantur, Luce xvi.: Redde rationem uillicationis tue. Et Matheum xxv.: quinque talenta tradidisti mihi ecce alia v. superlucratus sum. Item Deus iugiter nos parare ad mortem ad modum edificantium in sua hereditate et thesaurisantium, Matheum vi.: thesaurisate uobis thesauros et cetera. Et Luce xvi.: facite uobis amicos de mammona iniquitatis ut cum et cetera. Unde narrat Barlaam ponens exemplum de ciuitate cuius mos fuit unum ciuium omni anno assumere pro principe, et in fine anni nudari eum et exulari, ueniens autem sapiens quidam pro principe electus, et legem audiens transmisit omnia bona sua ad exilium, ad quod debemus mittere bona nostra merita et premia thesaurisando. Item debemus nos parare ad modum Ianerantium et Euntium ad festum regni et ita festinare ne porta claudatur, Matheum xxv. De quinque uirginibus sapientibus et quinque fatuis, quarum prime intrauerunt alie non, quia clausa est ianua. Item debemus nos preparare ad modum sponsarum studentium placere sponsis suis iugiter, Apocalypsis xix.: Venerunt nuptie agni et uxor eius preparauit se et cetera. Quia igitur in morte quilibet occurrit Deo suo, semper debet esse paratus, eoquod ignorat horam, Luce duodecimo // uos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis ueniet, prepara te inquit in occursum Dei tui Amos viii. et eo studiosius debet homo se preparare, quia tempore mortis non est inuenire inducias ad ampliorem preparationem, nec potest homo prolongare uitam. Iob xvi.: Constituisti terminos eius qui preteriri non poterunt, scilicet ultra diuinam preodinationem, prout ibi exponit Gregorius Moralium xii.: Non enim est in hominis inditione prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, Ecclesiastici viii. Et de hoc Gregorius omelia xii. euangeliorum libro i. de quodam nobili nomine Crisorius uel Criserius, qui fuit plenus uiciis, qui ad extrema ueniens, apertis oculis uidit tetros et nigerrimos spiritus coram se assistere sibi minari et imminere utad claustra inferni eum raperent, qui cepit tremere palescere et sudare, et magnis uocibus petere inducias, et dicere filio suo tu suscipe me in fide tua, et in illis clamoribus et algoribus uel angoribus de habitaculo carnis euulsus est, de quo nimirum constat, ait Gregorius quod non propter se uidit ista sed propter nos et uisio eius nobis proficiat quos adhuc diuina clementia longanimitate expectat, et ideo subdit ibidem. Nos ergo sollicite cogitemus, ne nobis inuanum tempora transeant et tunc queramus ad bene agendum uiuere, cum iam expellimur de corpore exire. Illud ergo tempus quod fugere non licet modo cogitari debet dum licet, et illa hora nostri exitus semper intuenda, et ibi bene dehoc, Ecclesiastici ix.: Quodcunque potest manus tua instanter operare.

Capitulum sextum: De errore illorum qui mortem sibi intulerunt

Et quia error fuit gentilium, quod mores optandus omnibus esset, et uirtutis esset siue constantie uel magnanimitatis quod homo inferat sibi mortem, quem errorem tangit Augustinus i. De ciuitate dei capitulo xxii. Narrans de discipulo Platonis quem ferunt lecto libro Platonis ubi de anime immortalitate disputauit se precipite dedisse de muro atque ita ex hac uita migrasse ad eam quam credidit meliorem. Ibidem etiam narrat de cathone qui se necauit eo quod fuit inuidus glorie Cesaris, prout ait Cesar de eo, ut refert ibi Augustinus de quo etiam Cathone. Seneca epistola xxv. Ultima illa nocte Platonis librum legit catho, scilicet posito ad caput gladio, duo hec in rebus extremis uel externis perspexerat, alterum ut uellet mori alterum ut posset. Et sequitur: // quod stricto gladio ait ad fortunam, nihil inquit egisti, et impressit mortiferum. Ubi et refert de alio quo cum uidisset nauem teneri ab hostibus ferro se transuerberauit, et cum quereretur ubi esset imperator, bene inquit se habet imperator, et ibi de consimilibus. Et de hoc eodem cathone narrat Seneca epistola lxxviii.: Quod quo die repulsus est de prefectura uel pretura lusit opratus uel emptatus, sic et qua nocte periturus erat legitur in eodem loco, hinc ex prelectura et ex uita excideret, omnia enim hec que acciderant ferenda sibi persuasit. Et ibidem legitur de multis gentilibus qui seipsos ne cauerunt, prout ait Augustinus de lucrecia ut supra xxi. capitulo, ubi improbat bene iustum errorem, quod nunque diuinitus preceptum permissumue reperiri potest ut uel ipsius, adipiscende immortalitatis, uel nullius carendi cauendie malim, nobismetipsis necem inferamus. Nam et prohibitos nos intelligendum est, ubi lex ait: Non occides, Exodi uicesimo, scilicet nec te nec alium, prout ait Augustinus. Et de hoc Iosephus concionans ad iudeos bene. Prout recitat Egesippus libro iii.: Volebant enim aliqui Iudei inclusi a Romanis se necare, ad quos aiebat Iosephus, nature uinculo anima coniuncta est corpori. Quis igitur anime et corporis Deo complacirum contubernium interrumpere uel dissociare audeat. Et sequitur: Dei possessio sumus, Deo seruitium debemus, quasi serui expectemus imperia, quasi uincti reseruemus uincula, quasi fideles bonum depositum custodiamus, non recusemus uite huius munus non refrigiamus donum celeste. Si hominis dona reiicias contumeliosus es, quantomagis seruare debemus quod a Deo nostro accepimus. Exemplum de Abraham Iob et Dauid qui ait: Educ de custodia animum meam et cetera. Et sequitur: Nature lex est ualida uelle uiuere nec sibi mortem abscindere. Et post: Depositum Dei est anima in hoc corpore, ecsi hominis depositum uiolare pena infamie est quantomagis depositum Dei. Non ergo ex agnauitate est quod homo mortem sibi inferat, sed ex uera fatuitate et erronea credulitate, ut potest haberi ex Augustino ubi supra, et ex interiori conscientie errore et angore, prout ait philosophus ix. Ethicorum: Quod propter maliciam aliqui fugiunt uiuere et interimunt seipsos, querunt enim mali cum quibus commorentur, seipsos autem fugiunt, recordantur enim multorum et difficilium. Et sequitur: // nihil amabile habentes patiuntur in seipsos, neque gaudent, et sic in de est quod se interimunt, uel hoc faciunt homines ex hostis suggestione et seductione, prout narrat Hugo libro secundo De sacramentis parte xv. capitulo secundo de quodam peregrino eunte ad sanctum Iacobum discesso a sociis, cui obuiauuit quidam uenerabilis habitu, qui inter alia suasi illi, quod nihil magis expedit uiro uirtutis, quam festinanter exire de uita, et si alia uia non detur, etiam manu sua mortem lacessat, et sic ille arrepto ferro se iugulauit, quem inuentum extinctum a sociis reducunt ad uicum unde exierat et hospitem incusant, qui sciens innocentiam suam petiit a Deo auxilium tota deuotione, et surrexit qui mortuus fuerat qui narrauit rem gestam, et se ab eo qui facinus sibi suggesserat, duci ad tormenta, cui ait occurrisse sanctum Iacobum, eum quod

ereptum ad thronum iudicis duxisse, ibique precibus obtinuisse ut uite denuo redderetur. Absit ergo a fidelibus predictus error, ut uelit quis mortem sibi ingerere uel preoccupare scienter et ex industria.

Disctinctio secunda [septime partis]

Capitulum primum: De mortis multiplicitate et terrore de distinctione mortis

Ex predictis patet quod non omnibus optanda est mors, imo timenda malis. Eo quod mors peccatorum pessima, ait propheta. Et cum quadruplex sit mors, ait Augustinus ad Orosium scilicet mors corporis, que est seperatio anime a corpore. Et mors anime, que est separatio Dei ab anima in peccato, de quibus Mathei viii.: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et mors anime tantum scilicet pena ipsius solius ante iudicium uniuersale qualis fuit pena diuitis epulonis Luce xvi. Et mors corporis et anime, in inferno post iudicium, quando dicetur damnatis. Ite maledicti et cetera. Mathei xxv. Omnes has debet ipse peccator timere.

Capitulum secundum: Quod mors corporis timenda malis

Primam mortem scilicet corporis, debet peccator timere ob ablationem omnium delectabilium, et ob eternitatem omnium mediarum et ob multitudinem penarum, et ob desperationem remediorum et suffragiorum post hanc uitam, Iob xxvii.: Diues cum dormierit nihil secum aufert, aperiet oculos suos et nihil inueniet, ubi Gregorius sufficienter de hoc Moraliu xviii. Exemplificans de diuite epulone sepulto in inferno Luce xvi. et Luce // xii. de stulto proponente dilatare horrea sua. Cui dictum est, hac nocte repetent animam tuam, que autem parasti cuius erunt, Sapientie v.: Quid uobis profuit superbia, et ad pene exaggerationem predicta erunt, et euenient impio tempore quo non estimat, Iob xxxiiii.: Subito morientur et media nocte et cetera. Et de hoc Gregorius Moraliu xxv.: Quod subitum est quod ante non cogitatur, et ideo dicuntur mori subito quia non precogitant, uere ergo mors peccatorum pessima et ideo timenda, Ecclesiastici xliiii.: O mors quam amara est memoria tua homini iniusto, unde ad maiorem pene aggrauationem quibusdam impiis antequam exeant de uita ostendit Deus penas infernales, prout ait Beda De gestis angelorum de quidam insolente, qui cum infirmaretur monuit eum rex Sandereus uel Geuredus ut confiteretur, qui respondit quod tunc non faceret ne sodales ei insultarent, sed cum surgeret ab infirmitate aggrauante hoc faceret. Iterato uisitauit enim rex, cui ait ille: quod tunc nulla fuit utilitas eum uisitare, eo quod duo iuuenes pulcri intrauerunt, quorum unus protabat pulcrum librum in quo scripta erant bona que feci, sed pauca postea intrauit exercitus malignorum spirituum quorum maior protulit librum horrende uisionis, enormis magnitudinis, et ponderis importabilis in quo scripta erant omnia scelera mea que feci tetris literis, dixerunt quod ad alios albos iuuenes, quid uos hic, iste noster est, quibus illi, uerum est, ducite eum in tumulum damnationis, duo quoque percuciant unus in caput alius in pedes, et cum ad se peruenient ictus moritur, et portatus a demonibus in infernum protrahatur, et sic factum est. Non pro se uidit cui ista non pro fuere, sed pro aliis qui differunt penitere, ait Beda. Ibidem etiam narrat de quodam fabro uiuente ignobiliter, et sustentabatur in monasterio a fratribus propter operum necessitatem, seruiebat quoque ebrietati, et aliis uiciis magisque nocte

residere in officina sua consuevit quam ad psallendum ire, qui infirmatus et ad extrema perductus uocauit fratres eisque narrauit uidere se inferos apertos, et Sathanam in profundum dimersum cum Caypha et ceteris qui Christum occiderunt, sibi quod locum preparatum iuxta, et cum hortaretur ad penitentiam, ait desperans quod non erat ei locus mutandi uitam, ex quo uidit iudicium suum iam esse impletum, et sine uiatico obiit extraque monasterium sepultus est, nec aliquis pro eo orauit hec uidit ut desperata salute miserabilius periret, sicut beatus Stephanus uidit celos apertos ut letius ascenderet, Actuum vii. Omni ergo impio est timenda mors prima, et multo etiam magis alle mortes, quia mors carnis non est nisi umbra mortis prout ait Gregorius Moraliu xi. super illud Iob xiii.: producat in lucem umbram mortis. // Et somnus est ut ait idem Moraliu xii. super illud Iob xiiii.: Nec consurget de somno suo, mors enim peccati siue anime per peccatum magis timenda est quod mors corporis, quia mors anime est cum eam deserit Deus, mors corporis cum ipsum deserit anima, ait Augustinus xiii. De ciuitate dei capitulo primo: Quanto ergo melior Deus anima tanto peius deserit Deo quam ab anima. Ideo sancti sustinuerunt mortem corporis ut uitarent peccatum prout ait Susanna Danielis xiii.: Melius est mihi absque opere incidere in manus uestras quam peccare in conspectu Dei.

Capitulum tertium: Qualiter mors secunda timenda est malis

Quantum uero sunt timende alie mortes scilicet pene eterne siue sit pena eterna solius anime siue anime cum corpore, quarum utraque est secunda mors ut patet ex dictis Augustini loquentis de secunda morte xxi. De ciuitate dei capitulo iii. ubi ait: prima mors animam nolentem expellit, secunda animam nolentem tenet in corpore, et ideo sempiterna mors quando nec uiuere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere poterit moriendo. Et libro xix. in fine: Quod secunda mors dicitur qua nec anima ibi uiuere dicenda est que a uita Dei alienata erit nec corpus quia eternis doloribus subiacebit ac per hoc durior quia finiri morte non poterit quam dure et dire sunt iste mortes patet ex tormentorum multitudine eternitate et continuitate et irremedialitate, et ex perpetua demonum societate et reculsione sub eis, propter quod dicitur Apocalypsis xx.: Quod dyabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris ubi et bestia et pseudo propheta cremabuntur die ac nocte in secula. Et super omnia erunt dure pene ex separatione a uisione Dei et consortio sanctorum angelorum prout ait Crisostomus Super matheum omelia xxxiiii.: Multi gehennam abhorrent, ego autem casum illius glorie multo amariorem gehenne pena esse animo, et sequitur: decem mille aliquis ponat gehennas nihil tale dicet, quale est a beata illa gloria excidere, a Christo audire quia non noui uos recusari, quoniam esurientem eum uidentes non cibauimus. Certe decem milia melius est sustinere fulmina quam faciem illam mansuetam uidere a nobis auersam et tranquillum oculum illum non serentem uidere nos. Et ideo signanter dicitur Mathei xxv.: Ite maledicti in ignem eternum. In hoc quod ait ite notatur a uisione Dei separatio. In hoc quod ait in ignem eternum penarum infligentium magni - // tudo et multitudo, Apocalypsis xx.: Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis, hec est mors secunda. Predicator ergo diuinus hortetur eos quos alloquitur, ut predictarum mortium timorem et ad uite correctionem, ut possint illas euadere. Qui enim uicerit uoluptates, cupiditates, et ambitiones, non ledetur a morte secunda Apocalypsis ii.

Capitulum quartum: De morte sanctorum et eius preciositate

Quamuis etiam mors sanctorum sit preciosa in conspectu Dei, et merito appetenda ob diuine uisionis felicitatem post hanc uitam, prout ait apostolus, Philippensium i.: Desiderium habens dissolui et esse cum Cristo. Vir tamen iustus conformet se diuine uoluntati de uiuendo uel moriendo. Unde sequitur ibidem: permanere in carne necessarium propter uos, sicut fuit de sancto Martino. Et licet uir iustus speret regnare cum Cristo post mortem, uir enim iustus speret in morte sua Prouerbiorum xviii. prout dicebat ille propheta optans mori, Numeri xxiii.: Moriatur anima mea morte iustorum. Tunc enim liberatur de exilio, et intrat hereditatem, Psalmos: Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filii merce et cetera. Et tunc oritur glorioso ortu, propter quod dies mortis sanctorum dicuntur natalicia, Iob xi.: Cum te consumptum putaueris orieris ut Lucifer. Unde et Seneca epistola cviii.: loquens de uiro uirtuoso ait, quod mors eius eterni natalis est dies.

Capitulum quintum: De terrore electorum in morte et de hostis infestatione

Tamen morte imminente timere debet et se studiosius preparare, Iob xix.: Hec omnia operatur Deus tribus uicibus. Unde Gregorius Moraliu xviii. de timore electorum in morte, ubi ait: Quod cum demones de omnibus semper diuina iudicia partimescant, tunc tamen hoc uehementer metuunt, cum ad soluendum humane conditionis debitum uenientes, districto iudicio propinquare se cernunt, et sic tanto timeratior, quanto retributio eterna uicinior. Unde saluator, solutionem carnis appropinquans a membrorum suorum speciem seruans, factus in agenia prolixius cepit orare, non pro se sed nostre mentis in se certamen expressit // morte appropinquante. Et sequitur: Considerandum est quod nec hoc quidem sine aliquo reatu est quod laudabiliter gessimus si remota pietate iudicemur. Ideo Psalmos: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine. Et Paulus i. Corinthios iii.: Nichil michi conscius sum sed non in hoc iustificatus sum. Et Iacobi i.: In multis offendimus omnes. Et i. Iohannis i.: Si dixerimus quod peccatum non habemus nosmetipsos seducimus, quid faciunt tabule si tremunt columne, aut quomodo iurgulta immobilia strabunt, huius pauoris turbine celi etiam quatiuntur, Iob xxvi.: Columne celi contremescunt et pauent ad nutum eius. Et merito quisque debet tunc timere, tum propter multitudinem et ignorantiam iustificationis de illis scilicet peccatis ut dictum est supra. Tum propter bonorum factorum impuritatem, quia omnes iusticie nostre quasi pannus menstruate, Ysaie xliiii. et Iob ix.: Si lotus fuero quasi aquis niuium et cetera. Sequitur: Cum sordibus intinges me, mala enim nostra sunt pura mala, sed bona nostra non sunt pura bona, ait Gregorius ultimo Moraliu in fine. Iob xxxviii.: In quo habitat lux. Alibi, in qua uia habitat lux. Ibi Moraliu xxix.: Ve laudabili uite hominum si remota pietate iudicetur, quia unde ante oculos iudicis se placere suspicatur obruitur Prouerbiorum xvii.: Quis hominum poterit intelligere uiam suam. Et Ecclesiastici ix.: Nescit homo an amore uel odio dignus sit. Item merito quis tunc debet timere ob iudicis inflectibilis equitatem, quia zelus furor uiri non parcat in die uindictae, Prouerbiorum vi. Item merito debet timere tunc propter hostium insidiantium fraudulentiam et infestationem, si enim cruenta bestia astitit beato Martino moriernti ut eum temptaret uel horreret, quis tunc securus debet esse. Unde et in uita beati Bernhaldi legitur: Quod cum infirmaretur, et extremum trahere spiritum uideretur, affuit Sathanas improbis accusationibus eum impulsans, ut ibi omnia

prosecutus est, et uiro Dei pro sua parte fuit dicendum nichil, territus ait: fateor non sum dignus ego nec propriis meritis possum regnum celorum obtinere, ceterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, uel hereditario iure patris, et alio iure scilicet passionis, unum sibi sufficit, alterum horum michi donabit, ex cuius dono michi illud iure uendicans non confundat, et in hoc hostis confusus abscessit, et homo Dei in se reuersus quieuit. Iste enim calcaneo insidiabitur, Genesis iii. //

Capitulum sextum: De status sanctorum qualitate, et meditatione in morte

Quantumcunque ergo sancti morte imminente timere debeant, confidere debet et sperare in Deo, et iugiter uidere et cogitare de statu in quo sunt, et si aliqua sunt obmissa de his que debent agere, uel minus recte facta, et quod itum sunt ad tribunal iudicis eterni, coram quo sunt de omnibus responsuri. Ideo legitur de beato Augustino in uita sua: quod ante proximum diem obitus sui, libros a se dictatos et editos recensuit, et quecumque in eis recognouit aliter quod se habet ecclesiastica regula a se fuisse dictata uel scripta, cum adhuc ecclesiasticum usum minus sciret, correcta sunt ab eo, et librum unum de retractione fecit, prout dicitur in uita sua, et ibidem dicitur quod iussit Psalmos dauiticos qui de penitentia inscribuntur poni ad parietem, quos et legebat et ultimo iugiter flebat, et ne intencio eius a quocumque impediretur ante decem serme uel fere dies quod exieret de corpore, postulauit ne quis ad eum ingrederetur, nisi tantum illis horis quibus medici intrabant, uel cum sibi refectio inferretur, quod et factum est. Si ergo tantus sanctus sic fuit studiosus ad corrigenda que debebant corrigi, et si fuit in oratione tam studiosus, ne intencio eius a diuina contemplatione impediretur, quantomagis quilibet alius debet esse in talibus studiosus, horam enim mortis timuerunt anitqui sancti ualde, prout dicitur In uitis patrum libro secundo parte tertia, quod ait Abbas Elyas: tres res timeo. Una est quando anima est egressura de corpore. Alia quando occursurus sum Deo. Tercio quando aduersum me proferenda fuerit sententia, et sequitur ibidem, quod ait Theophilus episcopus moriturus, beatus es abbas Urseni, quia semper hanc horam ante oculos humisti. Et parte xi. dicitur: quod abbas Agathon quando erat moriturus, per tres dies mansit immobilis, apertos tenens oculos, ad quem fratres abbas ubi es, quibus respondit: inconspetu diuini iudicii assisto, et illi et tu times, quibus ille qua potui laboraui uirtute in custodiendis mandatis Dei, eo et homo sum, et nescio an placuerunt opera mea coram Deo, quia aliter sunt iudicia hominum, aliter Dei. Nec presumo nisi uenero ad Deum, et cum uellent eum amplius in errogare, ait: Nolite multum loqui, quia occupatus sum, quo dicto mortuus est in Deo, et ideo sequitur ibidem. Memor esto semper // exitus tui, et ne obliuiscaris eterni iudicii, et non erit delictum in anima tua.

Capitulum septimum: De angelorum ad sanctos aduentu in morte

Sancti ergo et timent mortem ut uisum est, et tamen gaudent morte apropinquante ob spem diuine uisionis, et liberationis, ab ergasculo huius exilii et peregrinationis, et a fastidio huius uite mortalis, exemplo Pauli ut dictum est Philippenses primo. Et exemplo beati Iohannis euangeliste, qui desiderauit ire ad conuiuium eternum, cum fratribus suis. Et exemplo aliorum sanctorum, propter quod ait propheta: Educ de custodia animam meam, unde sanctis morientibus fuerunt eis reuelationes facte de sua gloria ad eorum confortationem, sicut beatus Gregorius narrat iiii. Dyalogorum, de paupere paralitico, qui

pauperibus erogabat quicquid de elemosina habere poterat, et in doloribus gracias agens laudibus Deo uacabat, qui moriens ait asstantibus. Nunquid auditis quante laudes resonant in celo qui mortuus est, et mira fragrantia omnes repleti sunt usque post sepulturam. Et de hoc similiter narrat Gregorius Super euangeliis libro primo Omelia xv. de sanctis mulieribus, sicut de Romula ad quam in morte uenerunt duo chori, et quasi uiri psallentes, et quasi femine, respondentes: et similiter de Tarsilla que ait in exitu, recedite Hiesus Christys uenit, sicut narrat Gregorius libro ubi supra. Sicut enim damnatis quibusdam, ad cumulum pene, ostense sunt sue damnationes ut dictum est supra, sic sanctis ad augementum sue glorie reuelantur remunerationes, sicut fuit de istis.

Capitulum octauum: De comoditate habendi sanctos in morte

Ut autem tyrannica seucicia hostis arceatur, et ut orationibus adiuuentur expedit morientibus, habere circa se fideles et sanctos, prout narrat Gregorius Super euangeliis libro primo Omelia xviii. De quodam moribus peruerso in quodam monasterio, quod cum in extremis ei fratres assisterent clamauit, ecce Draconi datus sum ad deuorandum, cui cum fratres dicerent signum crucis imprime tibi, respondit: uolo me signare sed non possum, quia ab eo brachia mea comprimuntur, et iam caput meum absorbit, et cum hoc diceret pallens et tremens fratres uehementer ceperunt orationi insistere, et oppressum a Dracone precibus adiuuare, et ille repente ait Deo gracias, ecce recessit // Nam ad orationes uestras fugiit Draco, qui me acceperat, et mox seruiturum se Deo, et esse monachum deuouit, ac diuina dispensatione sua prolixa uicia egritudo prolixa purgauit, patet ergo orationis efficacia in fugando demones, necnon et utilitates assistentium sanctorum circa morientes.

Distinctio tertia et ultima [septime partis]

Capitulum primum: De qualitate eorum que prosunt morientibus. Quantum ualent pompe exequiarum

Ex predictis patet aliquantulum quomodo debet se homo preparare ad mortem in tota uita sua et specialiter qualiter debet se preparare imminente morte et se habere in morte quia ea que sequuntur mortem qualia sunt curatio funeris. Conditio sepulture, pompe exequiarum magis sunt uiuorum solacia quam defunctorum subsidia, si enim aliquid prodesset impio sepultura preciosa, oberit pio uilis aut nulla, prout ait Augustinus de cura Pro mortuis agenda post principium. Ubi narrat de corporibus sanctorum martirum ignibus concrematis, et cineres proiectos in rodanum fluuium, ne qualiscunque eorum memoria relinqueretur, quod diuinitus promissum est, ut discerneret Christiani in confitendo Christum, qui contemnunt hanc uitam multo magis sepulturam. Unde narratur In uitis patrum parte xix. de impio honorifice sepulto, et de solitario iusto a bestiis comesto, et cuidam de hoc admiranti. Respondit angelus: quod quia ille habuit paruum bonum opus in hoc seculo recepit mercedem, et quia alius modicum habuit culpe recepit hic penam, quod sic fuit comestus a bestiis. Et ibidem de matre cuiusdam uirginis impia et honorifice sepulta. Et de patre iusto non honorifice sepulto propter eandam causam.

Capitulum secundum

An autem prosit mortuis sepeliri in ecclesiis ibidem Augustinus querit et determinat, quod si desunt supplicationes que fiunt recta fide pro mortuis ac pietate, puto quod nihil proderunt spiritibus eorum, quorum in locis sanctis animata corpora penerentur. Et ideo cum fidelis mulier de qua loquitur ibi, desiderauit in basilica matris corpus filii defuncti poni, siquidem credidit eius animam meritis matris adiuuari, hoc quod ita credidit supplicatio quedam fuit et hec profuit, et quod ad idem sepulcrum recurrat animo, et filium precibus magis magisque commendat, adiuuat defuncti spiritum non // mortui corporis locus, sed ex loci memoria unius martiris affectus, et idem Augustinus primo De ciuitate dei capitulo xiiii. in parte ubi supra ait: quod exequiarum pompe et huiusmodi sunt magis solacia uiuorum quam subsidia defunctorum, maxime iustorum, quibus tanquam organis ad opera bene usus est spiritus sanctus. Quod autem antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, et exequie celebrate, et sepultura prouisa ut de Abraham et uxore eius et Ioseph et Iacob et Thobia qui commendantur propter sepulturam, et etiam corpus Domini legitur honorifice esse sepultum et sic de aliis, hec auctoritates ait Augustinus non hoc admonent quod insint ullis cadaueribus sensus, sed talia officia pietatis placent Deo ad fidem resurrectionis asstruendam, hec Augustinus. Et de hoc Gregorius iiii. Dyalogorum de sepultis in ecclesiis: sicut de sanctimoniali que carnis habuit continentiam, sed lingue procacitatem et stultiloquium, cum tamen esset in ecclesia sepulta nocte uisum est custodi ecclesie, quod corpus illius ante altare secabatur per medium, et una pars igne cremabatur, altera remanente intacta cuius combustionis signum in crastino apparuit in marmore, ex quo patuit quod his quibus peccata non fuerint dimissa ad euitandum iudicium, sacris locis post mortem adiuuari non ualent. Ibidem narrat de alio diuite sepulto in ecclesia dato precio, et nocte apparuit Faustinus martyr in cuius ecclesia corpus erat humatum, custodi ecclesie dicens, dic episcopo ut proiciat hinc has fetentes carnes quas hic posuit, quod si non fecerit die xxx. morietur, quam uisionem timuit intimare episcopo, licet eset rursum ammonitus, die autem xxx. episcopus rediens ad lectum incolumis, inopinata morte defunctus est.

Capitulum tercium: De cure modicitate sepulture, quam habuerunt antiqui

De talibus non curabant sancti multum ut legitur In uitis patrum libro secundo parte xv. De abbate Arsenio, cui dixerunt discipuli: quid facimus quia nescimus mortuum sepelire, quibus senex nescitis mittere funem in pede meo et trahere me in montem, et cum esset spiritum traditurus uiderunt eum flentem, et dicunt ei, et tu times mortem pater, quibus ille in ueritate timeo et timor qui mihi in hac hora est semper fuit in me, ex quo fui Monachus factus et sin in pace quieuit. // Qualiter autem philosophi parum curauerunt de sepultura, narrat Seneca De tranquillitate animi capitulo xviii.: Quod cum tyrannus minaretur mortem et insepulturam Theodoro philosopho respondit: O te ineptum si putas mea interesse an supra terram an infra terram putrefiam. Et de hoc ibidem Seneca De remedio fortuitorum insepultus iacebit scilicet dicet quis: cui ille, facilis iactura sepulchri si nihil sentio non pertinet ad me corporis insepulti pena si sentio omnis sepultura pena est, et ibi multum de hoc.

Capitulum quartum: De uarietate conseutudinem apud gentiles

De uariis uero consuetudinibus gentilium circa mortuos, recitat Hieronimus contra Iouinianum: Quod quidam scilicet Massa Gethe cognatos propinquos deuorabant dicentes rectius esse ut a se potius quam a uermibus consumantur. Alii uero eos canibus exponebant, quos ad hoc ipsum nutriebant. Alii suspendebant in patubulis senes quos diligebant. Et idem narrat Tullius libro primo Tusculanum questionum, ubi narrat de Dyogene: qui iussit se proiici inhumatum uolucris et feris, adiiciens quod non sentienti ferarum laniatus nihil oberit. Similiter ait de Anaxagora a quo cum quereretur an uellet duci corpus suum in patriam respondit nihil necesse est, tantundem enim undique uia est ad inferos, qualitercunque autem fiat de gentilibus, fideles et si exhibeant pia officia in fidelium aliorum sepultura uel funeratione, uel quamuis sit dignum et congruum quod eis exhibeantur, quod et ipsi uelint honorifice sepeliri, tamen de prioribus scilicet de preparatione ad mortem et de recta cogitatione et affectione in morte debet esse cura ut dictum est. Summe uigilando quod sit recta fides, firma spes et perfecta caritas cum uera penitentia et aliis que premissa sunt.

Capitulum quintum: De necessitate restitutionum rectitudine testamentorum

Diuites autem prouideant, quod perfecte faciant testamentum de omnibus satis faciendo, et restituendo siqua sunt iniuste ablata, nec confidant in posteris. Unde narrat Beda De gestis anglorum libro iii. de Forseo uiro nobili, qui exutus fuit ductus ab angelis in altum a quibus dictum est ei, ut inferius respiceret, quod cum fecisset uidit uallem tenebrosam, quatuor ignibus succensam, et cum interrogasset que esset uallis, et // qui ignes dictum est sibi, quod uallis est mundus, et quatuor ignes quatuor peccata que mundum consumunt, quorum unus est ignis mendacii, quia non implent homines quod in baptismo promiserunt. Secundus cupiditatis, quia mundi diuitias preponunt homines amoris celestium. Tertius discordie et dissensionis. Quartus impietatis cum infirmiores spoliantur, qui ignes adunati ei aporinquauerunt, uiditque demones in ignibus uoluntantes uel uolantes et bella struere contra sanctos, unusque ex eis iactauit tunicam super eum, qui recognouit quod uestimentum mortui hominis acceperat, quam cum angelus bonus in ignem reiiceret, demon ait, sicut bona peccatoris recepistis, sic et de penis eius participes esse debetis. Cui angelus non propter auariciam sed propter animam ibi saluandam, tunicam mortui accepit dixitque angelus ei. Quod intendisti hoc arsit inte. Anima uero redeunte in corpus, signum incendii uisibile, protulit in humero ex maxilla. Si ergo sic fuit de isto quod sustinuit penam pro tunica quam accepit modo predicto, quid fiet de illis qui accipiunt bona aliorum et spoliant, nec restituunt. Cum hoc etiam morientes prouideant pro se fideles executores, Deum timentes et eorum animas diligentes, ne contingat eis, quod contigit cuidam militi, de quo narratur in uita magni Karoli, quod cum laborans in extremis precepisset cuidam consanguineo suo, ut equum suum uenderet, et precium pro anima suadaret. Ille equum suum uendit pro centum solidis quos in uoluptatibus expendit, cui apparuit mortuus xxx. diebus transactis, dicens quia iniuste elemosinam recepisti, scias me fuisse per xxx. dies in Tartaris, te autem in loco infernali unde egressus sum, scias te esse ponendum et me in paradysum futurum, et euigilauit tremefactus clamor quod demonum in aere quasi leonum et luporum factus est magnus, et uiuus raptus est, et post duodecim dies inuentus est in fastigio cuiusdam silicis distante ab urbe quatuor dietis. Intelligentur autem sane uerba predicta, non quod sit ab inferno egressio in paradysum, sed forte locum penarum uocat locum infernalem.

Capitulum quartum [sextum]: Quibus iuuantur anime defunctorum

Moneantur etiam defructuri id est morituri quod in testamentis suis dimittant bona illis, qui possunt illis prodesse post mortem, quales sunt pauperes. Quatuor enim modis anime defunctorum soluuntur scilicet aut oblatione sacerdotum aut precibus carorum, aut elemosinis // aut ieiunio cognatori, ut dicitur i. q. 2. Maxime autem iuuantur oblatione sacre hostie, prout ait Gregorius Dyalogorum iiii. ubi ait: quod post mortem multum solet iuuare animas sacra oblatio hostie, ubi narrat de multis qui fuerunt adiuti ipsa oblatione, sicut de illo qui fuit in capituitate religatus et pro ipso uxor sua certis diebus sacrificium offerre consueuerat, quibus diebus eius uincula soluebantur, qui post longum tempus reuersus cognouit quod illis diebus sacrificium pro ipso offerebatur. Consimile narrat Beda De gestis anglorum libro iii. de quodam capto et religato qui habebat fratrem quendam uel Germanum abbatem, qui celebrabat pro eo estimans esse eum mortuum qui nullis uinculis poterat religari hora tertia, et cum alii quererent ab eo causam respondit quod pro eo celebrabat frater suus, qui post ea rediens narrauit fratri, quod tali hora soluebantur uincula eius. Si igitur sacra oblatio tantam efficaciam habuit in uiuis, credendum est quod habeat magnam in liberatione animarum a purgatorio, pro quibus offertur ex intentione offerentium, prout exemplificat Gregorius iiii. Dyalogorum. Narrans de multis liberatis suffragiis uiuorum post mortem.

Capitulum septimum: De status defunctorum uarietate, et quibus prosint suffragia

Ut autem sciatur qui possunt iuuari suffragiis uiuorum post mortem. Notandum quod ait Augustinus Encheridyon lxxxviii. capitulo. Et similiter de cura pro mortuis agenda. Est quidem modus uiuendi, non tam bonus, ut ista non requirat post mortem nec tam malus ut non prosint post mortem, et est tam bonus ut ista non requirar, et est rursus tam malus, ut nec hiis ualeat adiuuari cum ab hac uita transierit. Damnatus ergo non iuuatur suffragiis uiuorum. In purgatorio existentes iuuantur. Cum Christo regnantes predictis non indigent. Hec ille: Et a loco tercio nulla expectanda est liberatio, damnati cruciabuntur die ac nocte in secula in stagno ignis et sulphuris, Apocalypsis ii. Quorum ignis non extinguetur nec uermis morietur, Ysaie ultimo, quibus dicit Dominus: Ite maledicti in ignem eternum, Mathei xii. A primo loco est possibilis liberatio et animarum purgatio, i. Corintheorum iii.: Sic tamen saluabitur quasi per ignem. Et de isto loco in purgatorio animarum Gregorius iiii. Dyalogorum capitulo xxxv. et post. In medio loco scilicet in regno celorum erit eterna beatitudo, quando quilibet electus intrabit in gaudium Domini sui, tunc enim gaudentes intrabunt in gaudium, non gaudium in seipsos tantum, ut ait Anshelmus prologus in fine ubi multum de hoc. Quantum enim gaudium erit glorie conditoris assistere, presentem uultum Dei cernere, ait Gregorius omelia xxii. libro ii. Ibi enim erunt beati in festo siue in gaudio eterno, prout ait Augustinus Super Iohanem omelia xxviii. Dies festus meus ait filius Dei gaudium sine fine, eternitas sine labore, sine nube serenitas. Et de hoc Augustinus De ciuitate dei ultimo in fine. Quanta erit felicitas ubi nullum erit malum, ubi nullum latebit bonum et sequitur: Prefecte uacabimus et perfecte uidebimus, quia ipse est Deus qui est etatum finis et dierum, et ipse finis erit desideriorum, qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus proculdubio erit omnibus sicut uita eterna communis,

ut ait ibidem Augustinus. Beati enim qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te ait propheta. Et in hoc finis premissae collectionis. Si qui uero iuniores predicatorum dignentur premissa respicere et in de sumere occasionem conferendi cum uariis hominibus utiliter, quae sunt dicta ruditer corrigant caritatiue, quae sunt omissa suppleant perfecte, quae sunt superflua diminuant prouide, et indulgeant collectori predictorum, pensando eiusdem affectum in colligendo predicta puerilia, ad dandam occasionem predicatoribus et recogitent quod ad mensam tabernaculi non solum ponebantur Phyle sed Thyati, Exodi xxv. Quia non solum in doctrina sacri eloqui sunt exhibenda magna et archana quae delectant, sed etiam parua quae etiamper gustum noticiam prestant, ait Gregorius Moralium ii. Et exemplo philosophorum qui primo rudia tradiderunt, quibus alii succedentes subtiliora inuenerunt, sic inspiciens processum huius collectionis subtiliora et doctrina uel decora et utiliora saluatoris nostri gracia illuminante studeat inuenire.

Vigore motoris primi immobilis, nullam magnitudinem habentis explicit Galensis summa uenustissima atque lepidissima, summa collectionum alio nomine siue communi loquium uocitata, domatum uarios microcosmi gradus ac status respicientium complexiua. Ab Anthonio Sorg opidanum augustensem, ob Dei gloriam, amplioremque ecclesiae fructificationem artificialiter effigiata. Legis gratie M.CCCC.lxxv. Laus summo principi, eiusque gloriose genitrici.